A
f: 32.
A. f. 32.
S f 76

J. i. 14.
L. a. 14.

IVLII PACII A BERIGA DOCTRINÆ PERIPATETICÆ

TOMI TRES,

PRIMVS LOGICVS,
SECVNDVS PHYSICVS,
TERTIVS POLITICVS,

Eiuſdem Logicæ diſputationes octo.



AVRELIÆ ALLOBROGVM
Excudebat Petrus de la Rouiere.
M. DC VI.

Cum priuilegio Chriſtianiſſ. Galliarum Regis.

ILLVSTRISSIMO D. D. ANNÆ DE LEVI, DVCI VANTADOVRIO, FRANCIÆ PARI, REGII ORDINIS Equiti, Sacri palatij Comiti, & Occitanæ prouinciæ Regio Generali Propræfecto, &c.

IVL. PACIVS felicitatem precatur.

MIRARI quiſpiam meritò poſſit, cur huius ætatis homines tam belli, quàm pacis artibus longo interuallo à veteribus ſuperētur. Cùm enim nihil ſimul inuentum & perfectum ſit, ſed quæ ab initio rudia sūt & impolita, paulatim perficiantur & expoliantur, atque omnes artes, perinde ac flumina, progreſſu augeātur: rationi conſentaneum videtur, vt poſteri maioribus ſuis præſtent. quod tamen neque in arte militari, neque in ijs ſcientiis & facultatibus, quibus pax decoratur, vſuuenire omnes fatentur. Quem enim imperatorem Cæſari, aut Alexandro? quem (vt ad minora deſcendam) iuriſconſultum Papiniano? quem medicum Hippocrati, aut Galeno? quem philoſophum Ariſtoteli, aut Platoni? quem poëtā Homero, aut Virgilio? quem oratorem Demoſtheni, aut M. Tullio? quem pictorem Apelli? quem ſtatuarium Phidiæ compare-

mus? Hinc nonnulli mundum conſeneſcere, proinde ingeniorum vim debilitatam, & quodammodò effœtam fructus imperfectos producere, probabiliter exiſtimant, cùm nulla alia ratio facilè occurrat, ob quam dici poſſit, hanc ætatem adeò à ſuperioribus degeneraſſe, vt in rebus maximi momēti antiquitati palmam concedat. Atqui multa noua reperta, quæ non ſolùm laude, ſed etiam admiratione digniſſima ſunt, noſtrorum hominum ingenia nihilo antiquis obtuſiora, ſed aut præſtantiora, aut ſaltem æqualia eſſe, perſpicuè oſtendūt. horologia, tormenta bellica, ars typographica, orbis terrarum peragratio, ventorum & nauigandi peritia luculentiſſimū huic rei teſtimonium afferunt. Quid ergo nos vetat ſuperiorum ætatum dignitatem aſſequi? Cùm ita inter homines natura ſit comparatum, vt alij imperent, alij imperantibus ſubijciantur: aut in his, aut in illis, aut in vtriſque credendum eſt impedimenta quædam ineſſe, quò minùs ad ſummum excellentiæ gradum peruenire poſſint. Sanè artium omnium contemptus, qui nunc eſt maximus, vel homines à pulcherrimis ſtudiis auocat, vel eis obſtat, quò minùs in ea totis viribus incumbant, dum ſibi & familiæ proſpicere, dum ſe ab inimicis & inuidis tueri coguntur; & neque ſalutis ſine dignitate, neque dignitatis ſine ſalute rationem habendam meritò ſtatuunt. Veriſſimè dictum eſt, honorem artes alere: & rectè ille cecinit,

Da Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Nec inſcitum eſt illud emblema, quo dextera viri manus alata ſurſum trahit, ſiniſtra graui ſaxo deprimitur. cuius enim diuinum ingenium aſtra petit, no-

xiæ

xia paupertas attolli non permittit.

Ingenium poterat ſuperas volitare per arces,

Heu, niſi paupertas inuida deprimeret.

Hoc vitio vel caruiſſe antiquitatem, vel minùs laboraſſe, multis exemplis comprobari poteſt: ſed vnus Seneca ad hoc confirmandum abundè ſufficit: qui tantas opes adeptus eſt, vt quidam ſcribere non dubitarint, tantas maximũ Principem, Saxoniæ Ducem hodie non habere. Quis diurnis nocturníſque vigiliis minimam tantorum bonorum partem ſperare audeat hiſce temporibus? quibus

Virtus laudatur, & alget.

Sed quid ego de tantis diuitiis loquor? quis, aut cuius facultatis profeſſor hodie tantò ſtipendio fruitur, quãtum Traianus Imperator medicis conſtituit, qui quingena, id eſt ſecũdum Budei ſupputationem, 21875. frãcos in annos ſingulos percipiebant? Idem rhetoribus centena, hoc eſt, Francorum quatuor millia, trecentos ſeptuaginta quinque decreuit. Eant nunc rhetores, ac tantum ſalarium petant. Omitto Conſtantium Eumenio ſexcenta, ſeu francos 26250. largitum eſſe. Verùm enimuerò fieri vix poteſt, vt qui ſcientiis animum non excoluerunt, viros doctos magni faciant: cùm quia

---*Ignoti nulla cupido*:

Tum etiam quia vt oculus, quãquàm optimè affectus, tamẽ in tenebris nihil cernere poteſt, ita animus humanus ignorantiæ caligine circumfuſus, virtutis & ſcientiæ pulchritudinem intueri nequit. Cùm autem magna ſemper imperitorum hominum turba fuerit: parũ vulgi inſcitia nocet; vbi viri principes aut ſunt Muſarum alumni, aut patroni: quod maximè ſuperiori-

bus ſeculis accidit. Magni namque illi Heroës, belli & pacis artibus exculti, non ſolùm de victis hoſtibus magnificè triumpharunt, ſed etiam legibus rectè conſtitutis, & ad reipub. formam accommodatis, religioſiſſimè ſuum cuique tribuerunt, ac rempublicam non modò ab hoſtibus tutam & inuictam, verùm etiam florentem ac beatam reddiderunt. Præclarè enim Plato tum demum rempublicam beatam eſſe pronunciauit, cùm aut viri ſapientes ad eam gubernandam accedunt, aut ij, quibus commiſſa eſt, ſapienter vitam inſtituunt. Itaque felicibus Herorum temporibus ſummi illi Duces, Reges, & Imperatores aut literas excoluerunt, aut ſaltem viros literatos ſibi perpetuò adiunxerunt. Alexander Magnus, quem pater Philippus ætate Ariſtotelis natum eſſe, vt ab eo inſtrui atque erudiri poſſet, vehementer lætatus eſt, non ſolùm accuratè philoſophum audiuit, ſed etiam datis ad eum literis teſtatus eſt ſe malle doctrinæ excellentia, quàm regni amplitudine ceteris mortalibus anteire. Idem non ſine Homeri Iliade ſomno ac quieti ſe dare ſolitus eſt. Phalaris Agrigentinus, quamquam tyrannus, tamen diuinos honores Steſichoro vita functo decreuit, eíque templum ædificandum curauit, vel triumphante Traiano, Dion eodem curru vectus eſt. Scipio Africanus hortos ſuis proximos Ennio largitus eſt, eiúſque defuncti ſtatuam ſuo ſepulchro imponi iuſſit: lectioni autem Xenophontis ſic deditus fuit, vt ſine ea ſomnum non admitteret. Iulius Cæſar non minùs literarum cognitione, quàm bellica peritia præſtitit. Nec facilè dici poteſt, vtrùm maior philoſophus, an imperator Xenophon fuerit. Inclytus Rex Alphonſus

ex

ex literis ſe armorum iura & modum didiciſſe profeſſus eſt. Sed quid opus eſt ſingula perſequi? Armorum cum literis coniunctionem nec ſolus, nec primus Iuſtinianus aſſeruit. Veneranda illa antiquitas hoc apertè ſignificauit, cùm eandem bellorum & ſapientiæ Deam finxit, eámque Marte, id eſt, Barbara & literis deſtituta militia, vt apud Homerum legere eſt, ſuperiorem fecit. Quamobrem viri militares, qui Barbari non ſunt, à literis non abhorrent, nec viros eruditos aſpernantur, quin potiùs eos fouent, veráque, non ficta beneuolentia complectuntur. Et elegantiſſimus poëta non de omnibus principibus conqueritur, ſed indoctos vocat eos, qui ſacra ingenia mendicare patiũtur. Ob eandem armatæ ac togatæ militiæ coniũctionem fit, vt qui Muſis & Mineruæ ſunt addicti, viros principes, & bello præſtantes colant & venerentur. Quod ſi interdum ſecus videtur: hoc non ex odio, vel contemptu proficiſcitur: ſed partim propter ſtudiorum difficultatẽ & aſſiduitatẽ: partim quia verecundiores, cultores ſuos Muſæ faciunt: ſunt enim virgines, quas pudor decet, præſertim cùm in ſyluis & montibus, potiùs quàm in vrbibus & aulis degant. Non ſunt igitur homines literati ſalutationibus ceteríſque officiis, quę viris potentibus debentur, dediti, vt quodam loco Galenus teſtatur: non quòd ſuperbia vtantur, à qua longiſſimè abſunt: ſed partim quia pudore, quem Cicero in Trebatio notat, præpediuntur: partim quia ſtudiis impediti, vix ſatis ceteris officiis ſuppeditare poſſunt. Neminem tamen eſſe, qui magnorum virorum beneuolẽtiam pluris faciat, quíve eorum fauorem ac beneficẽtiam gratiore animó excipiat, vel iuratus affirma-

re auſim. non enim illud ignorant,

Principibus placuiſſe viris, non vltima laus eſt.

Quare quod poſſunt, inuicem præſtant, patronos ſuos colentes, celebrantes, eorúmque nómina immortalitati conſecrantes, quibus officiis nihil ab homine maius, nihil viris principibus dignius proficiſci poteſt: quandoquidem hæc ipſi DEO, tanquam maxima tribuuntur, μέγιστον γὰρ τοῦτ' ἀεὶ θύομεν, ὃ τοῖς θεοῖς ἀπονέμομεν, καὶ οὗ μάλιστα ἐφίενται οἱ ἐν ἀξιώματι, καὶ τὸ ἐπὶ τοῖς καλλίστοις ἆθλον. τοῦτο δ' ἡ τιμή. Quocirca propemodum æquè laudandi videntur, qui maximum Regẽ imitati, qualiacumque virorum literatorum officiã, ab optima mente profecta, boni conſulunt, ac qui eos ſibi plurimis beneficiis deuincire ſtudent. Quæ cùm ita ſe habeât, profectò ſi cui mortalium (quod antiquitas credidit) diuini honores ſunt tribuendi, ſi quem non ſolũm inter Heroas numerari, ſed etiam inter illos non infimum locũm obtinere oportet: is potiſſimùm ad hunc excelſum dignitatis gradum euectus cenſeri debet, quem vtraque militiã præſtantem, hoſtes metuunt, ſubditi verentur, docti commendant, omnes admirantur: qui rempublicam auget, vitia exterminat, virtutes promouet, ſcientiis fauet, de humano genere bene meretur: cuius fideli opera Reges vtuntur, patria defenditur, hoſtes terrentur, ciues honeſto otio fruũtur, ὃν πάντες ἐγκωμιάζουσι, πάντες μακαρίζουσι, πάντες εὐδαιμονίζουσι. Dum hæc dico, tuas Heroicas laudes recenſeo, Dux Illuſtriſſime: quæ niſi ſuo ſplendore in omnium oculos incurrerent, omnibúſque notiſſimæ eſſent, tẽperare mihi non poſſem, quin eas pro viribus hoc loco celebrarem, in primíſque dicerem virtutem tuam, cùm nondum plenam puberta-

tem

tem exceſſiſſes, HENRICO III. memoriæ feliciſſimæ Regi ſic innotuiſſe, vt Te Lemouicenſi prouinciæ tunc temporis à fœderatis rebellibus occupatæ præficeret, aut tua vnius ſperans, aut nullius opera nobiliſſimam prouinciam ad debitum Regiæ Maieſtatis obſequium retrahi poſſe: quæ ſpes prudentiſſimum Regem minimè fefellit. matricem namque vrbem, iis, qui à Rege deſciſcentes patriam prodebant, partim prælio occiſis vel expulſis, partim ſupplicio affectis, egregiè conſeruaſti, totámque prouinciam Regio imperio ſubieciſti, & ex rebelli fidelem, ex turbulenta pacatam, ex miſera florentem reddidiſti. Non reticerem hæc animaduertentem HENRICVM IV. Regem inuictiſſimum, cuius ſacræ inaugurationi Par Franciæ interfuiſti, & à cuius latere, dum Lutetiam obſideret, quæ tua eſt erga Regiam Maieſtatem fides, numquam receſſiſti, cùm Illuſtriſſimum Conneſtabulum ex Occitania, cuius præcipuę vrbes in fœderatorũ rebellium poteſtate erant, ad ſe magnis de cauſis vocaret, Te præ omnibus delegiſſe, cui hanc in diuerſas partes diſtractam prouinciam commendaret. Non omitterem, Te ea, qua polles prudẽtia, perfectáque virtute facilè Toloſam prouinciæ metropolim, deinde ceteras vrbes illius exemplum ſecutas, Regi ſubieciſſe, & conciliaſſe. Hæc, atque alia multa narrarem, ſi aut minùs nota & illuſtria eſſent, aut non vererer, ne mea infantia tuas laudes detererem. His igitur ſilentio inuolutis, illud potiùs mihi dicendum videtur, cur hoc philoſophicum opus, ex Peripateticorum fontibus hauſtum tibi dicare ſim auſus. Ego verò cùm ea ſum ſecutus quæ ſuprà dixi, Te inter illos Heroas fulgêre intelli-

gens, qui Deam ex Iouis cerebro natam, non in acie tantùm, ſed etiam in iugis Parnaſſi colunt: tum etiam illius beneuolentiæ rationem habui, quam mihi ex eo tempore exhibuiſti, quo me de rerum vniuerſitate in Nemauſenſi Academia diſſerentem, clementer audire dignatus es. Pars enim aliqua eorum, quæ tunc propoſui, hoc opere continetur: vnde coniicio, ſi pars auditu non fuit iniucunda, vniuerſam doctrinam lectu gratiorem fore. Hoc ſi aſſequar, &, ſi hac ratione meam ſummam erga te obſeruantiam vtcumque indicauero, finem huius editionis me aſſecutum putabo. Cuius mei voti vt compos fiam, me in hanc ſpem tua potiùs humanitas, quàm operis dignitas adducit. Vale Dux Illuſtriſſime, & ſalue. DEVS Opt. Max. Te quàm diutiſſimè beatum & florentem Reipublicæ conſeruet. Dat. Monſpelij, Kal. Iuniis, 1606.

IVL. PA-

IVL. PACIVS LECTORI BENEVOLO S.

CVM phyſica,& politica conſcripſiſſem ea methodo, qua nunc ea tibi, candide lector, exhibeo: auctor fui DANIELI VENTVRINO, affini,& olim auditori meo, dum logicam profiteretur, vt in ea enarranda eandem methodum, quam ſtudioſis gratam & vtilem eſſe animaduerteram, adhiberet. Quod cùm ab eo factum eſſet, eius ſcripta accuratè recenſui, & arbitrio meo, pro auctoritate, quam mihi affinitas & inſtitutio, atque eius quoque voluntas tribuebant, correxi, ac reformaui, ceteríſque phyſicis & politicis voluminibus adiunxi, ne hanc doctrinæ peripateticæ partem, quæ reliquarum eſt fundamentum deſiderares. Hoc meum conſilium ſi tibi probari intellexero, idem mox efficiam in alias, quæ ſuperſunt, partes nimirum rhetoricam, poëticam, & metaphyſicam. Interim his fruere, & Vale. Monſpelij Idib. Iuniis, 1606.

¶¶ 2

DE NOBILI ET CLARISSIMO VIRO, D. IVLIO PACIO A BERIGA IVRECONSVLTO celeberrimo.

CVM terras, in cælum abitura,relinquere vellet
Aſtræa,pulſa fœtidis mortalium
Criminibus , iuuenes, quos culti induſtria iuris,
Intaminatos detinebat in ſcholis,
Talibus affatur:Melioribus,auſpice IOVA,
O delibuta diſciplinis pectora,
Vt libeat Mundum,tetris erroribus actum,
Fugere,domóſque rurſum adire priſtinas:
A vobis inuita tamen diſcedo:ſed æquâ
Mente eſt ferendum,quod nequit mutarier.
Interea noſtras cum laude vicéſque,locúmque,
Lumen Themiſtos ſuſtinebit PACIVS.

De eodem.

Térque quatérque ferè duodena per aſtra volutus
Abſoluit ſolito tramite Phœbus iter,
Ex quo CVIACIVM *celebrem,doctúmque* DONELLVM,
Atque grauem HOTMANVM *fata dedere neci.*
Vnde pol Eunomia eſt tantam perpeſſa ruinam,

Vt queat

Vt queat acceptum nemo leuare malum.
Ni frueretur adhuc vitali PACIVS *aura,*
Ius omne in terris interiiſſe putes.

IOANNES STAMLER V. I. D.
Iudicij Imperialis Cameræ
Aduocatus.

SIMONIS STENII IN HEIDELBERGENSI ACAdemia Hiſtoriarum Profeſſoris Ordinarij Epigramma προπεμπτικὸν,

AD IVLIVM PACIVM HEIDELBERGA IN GALLIAM DISCESSVRVM.

INGENIOSE *Paci, Sophiæ prælustris ocelle,*
Romanæq́; ſimul fulgida gemma Dices:
Nuper vti leni per compita mœſta ſuſurro
Diſceſſus meminit garrula fama tui:
Senſimus attonitum vulgum, triſtémque ſenatum
Senſimus Aonij conticuiſſe chori,
In primis legum ſtudiis operata iuuentus,
Indignis abitum viſa tuliſſe modis:
Huius & in cauſas inquirere: quòd noua cunctis,
Et res, tam læuo tempore, mira foret:
Quid tandem PACIVM *Nicrinis abſtrahit vndis,*

Et ſubitò placitis ſuadet abire locis?
In quibus eximio decoratus honore laborum
Exantlatorum præmia lauta tulit:
Gymnaſii proceres omnes expertus amicos,
Et collegarum per duo luſtra fidem?
Sic ſecum iuuenes: quis reſpondere parabat
Triſtis Eris: iubet hanc læta ſilere Themis
Humaníſque, ait, in rebus nónne omnia fatum
Digerit, aut, quod idem, prouida cura Dei?
Hic poſt tot cædes miſeratus Gallica regna,
Fœda peregrino, fœda cruore ſuo:
Vim pridem perpeſſa trucem pro legibus æquis,
Pro iure gladios, pro pietate necem:
Cogitat afflictis redducere commoda pacis,
Et pro Bellona mittere Calliopen,
Pro Mauorte Dicen: vtriuſque inſignis habetur
Antiſtes PACIVS*: Gallia quem repetit,*
Et meritò repetit: tantùm hunc conceſſerat vſu
Germanis antehac, non ea mancupio.
I, doctrinam aliis, patriæ decus impiger auge,
Rémque PACI*, ſolita ſedulitate, tuis.*
I felix, veteréſque offenſas ponere gaude:
Laus hæc Italico ſanguine digna: Vale.

AD

AD EVNDEM ÆMILII PORTI, FRANCISCI PORTI CRETENSIS F. IN EADEM ACADEMIA Græcæ linguæ Profeſſoris Ordinarij,

προσπεμπτικὸν καὶ αὐτοσχεδιαστικὸν ἐπίγραμμα.

A. Φοῖβε Παλατίνης σημάντωρ πότνια χώρας,
Δάκρυα τίπτε χέεις, τίπτε βαρυστενάχεις;
B. ΠΑΚΙΟΣ εἰρήνης, καὶ Μουσῶν, οὖρος ἀπῆλθε.
Τοὔνεκα δακρυχέω, τοὔνεκα νῦν στενάχω.

Idem totidem ferè verbis ab eodem Latinè redditum.

A. Phœbe Palatinæ Princeps venerabilis oræ,
Cur lacrymas fundis? cur grauitérve gemis?
B. P A C I V S *(heu) pacis cuſtos, Muſæque receſſit.*
Nunc ideo lacrymor, nunc ideóque gemo.

Ἄλλο.

Φοῖβος ἀκερσεκόμης τὸν ΠΑΚΙΟΝ ἦμος ἰόντα
Λεῦσσεν, τὴν ὄψιν κρύψε βαρυστενάχων,
Ἠδ᾽ ἀγανακτήσας τοίους μυθήσατο μύθους,
Τίς λυπεῖ λαμπρῶν ἕρμα δικαιοπόλων;
Μοῦσαι Νεκκαρίδες, Μοῦσαι τὸν ΠΑΚΙΟΝ οὕτως
Ὑμέτερον πόρρω φέγγος ἐᾶτε μολεῖν;
ΠΑΚΙΟΣ αὐτὰρ ἐμαῖς ἀκτῖσιν αἰὲν ἐσεῖται
Ἄστεμφὲς λαμπρῶν ἕρμα δικαιοπόλων.

Ἄλλο.

Νῦν μάθον ἀξεινέως Νεφελάων μῆνιν, ἰδ᾽ ἄλγος,
Δάκρυα, καὶ στοναχάς, ΠΑΚΙΟΣ εἶσιν ἑκάς.
ΠΑΚΙΟΣ εἶσιν ἑκάς, καὶ Μούσας κάλλιπε, Νέκκαρ

Ταῖς πρὶν ἀειδούσαις ἦεν ἀγαλλόμενος.
Αὐτὰρ ταὶ Νεφέλαι καταπαύετε μῆνιν, ἰδ᾽ ἄλγος
ΠΑΚΙΟΣ εἰρήνην ὑμετέρην ποθέει.
Εἰ θέμις, ἠδ᾽ ὅσιον πέλει, αὐτὸς κρήνατ᾽ ἐέλδωρ.
Πραόφρονες οὐχ ὑγρὴν στρώσασθ᾽ ὁδοιπορίην
Αἰόλε νηνεμίην πόρε καλὴν, ὕλῃ θέρμην
Μέτριον. ὑψιμέδων, εὐτυχίην πορέει.

ΤΕΛΟΣ

V RBS genuit, Venetis condens quam Gallus in oris,
Hoſtibus à victis nomen habere dedit:
Pacis vbi, & Berigæ, noſtræ cognomina gentis,
Clara per innumeros inuenientur auos.
Cum fratre à teneris, iuſſu patris, excolor anniꝭ,
Hellados & Latij ſcripta diſerta legens.
Miſſus in illuſtrem poſt hæc Antenoris vrbem,
Et Sophiæ iuſſis imbuor, & Themidis.
Tum fatum iniuſti fugientem tela furoris,
Detulit ad fines, terra Lemana, tuos.
Tu vitæ ſociam prima florente iuuenta
Iunxiſti: decies me facit illa patrem.
Euocat hinc luſtris tradentem iura duobus
Panoria, & retinet tempore penè pari.
Abſtrahor à caris, colui quos ſemper, amicis,
Moribus auerſus, liuida turba, tuis.
Pace peto Moſam, mox linquo bella gerentem,
Antiquo Allobrogum reddor & hoſpitio.
Ad ſe hinc pertraxit, Rectoris læta Nemauſus
Imponens humeris munera cuncta meis.

Cur

Cur reuocas? præſtare vetant,en Optime Princeps,
(Parce piæ menti) iuſſa ſuperba fidem.
Non tamen inuitus retinebor tempore longo:
Auro libertas gratior eſſe ſolet.
Excipit hinc igitur,vicina Academia,tandem
Sede Placentini,Rege volente,locans.
Hactenus aduerſam expertus,ſortémque ſecundam,
Euaſi inuictus: ſcire futura nefas.

Aliud.

Itala dat cunas tellus,Germanica famam,
Gallica ius ciuis,dic mihi,quæ patria?

Anno ſalutis 1606. Ætatis meæ 54.

PRIVILEGE DV ROY.

HENRI par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, au Preuoſt de Paris, Seneſchal de Lyon, Poitou, Aniou, & le Mayne, Baillif de Berry & Champagne, Seneſchal de Beaucaire & Niſmes, ou leurs Lieutenants, & à tous nos autres Iuſticier s & Officiers, chaſcun endroict ſoy ainſi qu'à eux appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien aimé Iulius Pacius, Docteur & Profeſſeur en Droict, nous a fait remõſtrer qu'il a compoſé certains liures, ſçauoir, *Iſagogicorum in Inſtitutiones &c. Eiuſdem doctrinæ Peripateticæ tomi tres. Primus logicus, ſecundus phyſicus, tertius politicus.* Leſquels liures il deſire faire imprimer & mettre en lumiere: mais il doubte qu'apres la premiere impreſſion d'iceux, d'autres que celuy, ou ceux auſquels il aura donné charge de ce faire, ſe vueillent ingerer de les imprimer, ou les faire imprimer hors ſon ſceu, & contre ſa volonté, les fruſtrans par ce moyen du labeur qu'il a mis à la recerche & compoſition d'iceux, s'il ne luy eſtoit ſur ce pourueu de nos lettres neceſſaires. Et deſirãts que ledict Pacius puiſſe rapporter quelque fruict de ſes peines, & ſoit aucunement recompenſé de ſon trauail, le tout redondant à l'vtilité de nos ſubiects: A CES CAVSES de l'aduis de noſtre Conſeil, Nous auons audit Pacius permis & octroyé, permettõs & octroyons par ces preſentes, de faire imprimer leſdicts liures, ſçauoir, *Iſagogicorũ in Inſtitutiones &c. Eiuſdẽ doctrinæ Peripateticæ tomi tres. Primus logicus, ſecũdus phyſicus, tertius politicus,* Par tel ou tels Imprimeurs, au lieu, ou aux lieux, & autãt de fois que bon luy ſemblera: vẽdre & diſtribuer les exẽplaires d'iceux par tous les lieux & endroicts de noſtre Royaume, pays, terres & Seigneuries de noſtre obeiſſance: ſans qu'autre que luy, ou ceux auſquels il aura permis de ce faire, ou ayãs droict & pouuoir de lui, les puiſſent imprimer ou faire imprimer en tout ni en partie, vendre ou diſtribuer, & cependant & durant le temps de dix ans prochains & conſecutifs, à compter du iour & datte de l'im-

l'impreſſiõ deſdicts liures. Et pour ceſt effect nous auõs defẽdu, & defẽdõs treſ-expreſſemẽt à to⁹ Imprimeurs, Libraires, & autres nos ſubiects de quelle qualité & condition qu'ils ſoyent, d'imprimer, faire imprimer, achepter, changer, ou ſe ſeruir d'aucune indeuë impreſſion deſdicts liures, en quelle ſorte & maniere que ce ſoit, ſur peine de confiſcation d'iceux, & d'amende arbitraire. Si vous mandons, & à chaſcun de vous enioignons treſ-expreſſement, chaſcun endroict ſoy, ſi comme à luy appartiendra, que de ceſtuy noſtre preſent priuilege, & du contenu en iceluy vous faictes ſouffrir & laiſſer iouyr, & vſer pleinement & paiſiblemẽt ledict expoſant, ſans luy faire mettre ou donner, ne ſouffrir luy eſtre faict, mis ou donné aucun trouble ni empeſchement: & où aucun faict ou dõné luy ſeroit, iceluy vous oſtiez & le mettiez au premier eſtat & deub, en contraignant & faiſant contraindre tous ceux qui pour ce ſeront à contraindre, par toutes voyes & manieres deuës & raiſonnables. Nonobſtãt quelconques Edicts, Ordonnances, mendements, defences & lettres à ce contraires. Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Limoges le 17. iour d'Octobre l'an de grace mille ſix cents & cinq. Et de noſtre Regne le dixſeptieſme. Signé,

HENRY,

Et plus bas, par le Roy,

FORGET.

Seellé du grand Seau.

PAr conſentement dudict Sieur Pacius, & de ſon bon gré ſemblable droict que deſſ⁹ eſt accordé à Pierre de la Rouiere maiſtre Imprimeur & marchãt libraire, & lui a eſté cedé, quitté, & tranſporté, comme appert par contract reçeu & ſigné par Antoine Comte Notaire Royal à Montpellier, le 28. de Decembre, M.DC.V.

Acheué d'imprimer pour la premiere impreſſion, en Aouſt, 1606.

DOCTRINAE PERIPATETICAE

TOMVS PRIMVS.

LIBER I. LOGICORVM PRIMVS, QVI INSCRIBITVR ISAGOGE.

Prolegomena.

LOGICA eſt ars ratiocinandi, vt diſcernatur verum à falſo.

2 ¶Logicæ finis eſt ſcientia, quæ per ratiocinationem acquiritur.

3 ¶Eius ſubiectum eſt ratiocinatio, quæ Græco vocabulo vocatur ſyllogiſmus.

4 ¶Quoniam igitur ſyllogiſmus, in quo logica verſatur, eſt inſtrumentum ſciendi: meritò volumen, quo libri logici ab Ariſtotele conſcripti continentur, Organum appellatur.

CAP. I.

Præfatio.

5 VT intelligantur ea, quæ ab Ariſtotele in Organo logico traduntur, neceſſe eſt cognoſcere quid ſit genus, differentia, ſpecies, proprium, & accidens. Cap. I.

CAP. II.

De genere & ſpecie.

6 GEnus accipitur tribus modis. I. Pro principio, à quo quis originem ducit, id eſt, pro parente, vel patria: vt cùm di- Cap. 2

cimus Oreſten à Tantalo genus ducere,& Pindarum eſſe genere Thebanum. II. Pro multitudine ab eodem principio originem ducente: vt Heraclidarum genus eos omnes complectitur, qui ſunt Hercule prognati. III.Pro eo,qui ſubiicitur ſpecies:vt animal eſt genus hominis.Hæc tertia ſignificatio ex duabus prioribus quodammodo orta videtur. nam genus in hac ſignificatione ſumptum,eſt principium quoddam multarum ſpecierum, quas ſub ſe continet. quatenus igitur eſt principium,ſimile eſt generi in prima ſignificatione ſumpto.quatenus autem ſub ſe continet multas ſpecies,ſimile eſt ſecundæ generis ſignificationi.

7 ¶ In hac tertia ſignificatione genus à logico conſideratur,atque ita definitur, quod multis ſpecie differentibus attribuitur in quæſtione quid eſt.

8 ¶ Eorum enim,quæ attribuuntur, alia de vno dicuntur, alia de multis.De vno dicitur indiuiduum: de multis dicuntur genus,differentia,ſpecies,proprium,& accidens. Indiuiduum eſt,vt Socrates:genus,vt animal:differentia, vt rationale:ſpecies,vt homo : proprium, vt aptum ad ridendum: accidens,vt album.

9 Itaque verbum, *quod attribuitur*, excludit vocabula nihil ſignificantia,vt blityri. Verbum,*multis*, ſeparat genus ab indiuiduo.Verbum,*differentibus ſpecie*,ſeiungit genus tam à ſpecie, quàm à proprio.nam ſpecies attribuitur multis differentibus numero, non ſpecie,id eſt indiuiduis ſub ſe contentis: vt homo Socrati,& Platoni, & ſingulis aliis hominibus. proprium verò attribuitur vni ſpeciei,& indiuiduis ſub ea contentis: vt aptitudo ad ridendum attribuitur homini, & Socrati, & Platoni.Verbum,*in quæſtione quid eſt*, diſtinguit genus à differentia,& accidente,quæ attribuuntur in quæſtione quale eſt, vel quomodo ſe habet.

10 ¶ Vt ea,quæ dixi,intelligantur,duo ſunt notanda.I. Alia differre genere,alia ſpecie,alia numero. Genere differunt, quæ ad diuerſa genera referuntur:vt homo,& pyrus:nam hominis genus eſt animal,pyri arbor. Specie differunt, quæ ad diuerſas ſpecies referũtur:vt Socrates,& Bucephalus:nam ille ad humanam,hic ad equinam ſpeciem refertur.Quin etiã diuerſę ſpecies,vt homo & equus,dicũtur ſpecie differre.Numero tantùm differunt,quę ſub eadẽ ſpecie continẽtur,vt Socrates &

tes & Plato. II. Notandum ea attribui in quæſtione quid eſt, quæ apte reſpondentur ad quæſtionem quid eſt: ea verò attribui in quæſtione quale eſt, vel quomodo ſe habet, quæ rectè ad huiuſmodi interrogationes reſpondentur. veluti, quid eſt Socrates? homo. quid eſt homo? animal. qualis eſt Socrates? albus. quale animal eſt homo? rationale. quomodo ſe habet Socrates? bene valet: eſt autem homo, ſpecies: animal, genus: rationale, differentia: album, & bene valere, accidentia.

11 ¶ Species ſumitur duob⁹ modis. I. Pro forma. II. Pro vt refertur ad genus: vt cùm homo dicitur ſpecies animalis, quia animal eſt genus hominis: & albor, ſpecies coloris, quia color eſt genus alboris. Hæc poſterior ſignificatio ad hunc locum pertinet. Cap. 3.

12 ¶ In hac ſignificatione ſpecies definitur, quę ſub genere ponitur, vel cui genus attribuitur in quæſtione quid eſt. Genus intellige logicè acceptum, id eſt, in tertia ſignificatione.

13 ¶ Genus diuiditur in generaliſſimum & ſubalternum: ſpecies item diuiditur in ſpecialiſſimam & ſubalternam: ſed idem diuerſo reſpectu dicitur genus ſubalternum, & ſpecies ſubalterna. quatenus enim refertur ad inferiores ſpecies, vocatur genus: quatenus autem refertur ad ſuperius genus, appellatur ſpecies. etenim genus & ſpecies ita à philoſophis & Logicis naturam ducem ſequentibus collocantur, vt ſupremo loco ponatur genus generaliſſimum, infimo ſpecies ſpecialiſſima, medio ſubalterna, quæ ſimul genera & ſpecies nominantur, vt in ſequenti exemplo,

Subſtantia
Corpus
Viuens
Animal
Homo;

ſubſtantia eſt genus generaliſſimum: corpus, viuens, animal, ſunt ſubalterna. corpus enim eſt ſpecies ſubſtantiæ, genus viuentis: viuens eſt ſpecies corporis, genus animalis: animal eſt ſpecies viuentis, genus hominis: homo verò eſt ſpecies ſpecialiſſima.

14 ¶ Quocirca genus generaliſſimum habet vnum reſpectum, quo dicitur genus inferiorum. Species quoque ſpecia-

liſſima vnum reſpectum habet, quo vocatur ſpecies, ſiue conferatur cum ſuperioribus generibus, à quibus continetur, ſiue cum indiuiduis, quæ ſub ſe continet.

15 ¶ Genus generaliſſimum definitur, quod eſt tantùm genus, non ſpecies. vel, Quo nõ eſt aliud ſuperius genus. Species ſpecialiſſima definitur, Quæ tantùm eſt ſpecies, non genus. vel, Quę cùm ſit ſpecies, in ſpecies diuidi nequit. vel, Quę multis numero differentib⁹ attribuitur in quęſtione quid eſt.

16. ¶ Generum ſpecierúmque ſeries eſt genealogiæ ſimilis: genus enim eſt, quaſi pater: ſpecies, quaſi filius. & quemadmodum eſt aliquis tantùm pater; alij tantùm filij, quia nullos liberos habent; alij ſunt parentum ſuorum filij, & filiorum ſuorum parentes: ita etiam alia ſunt tantùm genera, id eſt genera generaliſſima, alia tantùm ſpecies, id eſt ſpecies ſpecialiſſima, alia ſunt genera & ſpecies, id eſt ſubalterna.

17 ¶ Diſcrimen tamen eſt inter categorias (ſic enim generum, ſpecierum, & indiuiduorum ſeries appellatur) & genealogias: quoniam omnes genealogiæ referuntur ad vnum communem patrem, qui κατὰ τὴν ἑλλήνων δόξαν eſt Iupiter, κατ' ἀλήθειαν eſt Adamus: categoriæ verò non referuntur ad vnum commune genus, ſed ad decem genera generaliſſima: unde oriuntur decem categoriæ; de quibus poſteriùs dicendum erit. Ne dicas ens eſſe horum commune genus: quoniam Ariſtoteles docet ens non eſſe genus.

18 ¶ Generaliſſima igitur ſunt decẽ: ſubalterna, multò plura: ſpecialiſſima, quàm plurima: indiuidua, numero infinita.

19 ¶ Idcirco in ſcientiis progrediendũ eſt (ſecundũ Platonẽ in Sophiſta) à generaliſſimis ad ſubalterna, & à ſubalternis ad ſpecialiſſima, omiſſis indiuiduis, quæ ſub ſcientiã non cadunt.

20 ¶ Deſcendẽdo in categoria progredimur ab vno ad multa: adſcendẽdo tendimus à multis ad vnũ: quia multa indiuidua ſub vna ſpecie, & multę ſpecies ſub vno genere cõtinẽtur.

21 ¶ Et ſuperiora quidem inferioribus omnibus attribuuntur, vt ſubſtantia corpori, viuenti, animali, homini: inferiora verò ſuperioribus non attribuuntur.

22 ¶ Indiuiduum eſt, quod conſtat ex multis proprietatibus, quæ in nullo alio ſimul reperiuntur.

23 ¶ Indiuiduũ continetur à ſpecie, ſpecies à genere. & indiuiduũ quidem habet rationẽ partis: genus verò rationẽ totius: ſed

tius: ſed ſpecies reſpectu generis habet rationem partis, reſpectu indiuidui, rationem totius. Intellige totum attributiuum,& partem ſubiectiuam.

24 ¶ Triplex enim eſt totum,& triplex pars. I. Totum integratum,& partes integrantes. Sic animal eſt totum: caput, venter,crura,pedes,ſunt partes. II. Totum eſſentiale,& partes eſſentiales.ſic animal eſt totum:anima,& corpus,ſunt partes. III. Totum attributiuum,& partes ſubiectiuæ.ſic animal eſt totum:homo,equus,bos,ſunt partes.

CAP. III.

De differentia.

25 Differentiæ vocabulum tribus modis accipitur: communiter,propriè,& maximè propriè. In prima ſignificatione differentia nihil aliud eſt, quam accidens ſeparabile: in ſecunda eſt accidens inſeparabile:in tertia eſſentiam rei ſignificat. Primo modo differt(exempli gratiâ) ſedens ab ambulante: & hoc modo idem à ſemet ipſo differre poteſt: vt quia interdum ſedet, interdum ambulat. Secundo modo cycnus differt à coruo: quatenus hic eſt niger, ille albus. Tertio modo rationale differt ab irrationali, vt homo ab equo. Cap.4.

26 ¶ Omni differentiæ commune eſt,efficere vt res inter ſe variæ ſint:nam quæcumque differunt,varia ſunt.

27 ¶ Proprietates, quibus differentia maximè propriè accepta, ab aliis diſtinguitur, quatuor ſunt. I. Non tantùm rem diuerſam efficit,ſed etiam planè aliam: vt rationale non tantum hominem diuerſum efficit a bruto,ſed etiam facit eſſe aliud animal. II. Hæc differentia vocatur ſpecifica:quia ſpeciem efficit:vt rationale additum animali, conſtituit humanam ſpeciem:quandoquidem homo nihil aliud eſt, quàm animal rationale.aliæ verò ſolùm vocantur differentiæ, ſine illa adiectione, *ſpecificæ*. III. Ponitur in definitione ſpeciei, vt homo definitur animal rationale: alias verò differentias definitio reſpuit. IV. Ponitur in diuiſione generis, vt animal diuiditur in rationale & irrationale: per alias verò differentias non fit eſſentialis diuiſio generis:veluti ſiquis dicat animaliū alia eſſe alba,alia nigra,alia medij ſeu mixti coloris,

28 ¶ Rurſus alia eſt differentia ſeparabilis, alia inſeparabilis. illa eſt omnino accidentalis: hæc, partim eſſentialis & per ſe, partim per accidens. Differentia ſeparabilis nihil aliud eſt, quam accidẽs ſeparabile, vt ſedere. inſeparabilis differẽtia per accidens, nihil aliud eſt, quàm accidens inſeparabile, vt nigror corui: inſeparabilis differentia per ſe, eſt eſſentia rei, vt rationale eſt eſſentia hominis. Quare differentia ſeparabilis, eſt differentia communiter dicta: inſeparabilis autem accidentalis, eſt propriè dicta: inſeparabilis verò per ſe, ſiue eſſentialis, eſt maximè propriè dicta.

29 ¶ Inter differentiá per ſe & per accidens tria ſunt diſcrimina. I. Differẽtia per ſe, ponitur in definitione, vt rationale in definitione hominis: differentia verò per accidens, non ingreditur definitionem, vt album, vel muſicum. II. Differentia per ſe, facit aliud, vt rationale facit vt homo ſit aliud animal, quàm brutum: differentia per accidẽs, non facit aliud, ſed tantùm diuerſum, vt albũ à nigro diuerſum eſt. III. Differentia per ſe, non intenditur, nec remittitur, vt homo nõ eſt magis vel minùs rationalis: ſed differentia per accidens, intẽditur, & remittitur, vt homo dicitur magis vel minùs albus.

30 ¶ Differentia per ſe, ſi conferatur cum ſuperiori genere vocatur diuiſiua: ſi cum inferiori ſpecie, dicitur conſtitutiua: quia diuidit genus, & conſtituit ſpeciem: vt rationale & irrationale diuidunt animal: illud autem conſtituit hominem: hoc conſtituit brutum.

Animal

Rationale — Irrationale

Homo — Brutum.

31 ¶ Quoniam nulla eſt differentia diuiſiua generis, quæ non ſit etiam conſtitutiua ſpeciei: idcirco omnis differentia per ſe, vocatur ſpecifica.

32 ¶ Hæc differentia varijs modis definitur. I. Qua ſpeciẽs ſuperat genus: quia ſpecies actu habet in ſe differentias, quas genus tantùm habet poteſtate, non actu, vt animal non eſt actu rationale & irrationale, quia oppoſita non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto: ſed poteſtate eſt vtrumque: ita vt ſi actu recipiat rationale, fiat homo: ſi irrationale, fiat brutum;

II. Quæ

II. Quæ pluribus ſpecie differentibus attribuitur in quæſtione quale eſt. vt enim genus attribuitur in quęſtione quid eſt, ita differentia in quæſtione quale eſt: propterea quòd genus habet rationem materiæ: differentia verò, formæ: & vt æs ac figura conſtituunt ſtatuam, ita animal ac rationale conſtituunt hominem. III. Quæ vim naturalem habet ſeparandi (ſubaudi, eſſentialiter) ea quæ ſub eodem genere collocantur. vt rationale & irrationale ſeiungunt hominem & brutū. IV. Id, quo quælibet differunt. hîc quoque ſubaudi, eſſentialiter. V. Quod ſeparat ea, quæ ſunt ſub eodem genere, & ad eſſentiam rei pertinet, quia eſt rei pars eſſentialis, id eſt, forma. vt rationale ſeparat hominem à bruto, & eſt eſſentialis pars, id eſt, forma hominis.

Cap. IV.

De proprio.

33 Proprium dicitur quatuor modis. I. Quod alicui ſpeciei accidit ſoli, non omni: vt homini grammatica. Cap. 5.
II. Quod accidit omni, non ſoli: vt homini eſſe bipedem. III. Quod accidit omni, & ſoli, non ſemper, vt homini canities. IV. Quod accidit omni, ſoli, & ſemper: vt homini aptitudo ad ridendum. Quod eſt hoc modo proprium, reciprocatur cum eo, cuius eſt proprium. vt omnis homo eſt aptus ad ridendum: & quicquid eſt aptum ad ridendum, eſt homo.

Cap. V. Cap. 6.

De accidente.

34 Cum aliud ſit accidens commune, quod ineſt diuerſis ſpeciebus, vt albor, niui, cycno, farinæ; aliud proprium, quod attribuitur vni ſpeciei, & indiuiduis ſub ea contentis, vt aptitudo ad ridendum homini, & Socrati: ac de proprio iam dictum ſit: nunc de communi dicendum.

35 ¶ Hoc deſcribitur tribus modis. I. Quod adeſt & abeſt ſine ſubiecti interitu, id eſt, cum quo & ſine quo ſubiectum intelligi poteſt. nam adeſſe & abeſſe, hîc accipitur per intellectum, non re ipſa: quandoquidem quędam accidentia re ipſa ſunt inſeparabilia, quæ tamen per intellectum ſeparan-

tur: vt coruus intelligi poteſt tam albus, quàm niger, licèt in rerum natura non reperiatur coruus albus: item cycnus poteſt intelligi tam niger, quàm albus, etſi reuera nullus eſt cycnus niger. II. Quod contingit eidem ineſſe & non ineſſe. Ne intelligas accidens eſſe ſine ſubiecto, ſed ſubiectum eſſe ſine accidente, vt hominem ſine grammatica. Rurſus ne intelligas re ipſa ineſſe, & non ineſſe, (quia iam monui eſſe quędam accidentia re ipſa inſeparabilia) ſed per intellectum.

III. Quod neque eſt genus, neque differentia, neque ſpecies, neque proprium, ſemper autem in ſubiecto inhæret. Dico ſemper in ſubiecto inhærere: quia non poteſt conſiſtere ſine ſubiecto: vt pereunte niue, perit etiam eius albor, quia per ſe conſiſtere nequit.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ

LIBER SECVNDVS, LOGICORVM SECVNDVS, QVI INSCRIBITVR CATEGORIÆ.

Prolegomena.

LOGICÆ partes tres ſunt. I. De dictionibus. II. De enunciationibus, quæ ex dictionibus conſtant. III. De ſyllogiſmis, qui ex enunciationibus componuntur.

2 ¶ Dictiones vocamus vocabula rem aliquam ſignificantia: vt homo, equus, ſedet, currit. Aliæ ſunt voces nihil ſignificantes, vt blityri: aliæ tantùm conſignificantes, quę vocãtur ſyncategoremata, vt quę à grammaticis coniunctiones vel præpoſitiones nominantur. Verbi gratiâ, hæc præpoſitio, *cum*, per ſe nihil ſignificat, ſed in oratione vim ſuam exerit, nec in ea fruſtra ponitur.

CAP.

CAP. I.

Definitiones.

3 QVæ à dictionibus ſignificantur, aut ſunt homonyma, aut ſynonyma, aut analoga, aut ab vno,ſiue ad vnum, aut heteronyma,aut diſparata,aut paronyma. Cap. I.

4 ¶ Homonyma ſunt,quorum nomen ſolum eſt commune, definitio verò, quæ ad nomen illud accommodatur, eſt diuerſa.vt quadrupes & piſcis & ſydus homonymωs vocantur canes:quia nulla eſt canis definitio,quæ ſit eis communis. Hæc à ſcholaſticis nominantur æquiuoca æquiuocata: illud verò commune nomen, vt canis, ab iiſdem vocatur æquiuocum æquiuocans.

5 ¶ Synonyma ſunt,quæ & commune nomen,& communem definitionem ei nomini accommodatam habent.vt homo & equus ſynonymωs dicuntùr animalia: quia definitio animalis,nempe corpus animatum ſenſu præditum,ęquè conuenit equo,atque homini.Hæc in ſcholis nominantur vniuoca vniuocata:commune autem illud nomen, vt animal, appellatur vniuocum vniuocans.

6 ¶ Analoga ſunt, quæ ad diuerſa eandem rationem habent:vt os,ſpina,ſepium:quoniam eandem rationem habent, ſepiū in ſepia, ſpina in aliis piſcibus,& os in cæteris animalib.

7 ¶ Ab vno,& ad vnum dicuntur,quæ ita ſe habent,vt cõmune nomen vni primò attribuatur, deinde huius merito ad cętera producatur.vt ens primò attribuitur ſubſtantiæ, deinde accidentibus,quæ non per ſe vocantur entia,ſed quatenus ſunt aliquid ſubſtãtiæ,id eſt,quaten⁹ in ea inſũt,& ei accidũt.

8 ¶ Polyonyma dicuntur vel eædem res diuerſis nominibus ſignificatæ,vel ipſa diuerſa nomina:vt veſtimentum,& indumentum.

9 ¶ Heteronyma vocãtur,quæ re ſeu ſubiecto idem ſunt, ratione differunt:vt adſcenſus,& deſcenſus.

10 ¶ Diſparata ſunt,quæ nomine & re omnino differũt:vt homo,& planta.Hęc à Græcis appellantur ἕτερα,id eſt diuerſa.

11 ¶ Paronyma dicuntur,quæ ab aliquo appellationem accipiunt,non omnino eandem,ſed caſu,id eſt,fine ac terminatione vocabuli differentem. vt à grammatica dicitur grammaticus,à iuſtitia iuſtus.

CAP. II.

Diuiſiones.

Cap. 2. 12 Vocabulorum alia ſunt coniuncta, id eſt orationes, vt homo currit:alia ſimplicia,vt homo.

13 ¶ Res ſiue entia partim ſunt ſubſtantiæ, partim accidentia.Subſtantiæ non ſunt in ſubiecto, ſed per ſe ſubſiſtunt: vt homo,equus. Accidētia ſunt in ſubiecto: vt albor in cycno, nigror in coruo.

14 ¶ Rurſus alia ſunt vniuerſalia, quæ dicuntur de ſubiectis, vt animal de homine & equo:alia particularia, quæ de nullo dicuntur,vt Socrates. nam etſi indiuidua dicuntur aliquando vni attribui,vt Iſagoges part. 8. tamen id impropriè dicuntur,& ex accidenti,vt Ariſtoteles docet Prior.Analyticor.lib.1.cap.27.partic.2.& 3.

15 ¶ His duabus rerum diuiſionibus coniunctis cōſtituuntur quatuor membra. I. Subſtantiæ vniuerſales, quæ de ſubiecto dicuntur,in ſubiecto autem nō ſunt:vt homo, & equus. II. Subſtātiæ particulares,quæ nec de ſubiecto dicuntur,nec in ſubiecto ſunt,vt Socrates. III. Accidētia vniuerſalia,quæ de ſubiecto dicuntur,& in ſubiecto inſunt,vt album,nigrum. IV. Accidentia particularia,quæ de ſubiecto non dicuntur, in ſubiecto autem ſunt,vt hoc album,hoc nigrum.

16 ¶ Ex dictis collige aliud eſſe ſubiectum de quo, id eſt ſubiectum attributionis, aliud ſubiectum in quo, ſiue inhærentiæ.illo modo particulare vniuerſali : hoc modo ſubſtantia accidentibus ſubiicitur.

17 ¶ Quoniam igitur in præſentia ſolum accidens dicitur eſſe in ſubiecto:rectè Ariſtoteles in ſubiecto eſſe inquit,quod ita in ſubiecto eſt,vt nec ſit eius pars,nec poſſit eſſe ſine eo.etenim accidens non eſt pars ſubſtantiæ, quæ eſt eius ſubiectum:nec poteſt ſine ſubſtantia conſiſtere.

18 ¶ Indiuiduum à ſcholaſticis diuiditur in vagum & ſignatum : quorum illud propriè vocatur particulare : hoc,ſingulare.Particulare vagum eſt, quod nomine vniuerſali ſignificatur adiectâ notâ particulari, vt aliquis homo. nam homo, eſt nomen vniuerſale:aliquis,eſt nota particularis,id eſt,oſtēdit hominem hîc nō accipi vniuerſaliter,ſed in parte.Singulare,ſeu ſignatū eſt,quod proprio nomine notatur, vt Socrates vel

tes:vel pronomine demonſtratiuo, aliáve certa demõſtratione indicatur, vt filius Sophroniſci, ſi ſolus Socrates ſit Sophroniſci filius.

Cap. III.

Regulæ.

19 CVm alterum alteri attribuitur, vt homo Socrati: quæcumque dicuntur de attributo,dicuntur etiam de ſubiecto,vt viuens & animal, quæ dicuntur de homine,dicuntur etiam de Socrate. ſicut enim Socrates verè dicitur homo,ita etiam verè dicitur animal,& viuens. Cap.3.

20 ¶ Diuerſorum generum,quorum alterũ ſub altero non collocatur,vt animalis & ſcientiæ,diuerſæ ſunt differẽtię ſpecificæ.vt animal diuiditur terreſtri,aquatili,& volucri: ſcientia verò diuiditur in theoricam,& practicam.

21 ¶ Subalternorum generum, quorum vnum ſub altero, tamquam ſpecies ſub genere collocatur,vt viuentis & animalis,eædem differentiæ eſſe poſſunt:nempe differentiæ conſtitutiuæ:vt corporeum & animatũ ſunt differentiæ conſtitutiuæ,quæ attribuuntur tam animali,quàm viuenti.

Cap. IV.

De categoriis.

22 QVicquid ſimplici vocabulo ſignificatur, ad vnam ex decem categoriis refertur Cap.4.

23 ¶ Categoria eſt generum,ſpecierum, & indiuiduorum comprehenſio,eorúmque apta diſpoſitio,ita vt indiuidua ſub ſua ſpecie,ſpecies ſub ſuo genere, & omnia ſub vno genere generaliſſimo contineantur.

24 ¶ Categoriæ ſunt decem,vt dictum fuit Iſagoges §.17. ſubſtantia,vt homo,lapis:quantitas, vt decem: qualitas,vt albor:relata,vt pater & filius:vbi,vt in foro: quando, vt heri:ſitus,vt iacere:habere, vt veſtitum eſſe:agere, vt ſecare: pati vt ſecari.

25 ¶ De categoriis tria ſunt notanda. I. Vnam eſſe categoriam ſubſtãtiæ,reliqua omnia eſſe accidentia. II. Subſtantiam,& accidens accipi hic abſolutè,& per ſe: ſecundũ quam

ſignificationem ſubſtátia dicitur,quod per ſe ſubſiſtit, vt homo:accidens verò,quod in ſubſtantia tāquam in ſubiecto inhæret,vt album.Cùm autem per relationem ad alterum accipiuntur:ſubſtantia vocatur,quæ ad rei eſſentiam pertinet : vt animal pertinet ad ſubſtantiam ſiue eſſentiam hominis, color ad ſubſtantiam ſiue eſſentiam albi:accidens verò appellatur, quod alteri præter eius eſſentiam accidit, vt homo accidit animali,& album colori, & color corpori.Itaque ſi homo per ſe ſpectetur,eſt ſubſtantia : ſi cum animali conferatur, eſt accidens.contrà color ſi per ſe conſideretur,eſt accidens:ſi ad album referatur,eſt ſubſtantia. III. Ad eandem categoriam referri concretum & abſtractum:vt homo & humanitas ſunt in categoria ſubſtātiæ: albor & album in categoria qualitatis & qualis.vna eſt enim categoria qualitatis,& qualis:itē quantitatis,& quanti:ſimiliter relationis,& relatorum. eadem eſt ratio cęterarum categoriarum. IV. Hæc, cùm accipiuntur per ſe,nec affirmare,nec negare,vt homo, vel currit: ſed horū compoſitione fieri affirmationem & negationem, vt homo currit,homo non currit.Sed de affirmatione &negatione poſteriùs diſſeremus:nunc ipſæ categorię diſtinctiùs &enucleātiùs ſunt explicandæ.

CAP. V.

De ſubſtantia.

Cap.5. 26 SVbſtantia diuiditur in primam & ſecundam. Prima ſubſtantia hoc loco appellatur, quæ neque de ſubiecto dicitur,neque in ſubiecto eſt, id eſt, ſubſtantia indiuidua : vt Socrates,Bucephalus.Secunda ſubſtantia vocatur ea, cui prima ſubiicitur : id eſt, ſpecies, vt homo, equus : & genus, vt animal.

27 ¶ Prima ſubſtantia eſt omnium aliarum rerum ſubiectum:ſed reſpectu ſecundę eſt ſubiectum attributionis,reſpectu autem accidentis eſt ſubiectum inhærentiæ. nam ſecundæ ſubſtantiæ de ſubiectis primis dicuntur, vt animal & homo de Socrate : accidentia verò in ſubiectis primis ſubſtātiis inſunt,vt albor in cycno.

28 ¶ Species eſt magis ſubſtantia, quàm genus : cùm quia eſt propinquior primæ ſubſtantiæ, & magis eius naturam & eſſentiam declarat:tum etiam quia ſpecies generi,non genus ſpe

ſpeciei ſubſtat. vt homo magis declarat Socratis eſſentiam, quàm animal:& homo animali ſubiicitur,non animal homini,cũ homo ſit ſpecies animalis,& animal ſit genus hominis.

29 ¶ Species ſpecialiſſimæ,vt homo,equus,bos, æquè ſunt ſubſtantiæ.

30 ¶ Primæ quoque ſubſtantiæ,vt Socrates & Plato, æquè ſunt ſubſtantiæ.

31 ¶ Præter primas ſubſtantias, ſola genera & ſpecies vocantur ſubſtantiæ: cùm quia hæc ſola naturam & eſſentiam primæ ſubſtantiæ declarant: tum etiam quia ceteris rebus,id eſt,accidentibus ſubſtat.

32 ¶ Subſtantiæ proprietates ſunt ſex. I. Non eſt in ſubiecto.Hæc proprietas conuenit omni ſubſtantiæ,nõ ſoli, quia ſimiliter differentia eſſentialis,vt rationale,non eſt in ſubiecto.etenim ſola accidentia in ſubiecto eſſe dicuntur. Quod ſi obiicias differentiam eſſe ſubſtantiam: reſpondebo nos hic non loqui de omni ſubſtantia, ſed tantùm de categoria ſubſtantiæ:categoria verò(vt definiui ſuprà partic.23.) tantùm ex generibus& ſpeciebus & indiuiduis conſtat,nõ etiam ex differentiis,quæ cùm ſint ſubſtantiæ ſimplices, nõ ponuntur per ſe in categoria,ſed(vt loquuntur ſcholaſtici)reductiuè, id eſt, quatenus ſunt partes ſpecierum. exempli cauſâ, cùm animal & rationale cõſtituant hominem:animal, quod eſt genus, eſt per ſe in categoria ſubſtantiæ:rationale verò, quod eſt differentia, non eſt per ſe in categoria, ſed quatenus eſt hominis pars eſſentialis ab eo inſeparabilis. Ruſus ſi obiicias partem ſubſtantiæ eſſe in ſubſtãtia, vt caput & crura ſunt in homine: reſpondebo hæc non eſſe in homine vt in ſubiecto,ſed vt partes in toto. II. Subſtantia attribuitur ſynonymωs:vt ſpecies indiuiduis,genus ſpeciebus & indiuiduis ſibi ſubiectis:vt homo Socrati & Platoni:animal homini,& equo,& huic homini,& huic equo.Hæc proprietas neque ſoli ſubſtantiæ conuenit,ſed etiam differentiæ,vt rationale ſynonymωs attribuitur homini:neque omni ſubſtantiæ,quia prima ſubſtantia (vt dictum eſt partic.14.)propriè nulli attribuitur. III. Subſtãtia ſignificat hoc aliquid. Hæc proprietas conuenit tantùm primæ ſubſtantiæ. IV. Nihil eſt ſubſtantiæ contrarium. Hæc proprietas conuenit omni ſubſtãtiæ,non tamen ſoli,quia cõuenit etiam quantis,vt duobus,tribus. V. Subſtantia nec in-

tēditur,nec remittitur,hoc excepto,quod ſuprà dixi, ſpeciem eſſe magis ſubſtantiā quàm genus, & minùs eſſe ſubſtantiam quam indiuiduum.Hæc proprietas non conuenit ſoli ſubſtantiæ,ſed etiam quantitati:non dicitur enim magis vel minùs tricubitum,nec magis vel minus duo. VI. Subſtantia, cùm vna & eadē numero ſit,poteſt contraria ſuſcipere.vt idem homo modò eſt indoctus,modò doctus.Hæc proprietas cōuenit omni & ſoli ſubſtātiæ.Si obiicias hanc proprietatem tantùm cōuenire primæ ſubſtātiæ,quæ ſola videtur dici poſſe vna numero:reſpondebo,etiam ſecundam ſubſtantiā vnam numero dici poſſe.vt homo,& animal rationale,ſunt vnum numero:item veſtimentum,& indumentum.Poſter.lib.1.cap.5. partic.5. & Topic.lib.1.c.7.partic.2.Rurſus ſi obiicias, orationem & opinionem,cùm vna & eadem numero maneat, cōtraria recipere,& modò eſſe verā,modò falſā; vt hæc opinio, vel oratio, *Socrates ſedet*,eo ſedēte eſt vera,eō ſurgente fit falſa:reſpōdebo orationem & opinionem non recipere cōtraria:cùm mutatio in ipſis non fiat,ſed in re ipſa,id eſt, in Socrate: ideo namque opinio vel oratio dicitur modò vera,modò falſa,quia contraria recipiuntur à Socrate,aliàs ſtante,aliàs ſurgente.

CAP. VI.

De quanto.

Cap.6. 53 EXpoſita eſt categoria ſubſtantiæ:ſequuntur accidentia: quorum alia priora, alia poſteriora dici poſſunt. Priora voco ea,quæ ex ſolâ ſubſtātiâ oriuntur.poſteriora autem, quæ à ſubſtantia cum aliquo ex priorib.accidentibus cōiunctâ ortum ducūt.Prioris generis ſunt,quātitas,qualitas,relatio.cùm enim ſubſtantia ex materiâ,& formâ conſtet: ex materia naſcitur quantitas,ex forma qualitas,ex reſpectu materiæ & formæ relata.Ad poſterius genus reducuntur cęteræ categoriæ. Nā ex ſubſtantia & quantitate oriuntur duę categorię,Vbi & Quādo:ſiquidē Vbi ſumitur ex loco,in quo eſt ſubſtātia:Quādo,ex tempore,quo eſt eadem ſubſtantia.Sed ex ſubſtantia & qualitate proficiſcuntur actio & paſſio:quia ſubſtātia per qualitatem agit,& patitur:vt per calorem calefacit,& calefit.nam quæ actu eſt calida,calefacit:& quæ eſt poteſtate calida, calefit.Ex ſubſtātia verò & relatione oriuntur ſitus,& habere:quia ſitus ſignificat relationem partium corporis inter ſe , vt iacēre,ſedere:habere autem ſignificat relationem corporis ad a-

liud

liud corpus externum,vt habere veſtimentum, vel annulum.

34 ¶ Quantum diuiditur. I. In diſcretum, & continuum. II. In id, cuius partes poſitionem inter ſe habent, & cuius partes poſitionem non habent.

35 ¶ Quantum diſcretum eſt,cuius partes communi termino non copulantur:vt numerus, & oratio. Numerus eſt diſcretus: quia nullus terminus partes eius copulat: vt inter duo & tria, quæ conficiunt quinque, nihil eſt interiectum, quod ea coniungat. Oratio eſt quanta; quoniam eam metimur ſyllabâ longâ & breui: & eſt diſcreta, quia partes eius, id eſt, ſyllabæ,nullo communi termino nectuntur.

36 ¶ Quantum continuum eſt, cuius partes communi termino copulantur:vt linea, ſuperficies, corpus,locus, tempus: quia puncta coniungunt partes lineę,linea partes ſuperficiei, ſuperficies partes corporis.Cùm autem corpus locatum,continuum ſit,neceſſe eſt vt etiam eius locus ſit continuus.Tempus quoque in continuis eſt:quia partes eius ſunt præteritum & futurum, quæ coniunguntur communi termino, hoc eſt, momento ſiue inſtanti,quod & præſens appellatur.

37 ¶ Partes tum demum poſitionem inter ſe habere dicuntur,cùm alicubi ſitæ ſunt,& ibi permanent,atque inter ſe continenter iunctæ ſunt:vt partes lineæ, ſuperficiei,corporis, loci. At neque numeri partes habent eiuſmodi poſitionem, quia nullibi ſitæ ſunt:neque partes temporis, quia nec alicubi ſunt ſitæ, nec permanent; ſiquidem tempus eſt in continuo motu:neque partes orationis,cùm quia non permanent, tum etiam quia non ſunt continuæ.

38 ¶ Quanti proprietates ſunt tres. I. Nihil contrarium habet.Hęc proprietas conuenit omni quanto,non tamen ſoli quanto, ſed etiam ſubſtantiæ,vt ſuprà docui partic. 32. mẽb.4. Si obiicias magnũ & paruum,item multa & pauca eſſe contraria:reſpondebo hæc neque eſſe quanta, nec contraria,ſed relata:quia magnum dicitur reſpectu parui,& paruum reſpectu magni: vnde montem paruum dicimus, & milium magnum, quod eſt longè minus monte, quem vocabamus paruum:nimirum quia mons dicitur paruus reſpectu aliorum maiorum montium,& milium dicitur magnum reſpectu aliorum eiuſdem generis granorum, quæ ſunt minora. Rurſus ſi obiicias cõtrarietatem eſſe in loco,vt inter ſuperũ, & inferũ,

qui maximè inter ſe diſtát:ná contraria definiútur, quæ inter ſe maximè diſtant: reſpondebo ſuperum & inferum non eſſe contrarria, ſed relata: quia in definitione contrariorum diſtantia ſumitur ratione eſſentiæ, non ratione loci: præterea non eſt maxima diſtantia inter ſuperum & inferum, cùm inferum ſit in centro mundi, proinde ſit inter duo loca ſupera extrema, vt inter duos polos mundi. quis enim non intelligit duplò maiorem eſſe diſtantiam inter polum arcticum & polum antarcticum, quàm inter alterutrum polum & centrũ? II. Nec intenditur, nec remittitur. Hæc proprietas omni, nõ ſoli quanto conuenit, quia ſuprà etiam ſubſtantiæ tributa fuit, partic.32..memb.5. III. Omnia & ſola quanta per ſe dicũtur æqualia, vel inæqualia: vt duæ horę ſunt tempora æqualia: quatuor & ſex ſunt numeri æquales.

Cap. VII.

De relatis.

Cap. 7.

39 Relata duobus modis accipiuntur: verbo tenus, ſiue ſecundum dici: & reipſa, ſiue ſecundum eſſe.

40 ¶ Verbo tenus relata ſic deſcribuntur, Quæ id quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quocumque alio modo ad aliud referuntur. id eſt, quę per ſe referuntur ad aliud vel in genitiuo, vel in alio, vel in nullo caſu. In genitiuo: vt ſcientia eſt rei ſcibilis ſcientia. In datiuo: vt ſimile eſt ſimili ſimile. In accuſatiuo: vt verberans verberatum verberat. In ablatiuo ſine præpoſitione: vt ſcibile eſt ſcientiâ ſcibile. In ablatiuo cum præpoſitione: vt verberatus à verberante verberatur. In nullo caſu: vt magnum dicitur reſpectu parui, & paruum reſpectu magni.

41 ¶ Horum relatorum proprietates quatuor ſunt. I. Habent contrarium: vt ſcientia eſt ignorantiæ contraria, & virtus vitio. Hæc proprietas non ineſt omnibus relatis: quia non conuenit patri & filio, duplo & dimidio, & aliis permultis. Rurſus conuenit etiam qualitati, vt albo & nigro: & actioni, vt calefacere & refrigerare: & paſſioni, vt calefieri & refrigerari. II. Contenduntur & remittuntur: vt ſimile dicitur magis vel minùs ſimile: & inæquale, magis vel minùs inæquale. Hæc proprietas nõ conuenit omnibus relatis: quia pater non dicitur

dicitur magis vel minùs pater:nec duplum, magis vel minùs duplum. Nec æquale, ſi propriè accipiatur, dici poteſt magis vel minus æquale.cùm autem dicitur magis vel minùs æquale,vt hic apud Ariſtotelem:tunc æquale ſumitur ἐν πλάτει, ita vt æquale dicatur,cuius inæqualitas ſenſu nō percipitur.Rurſus hæc proprietas non cōuenit omnibus relatis, ſed etiam aliis categoriis,vt qualitati,& actioni,& paſſioni. dicitur enim magis vel minùs album,vel calidum, vel frigidum : & magis vel minùs calefacere,refrigerare,calefieri, refrigerari. III. Referuntur ad ea quę reciprocantur:veluti cùm ſcientia referatur ad ſcibile,etiam mutuò ſcibile refertur ad ſcientiā: non tamen ſemper in eodem caſu. nam ſciētia refertur ad ſcibile in genitiuo,cum dicatur rei ſcibilis ſcientia : ſcibile verò refertur ad ſcientiam in ablatiuo , quia dicitur ſcientiâ ſcibile. Hæc proprietas non conuenit cuicumque relato,niſi aptè relatio fiat.verbi gratiâ,ſi ſeruus referatur ad hominē,& dicatur hominis ſeruus:reciprocationi nō eſt locus : quia non dicitur ſerui homo.at ſi ſeruus referatur ad dominum, & dicatur domini ſeruus:etiam reciprocè dicetur ſerui dominus. Sunt enim duo relationis termini:quorum primus , à quo incipit ac denominatur relatio,vocatur fundamentum relationis,alter, in quem deſinit relatio,appellatur correlatiuum, vt cùm ſeruus dicitur domini ſeruus : tunc ſeruus eſt fundamentum relationis,quæ nominatur ſeruitus:dominus autem eſt correlatiuum.at ſi dominus dicatur ſerui dominus:tunc dominus eſt fundamentum relationis, quæ vocatur dominium:ſeruus autem eſt correlatiuum.Omne igitur relatum,ad ſuum correlatiuum referri debet. Sed correlatiuum interdū habet nomen diuerſum a fundamēto relationis; vt pater refertur ad filium, dominus ad ſeruum,ſcientia ad ſcibile:interdum habet idem nomen ; vt cùm ſocius refertur ad ſocium, frater ad fratrem, æquale ad ęquale,ſimile ad ſimile:interdum nomine caret,vt id,ad quod refertur caput.Nā ſi referatur caput ad hominem, & dicatur hominis caput,nulla erit reciprocatio, nec dicetur capitis homo.Hoc autem caſu,quo correlatiuum nomine caret,nomen fingendum eſt,ſumpta appellatione ab ipſo relationis fundamēto.vt à capite dicendum capitatū.ſic reciprocabitur,& dicetur caput eſſe capitati caput,& capitatum eſſe capite capitatum. IV. Sunt ſimul naturâ:vt duplum & dimi-

dium.Hæc proprietas non cõuenit ſolis relatis, ſed etiam iis, quæ in eadem diuiſione ſibi inuicem opponuntur,id eſt,duabus differentiis oppoſitis,quę diuidunt idem genus, vt rationali,& irrationali,vt volucri & terreſtri & aquatili.inf.cap.13. partic.3.Rurſus non conuenit omnibus relatis, vt ex eo patet, quòd ſcibile eſt prius ſcientia,& ſenſibile eſt prius ſenſu:quãdoquidem res priùs eſt ſcibilis, quàm eius ſcientia habeatur: & priùs eſt ſẽſibilis,quam actu à ſenſu percipiatur.Adde,quòd elementa ſunt priora animalibus : cùm elementa ſint ſcibilia ac ſenſibilia,ſola autem animalia ſciant & ſentiant.

42 ¶ Hæc relata ſecundum dici, ſeu verbo tenus accepta, non conſtituunt categoriam relatorum. nam categoriæ conſtituuntur ex eo,quod res ſunt, non ex eo,quod dicitur. Itaque ſcientia eſt qualitas, quamuis verbo tenus referatur ad ſcibile. Item partes ſecundarum ſubſtantiarum ſunt in categoria ſubſtantiæ,licèt verbo tenus referantur ad totum,vt ſuprà dicebamus caput eſſe capitati caput. Quamobrem Ariſtoteles negat hæc eſſe verè relata,& eam eſſe veram & perfectam relatorum definitionem,quæ relatis ſecundum dici tributa fuit partic.40.

43 ¶ Re ipſa,vel ſecundum eſſe relata definiuntur, Quorum eſſentia eſt in relatione ad alterum conſtituta.

44 ¶ Horum relatorum proprietates duæ ab Ariſtotele proponuntur. I. Id quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur, vt ſuprà expoſui. nam quæ eſt definitio relatorum ſecundum dici, eadem eſt proprietas relatorum ſecundum eſſe. II. Alterum ſine alterò definitè non cognoſcitur. vtputà non potes definitè ac certò ſcire aliquid eſſe duplum,quin ſcias cuius ſit duplum: nec potes liquidò ſcire aliquem eſſe patrem, niſi ſcias cuius ſit pater.

Cap. VIII.

De qualitate,& quali.

45 QValitas eſt,ex qua dicuntur quales.

Ca.p8. 46 ¶ Qualitatis ſpecies ſunt quatuor. I. Habitus & affectio. II. Naturalis facultas & imbecillitas. III. Paſſio & patibilis qualitas. IV.Figura ſeu forma externa.

47 ¶ Habitus & affectio differunt. I. Quia habitus eſt firmior & diuturnior. vt cùm quis leuiter ſcientiam aliquam attigit, dicitur eſſe aliquo modo affectus: cùm autem eam perfectè didicit, habitum contraxiſſe dicitur. II. Quia habitus poteſt vocari affectio, non contrà. etenim quicumque habitum contraxit, eo eſt affectus: at non quicumque eſt affectus, etiam habitum contraxit.

48 ¶ Vtrumque refertur ad vnam & eandem qualitatis ſpeciem, cùm ob rationem modò expoſitam, quia nomen affectionis poteſt habitui tribui; tum etiam quia eadem ſpecies qualitatis, vt virtus, aut ſcientia, initiò vocatur affectio, poſtea, cùm magis confirmata eſt, appellatur habitus.

49 ¶ Similiter naturalis facultas & imbecillitas conſtituunt vnam ſpeciem: quoniam eadem qualitas diuerſo reſpectu vtrumque nomen ſortitur. vt durum habet facultatem ad reſiſtendum ſecanti, & imbecillitatem ad hoc vt ſecetur. contrà molle habet facultatem ad recipiendam ſectionem, & imbecillitatem ad reſiſtendum ſecanti.

50 ¶ Paſſionis verbum eſt homonymum: quia interdum accipitur pro patibili qualitate, interdum pro categoria Pati, diſtincta à categoria qualitatis: túncque paſſio dicitur, quæ facilè amouetur, vt rubor propter verecundiam: patibilis autem qualitas dicitur, quæ firmiùs inhæret, ac vel nullo modo, vel non facilè amoueri poteſt, vt rubor ab ortu innatus. Nam ab hac quales appellantur, vt rubri: à paſſione verò minimè: verbi gratiâ ruber non dicitur, qui propter verecundiam erubeſcit.

51 ¶ Patibiles qualitates partim in anima inſunt, vt amentia, iracundia, partim in corpore, vt albor, nigror, dulce, amarum.

52 ¶ Hæ corporeæ qualitates patibiles nominantur, vel quia paſſione ſenſum afficiunt, vt dulcedo, & amaror, vel quia à paſſione aliqua proficiſcuntur, vt albor, nigror, rubor, & alij colores.

53 ¶ Forma externa & figura inter ſe differunt vt naturale & mathematicum. nam propriè loquendo, forma tribuitur rebus naturalibus, figura rebus mathematicis, vt rectum, obliquum, angulis præditum, angulis carens.

54 ¶ Rarum,denſum,aſperum,læue,non ſunt ſpecies qualitatis,ſed ſitus: ſignificãt enim partium corporis poſitionem: quandoquidem denſum eſt,cuius partes ſibi inuicẽ proximæ ſunt:rarum,cuius partes à ſe inuicem diſtant:læue, cuius partes in rectum quodam modo poſitæ ſunt:aſperum, cuius pars eminet,pars depreſſa eſt.

55 ¶ Quale eſt, quod à qualitate vel denominatur, vt à iuſtitia iuſtus;vel alio modo dicitur,vt à currendi facultate curſorius,ἀπὸ τῆς ἀρετῆς σπουδαῖος,à virtute ſtudioſus.Quod igitur à qualitate non denominatur,ſed alio modo dicitur,in duplici eſt differentia.quandoque enim deſideratur nomen qualitatis,vt facultas currendi nomine vacat: quandoque etſi qualitati nomen eſt impoſitum, tamen ab ea quale non denominatur:vt virtute prȩditus non denominatur à virtute,quia vocabulum *virtuoſus* non eſt in vſu.

56 ¶ Proprietates huius categoriæ ſunt quatuor. I. Recipit contrarietatem:vt album eſt contrarium nigro, & iuſtitia iniuſtitiȩ.Hȩc proprietas neque cõuenit toti huic categoriæ, quia figurȩ triangulari,vel quadratæ, vel ſimili nihil eſt contrarium: neque huic ſoli categoriæ, ſed etiam aliis, vt docui ſuprà partic.41.memb.1. II. Si duorum contrariorum alterum ſit in hac categoria, neceſſe eſt alterum quoque ad eandem referri. veluti ſi iuſtitia eſt qualitas, etiam iniuſtitia eſt qualitas.Patet autem hanc proprietatem non conuenire omnibus qualitatibus & qualibus:quia iam docui quibuſdam nihil eſſe contrarium. III. Recipit contentionem ac remiſſionem. Hanc proprietatem conuenire etiam aliis categoriis, docui ſuprà partic. 41. membr. 2. Nunc notandum eſt,hanc proprietatem non conuenire omnibus qualitatibus primi generis,licèt conueniat qualibus inde denominatis.exempli cauſâ,non dicitur magis vel minùs ſanitas, vel grammatica, ſed magis vel minùs ſanus,aut grammaticus. Rurſus notandum eſt, hanc proprietatem non conuenire qualitatibus quarti generis,vt triangulo,& quadrato. IV. Ratione qualitatis dicuntur res ſimiles,vel diſſimiles.Hȩc proprietas conuenit huic categoriæ toti,& ſoli.

CAP.

CAP. IX.

De actione, & paſſione, & reliquis categoriis.

57 Actio eſt, ſecundum quam agens dicitur in ſubiectam materiam agere: vt calefacere, refrigerare. Cap. 9.

58 ¶ Actionis diuiſiones duæ notentur. I. Vel eſt immanens, quę in externam materiam non tranſit, vt contemplari: vel tranſiens in externam materiam, vt ſecare. II. Aut eſt naturalis, vt cùm lapis deſcendit; aut violenta, vt cùm lapis adſcendit: aut voluntaria, vt diſſerere: aut fortuita, vt fodientem terram inuenire theſaurum.

59 ¶ Proprietates actionis ſunt quatuor. I. Recipit contrarietatem, vt calefacere, & refrigerare. II Intenditur, & remittitur. dicitur enim aliquid magis, vel minùs calefacere, vel refrigerare. Has proprietates etiam qualibus, & nonnullis relatis ſuprà tribui, & paſſioni mox tribuam. III. Non ſine motu fit, qui ab agente procedit. Hæc proprietas conuenit etiam paſſioni. IV. Infert paſſionem. veluti ſi quid calefacit, neceſſe eſt aliquid calefieri. Hæc proprietas omni & ſoli actioni conuenit.

60 ¶ Paſſio eſt, ſecundum quam ſubiectum dicitur pati.

61 ¶ Paſſionis duplex diuiſio notetur. I. Alia eſt animi, vt triſtari, lætari: alia corporis, vt calefieri, refrigerari. II. Alia eſt corruptiua, quæ ſubiectum de ſuo ſtatu dimouet, vt calefieri: alia perfectiua, quæ ſubiectum non corrumpit, ſed omnino perficit, quantacumque ſit, vt diſcere.

62 ¶ Proprietates paſſionis ſunt quatuor. I. Recipit contrarietatem: vt calefieri, & refrigerari. II. Intenditur, & remittitur. dicitur enim aliquid magis, vel minùs calefieri, aut refrigerari. III. Non fit ſine aliquo motu. Has proprietates non conuenire ſoli paſſioni, conſtat ex his quæ dicta ſunt partic. 59. IV. Infert actionem. veluti ſi quid calefit, neceſſe eſt aliquid calefacere. Hæc proprietas omni & ſoli paſſioni conuenit.

63 ¶ Quando eſt, ſecundum quod aliquid dicitur eſſe in tempore: vt cras, heri, nudiuſtertius.

64 ¶ Proprietates huius categoriæ ſunt tres. I. Nihil habet contrarium. II. Nec intenditur, nec remittitur. Hæc pro-

prietates conueniunt etiã aliis categoriis,vt ſubſtantiæ,quantitati,& vbi. III. Ad eas tantùm res pertinet, quæ ortui & interitui ſunt obnoxiæ.Nam Deus non eſt in tempore,quod fluit,ſed in æuo permanente. idcirco omnia dicũtur eſſe Deo præſentia, nihil præteritum,nihil fururum. Hæc proprietas conuenit omni & ſoli quando.

65 ¶ Vbi eſt,ſecundum quod aliquid dicitur eſſe in loco.

66 ¶ Accipitur autem tribus modis:circumſcriptiuè,definitiuè, & repletiuè. primus modus eſt phyſicus: reliqui duo theologici.Primo modo corpus eſt in loco: ſecundo modo angeli,& humanus intellectus à corpore ſeparatus:tertio modo Deus.nam corpus à loco circumſcribitur: angelus à loco definitur,ac terminatur,quia non eſt infinitus: Deus, cùm ſit infinitus,nec circumſcribitur,nec terminatur, ſed omnia replet ſua virtute omnipotente.

67 ¶ Loci phyſici proprium eſt, I. Non intendi, nec remitti, II. Nihil habere contrarium, III. Circunſcribere corpus locatum.Hæc poſtrema eſt vera proprietas, quæ conuenit omni & ſoli. nam duas priores conuenire etiam aliis categoriis,patet ex ſuprà notatis.

Cap.10. 68 ¶ Situs eſt partium corporis apta diſpoſitio:vt ſtare,ſedere,iacere.

69 ¶ Proprietates ſitus ſunt tres. I. Non habet contrarium. II. Non contenditur,nec remittitur.Ex dictis conſtat, has proprietates conuenire etiam aliis categoriis. III. Partium corporis inter ſe reſpectum ſignificat à poſitione ſumptum: vt cùm aliquis ſtat, caput eſt ſuperius cęteris partibus: cùm iacet,caput non eſt ſuperius,ſed æquo loco.

70 ¶ Habere,eſt circa corpus vel partem corporis aliquid adiacere.

71 ¶ Eſt igitur duplex: alterum in parte, vt habere annulum in digito:alterum in toto,vt togatum eſſe,armatũ eſſe.

72 ¶ Proprietates huius categoriæ ſunt tres. I. Nihil contrarium habet. II. Non intenditur,nec remittitur.Has proprietates iam ſcimus etiam aliis categoriis cõuenire. III. Significat relationem corporis habentis erga externum corpus quod habetur. Hæc ſignificatio eſt huius categoriæ propria, nec vlli alij competit.

Cap. X.

De oppoſitis.

73 Oppoſitorum genera ſunt quatuor. I. Relata: vt pater,& filius. II. Contraria: vt album,& nigrum. III. Priuantia:vt videns,& cæcus. IV. Contradicentia: vt,omnis homo eſt iuſtus,non omnis homo eſt iuſtus. Cap. 11.

74 ¶ De relatis ſuprà dictum fuit prolixè: & inter cętera dictum eſt,relata id ipſum quod ſunt,ad ſua correlatiua referri: vt pater dicitur relatione habita ad filium, & duplum dicitur reſpectu dimidij.

75 ¶ Contraria duobus modis diuiduntur. I. Aut ſunt ſimplicia, vt album & nigrum: aut in oratione ſpectantur, vt, omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus. II. Alia ſunt immediata, alia mediata. Immediata ſunt, quorum alterum neceſſe eſt ineſſe in ſubiecto ad ea recipienda apto: vt omnis numerus neceſſariò eſt par, vel impar. Mediata ſunt, quorum vtrumque à ſubiecto ad recipiendum apto abeſſe poteſt. verbi gratiâ, non eſt neceſſe vt omne corpus ſit album, aut nigrum: quia poteſt eſſe rubrum, aut viride: hi namque ſunt medij colores inter album & nigrum.

76 ¶ Porrò quæ media ſunt inter duo contraria, partim ſunt nominata, vt rubrum & viride albo & nigro interiecta: partim innominata, vt inter iuſtum & iniuſtum eſt id quod nec iuſtum nec iniuſtum eſt. Atque hæc dicuntur media per negationem extremorum:illa verò, media per participationem extremorum.

77 ¶ Vt priuatio rectè attribuatur, Primò debet attribui ſubiecto, quod poſſit habitum recipere: ideóque cæcitas rectè tribuitur homini,non lapidi. Secundò debet eo tempore attribui,quo ſecundum naturam habitus ineſſe poteſt.itaque vir, ſi careat dentibus, dicitur edentulus: infans verò nequaquam.

78 Aliud eſt priuatio, aliud eſt, priuatum eſſe: item aliud eſt habitus, aliud eſt habere habitum, ſiue habitu præditum eſſe: ſed idem eſt oppoſitionis modus inter priuatum eſſe & habere habitum, qui eſt inter priuationem

& habitum. Similiter aliud eſt affirmatio & negatio, aliud res affirmata vel negata: ſed eadem oppoſitio eſt inter rem affirmatam & rem negatam, quæ eſt inter affirmationem & negationem.

79 ¶ Notetur duplex diſcrimem inter contraria, & priuantia. I. Contrariorum immediatorum ſemper neceſſe eſt alterum in ſubiecto ad recipiendum apto ineſſe; vt ſemper neceſſe eſt hominem vel bene valere, vel ægrotare: mediatorum autem vel vtrumque poteſt abeſſe, vt aliquod corpus nec eſt album, nec nigrum, ſed rubrum aut viride; vel definitè vnum ſemper ineſt, vt ignis ſemper calefacit, numquam refrigerat: priuantium autem aliquando vtrumque abeſt, aliquando alterutrum ineſſe neceſſe eſt; vt homo recens natus, nec habet dentes, nec eſt edentulus; quando autem naturâ comparatum eſt vt dentes habeat, tunc vel habet dentes, vel eſt edentulus. II. In contrariis eſt regreſſus, vt idem homo poteſt ex ſano fieri ægrotus, & ex ægroto ſanus: à priuatione autem ad habitum non datur regreſſus, vt videns poteſt aſpectum perdere, ſed oculis captus non poteſt aſpectum recipere. Hoc intellige de priuatione, quæ non ſolum actum, ſed etiam poteſtatem tollit. alioqui multa exempla obſtabũt: vt tenebræ ſunt priuatio luminis, & in aëre lumen & tenebræ ſibi inuicem ſuccedunt.

80 ¶ Contradicentium proprium eſt, omnimodò alterum eſſe verum, alterum falſum: vt omnis homo eſt albus, non omnis homo eſt albus: item Socrates eſt iuſtus, Socrates non eſt iuſtus. Nam oppoſitis ſimplicibus, vt patri & filio, videnti & cæco, albo & nigro, neque veritas neque falſitas conuenit: contrariæ verò orationes poſſunt eſſe ambæ falſæ, vt omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus. item mortuo Socrate, vtræque hæ orationes contrariæ ſunt falſæ, Socrates valet, Socrates ægrotat.

Cap. XI.

De contrarijs.

81 QVod eſt bono contrarium, vt iuſtitiæ iniuſtitia, neceſſariò eſt malum. Quod autem malo eſt contrarium, modò eſt bonum, vt iniuſtitiæ contraria eſt iuſtitia: modò malum, vt profuſioni contraria eſt auaritia.

82 ¶ Vnum

82 ¶ Vnum contrarium ſine altero eſſe poteſt, vt ſanitas ſine morbo. nam ſi omnes ſint ſani, nemo ægrotat: & ſi Socrates bene valeat, Socrates non ægrotat.

83 ¶ Subiectum contrariorum vel eſt vnum ſpecie, vt iuſtitia & iniuſtitia ſpectantur in homine: vel vnum genere, vt ſanitas & morbus ſpectantur in animali, albor & nigror in corpore.

84 ¶ Contraria vel ſunt in eodem genere, vt albor & nigror ſunt ſpecies coloris: vel in contrariis generibus, vt iuſtitia eſt ſpecies virtutis, iniuſtitia eſt ſpecies vitij: vel contraria genera, vt bonum, & malum.

CAP. XII. Cap.12.

De priori.

85 PRius dicitur tribus modis: tempore, naturâ, ordine.

86 ¶ Tempore prius eſt, quod eſt vetuſtius, vt bellum Troianum bello Carthaginenſi.

87 ¶ Naturâ prius accipitur tribus modis. I. Id quod non reciprocatur ſecundum exiſtendi conſecutionem: vt vnum eſt prius duobus: quia ſi duo ſint, vnum quoque eſt: at ſi eſt vnum, non propterea ſunt duo. Hoc modo genus eſt prius ſpecie: quia ſi ſit (exempli gratiâ) homo, neceſſario eſt animal: ſed ſi ſit animal, non continuò eſt homo, cum poſſit eſſe equus, vel aſinus. II. Quod eſt præſtantius. quæ quidem ſignificatio eſt maximè impropria. III. Cauſa eſt prior effectu, vt ſol lumine.

88 ¶ Ordine prius eſt, quod priori loco collocatur, vt procemium narratione, narratio probatione, probatio epilogo.

CAP. XIII. Cap.13.

De modis Simul.

89 SImul dicitur duobus modis. I. Tempore: vt Cæſar & Pompeius. II. Naturâ: vt relata, veluti pater & filius: & quæ in eadem diuiſione ſibi inuicem opponuntur, vt in animalis diuiſione rationale & irrationale.

CAP. XIIII. Cap.14.


De motu.

90 MOtus eſt actus, quem mobile, quatenus mobile, habet à mouente.

91 ¶ Motus genera quatuor ſunt: quia ſpectatur in quatuor categoriis. I. In ſubſtantia ortus & interitus. Ortus eſt motus

à nõ eſſe ad eſſe. Interitus eſt motus ab eſſe ad non eſſe. II. In quantitate auctio & deminutio Auctio eſt motus à minori quantitate ad maiorem. Deminutio eſt motus a maiori quan titate ad minorem. III. In qualitate variatio, quæ eſt motus in contrariam qualitatem, vt ex albo in nigrum, & ex nigro in album. IV. In categoria vbi, motus localis: qui eſt à loco ad locum, vt adſcenſus, & deſcenſus.

92 ¶ Nõ eſt neceſſe id quod variatur, augeri vel minui: neque id quod augetur vel minuitur, variari. vt quadratum a b d c, addito gnomone e b g, fit maius, non tamen variatur, quia figura eadem manet.



93 ¶ Motui opponitur quies, vt habitui priuatio. & ſpeciali motui opponitur ſpecialis quies, vt motui locali quies in loco.

94 ¶ Præterea motus motui contrarius eſt: vt ortui interitus, auctioni deminutio, dealbationi denigratio, adſcenſui deſcenſus.

Cap. XV.

De modis habendi.

Cap.xv. 95 HAbere dicitur ſeptem modis. I. Qualitatem, vt alborem, vel ſcientiam. II. Quantitatem, vt magnitudinem duorum, vel trium cubitorum. III. Circa corpus, vt veſtimentum; vel circa partem corporis, vt annulum. IV. Partem, vt manum, vel pedem. V. Rem contentã, vt vas aquam. VI. Rem poſſeſſam, vt domum, vel agrum. VII. Coniugem, vt virum, aut vxorem. Hæc ſignificatio ſecundum Ariſtotelem impropria eſt, & tantùm cohabitationem notat. Ex his ſola tertia ſignificatio categoriam habendi conſtituit.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

TOMVS I. LIBER III.

LOGICORVM TERTIVS.

DE INTERPRETATIONE.

CAP. I.

De interpretatione.

QVATVOR ſubordinata ſunt:res, mentis conceptus,vocabula,& literæ ſeu ſcriptura. Res eſt, vt equus.mentis conceptus, ſunt rerum ſimulacra, vt equi intellectio. vocabula ſunt conceptuum notæ:vt cum aliquis profert hoc nomen *equus*, auditor equum mente concipit. literæ ſunt notæ vocabulorum:nam quibuſcum loqui propter abſentiam nō poſſumus, erga eos ſcriptura vtimur. Lib. 5. Cap. 1.

2 ¶ Res & conceptus ſunt à natura,ideóque pro gentium varietate non variant.ſed vocabula & ſcripturę ſunt ex hominum inſtituto, proinde apud alios alia ſunt: vt idem ab Hebræis vocatur אדם.Adam, à Græcis ἀνθρωπος, a Latinis homo. Loquor enim de vocibus articulatis, quàlia ſunt nomina & verba,quæ ſcribi pôſſunt. nam belluarum voces inarticulatæ & illiteratæ,vt latratus canũ,& vlulatus luporũ, ſunt à natura.

3 ¶ Cum vocabula interpretentur conceptus animi noſtri,merito ab Ariſtotele vocantur interpretationes.

4 ¶ Et ex diuiſione conceptuũ ſumitur diuiſio interpretationis.vt.n.conceptuũ alij ſunt ſimplices,veritatis & falſitatis expertes,vt intellectio equi,aut ligni;alij coniuncti,qui in cōpoſitione vel diuiſione ſpectãtur,&neceſſariò sũt veri aut falſi,vt hominẽ currere,hominẽ nõ currere:ita etiã alia sũt ſimplicia vocabula,nec verũ nec falsũ ſignificãtia, vt nomẽ *homo*, & verbũ *curro*;alia coniũcta, in quibus veritas aut falſitas cer-

nitur,quia vel affirmant, vt *homo currit*; vel negant, vt *homo non currit*. Hinc apparet aliam eſſe ſimplicem interpretationem, veri & falſi expertem; aliam coniunctam, quæ eſt vera, aut falſa.

5 ¶ Simplex interpretatio in nomen & verbum ſubdiuiditur.

CAP. II.

De nomine.

Cap. 2. 6 NOmen eſt vox ſignificans ex inſtituto, ſine tempore, cui⁹ nulla pars ſeorſum aliquid ſignificat. vel breuius, Nomen eſt interpretatio, ſine adſignificatione temporis, cuius nulla pars ſeparata ſignificat. Nam vox ſignificans ex inſtituto, nihil aliud eſt, quam interpretatio.

7 ¶ Hæc definitio ſumitur a materia, forma, & efficiente. Nam interpretationis materia eſt vox. 5. de generatione animalium, cap. 7. ſignificatio eſt eius forma: hominum inſtitutum eſt efficiens.

8 ¶ Notandum eſt, propriè loquendo, aliud eſſe ſignificationem, aliud adſignificationem, aliud conſignificationem. ſignificatio eſt principalis: adſignificatio ſignificationi accedit: conſignificatio in oratione ſpectatur. Nomen ſignificat aliquem conceptum, vt curſus. verbũ ſignificat conceptum, & adſignificat tempus: vt *currit*, ſignificat curſum in tẽpore præſenti: & præterea conſignificat, quatenus connectit partes orationis; vt cùm dico, *homo currit*, connecto curſum cum homine. ſyncategoremata neque ſignificant, neque adſignificant, ſed tantum conſignificant, vt præpoſitiones, & coniunctiones: proinde non ſunt interpretationes.

9 ¶ Quod igitur in nominis definitione dictum eſt, *ſine tempore*, non ita debet accipi, quaſi nullum nomen ſignificet tempus: hæc enim nomina, *tempus*, *annus*, *menſis*, *dies*, ſignificant tempus. ſed nullum nomen adſignificat tempus: quia ita rem aliquam ſignificat, vt non adſignificet quando illa res ſit. vt hoc nomen, *curſus*, non ſignificat quando currat: & *tempus*, vel *nox*, non ſignificat, quando tempus, vel nox ſit.

10 ¶ Pars nominis non ſignificat ſeparatim. nec refert, vtrum ſit nomen ſimplex, an compoſitum. vt ſyllaba *ho*, quę eſt pars ſimplicis nominis *homo*. per ſe nihil ſignificat: & *omni*, quę eſt pars compoſiti nominis *omnipotens*, nihil per ſe ſignificat.

Prima

Prima quidem facie videri poteſt pars nominis compoſiti aliquid per ſe ſignificare, vt potens, quæ eſt pars nominis *omnipotens*: ſed hoc falſum eſt: quia nomẽ, ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſitum, vnam rem ſignificat. quòd ſi partes nominis compoſiti ſignificarent ſingulæ per ſe, iam nomen compoſitum plura ſignificaret: immo non eſſet vnum nomen, ſed plura. verbi gratia, non eſſet vnum nomen, *omnipotens*: ſed duo, *omni*, & *potens*.

11 ¶ Nomen propriè dicitur, quod eſt finitum & rectum, vt *homo, homines*: hoc enim certam ſignificationem habet: & cum verbo *eſt*, coniunctum, veram aut falſam orationem efficit. Huic ſi negãdi aduerbium præponatur, infinitum nomen fiet, quod non ſignificat certam rem, ſeu certum conceptum, ſed quiduis præter id quod negatur. verbi gratiâ, *non-homo* quidlibet ſignificat præter hominem: ſiue illud ſit, vt equus eſt non-homo: ſiue non ſit, vt chimæra eſt non-homo. Si verò nomen per caſus inflectatur, fient caſus nominis, vt *Catonis, Catoni*: qui coniuncti cum verbo *eſt*, nec verum nec falſum ſignificant.

CAP. III.

De Verbo.

12 VErbum eſt vox, quæ ſignificat ex inſtituto, & adſignificat tempus, & conſtat ex partibus nihil per ſe ſignificantibus, & conſignificat nexum attributi cum ſubiecto. vel breuius, Verbum eſt interpretatio ſimplex, quæ adſignificat tempus, & vim habet nectẽdi attributum cum ſubiecto. Cap. 3.

13 ¶ Tres igitur ſunt verbi vires: ſignificatio alicuius rei ſeu conceptus: adſignificatio temporis, & conſignificatio illius nexus, qui eſt inter ſubiectum & attributum. prima eſt illi communis cũ nomine: reliquæ duæ ſunt eius propriæ. ſed poſtrema vis in oratione non apparet. vt in hac oratione, *homo currit*, verbum *currit*, connectit curſum cum homine: ſed hic nexus non apparet in ſolo verbo *currit*, vt in oratione, *homo currit*.

14 ¶ Quæ differentia eſt inter nomen finitum, vt *homo*, & nomen infinitum, vt non-homo: eadem eſt inter verbum finitum, vt *currit*, & verbum infinitum, vt non-currit.

15 ¶ Et vt ex nominis declinatione fit caſus nominis, ita

ex verbi inflexione fit caſus verbi. dicitur enim propriè verbum, quod eſt indicatiui modi, ac præſentis temporis, non habita ratione perſonæ, aut numeri: vt *curro, curris, currit, currimus, curritis, currunt.* Caſus autem verbi appellantur, quicunque ſunt in aliis temporibus, & modis, vt *currebam, curre, curreret, currere.*

16 ¶ Verbum *ſum, es, eſt,* quandoque non habet aliam vim, quàm conſignificandi, id eſt, nectendi partes enunciationis, vt *Deus eſt iuſtus:* quandoque præter eum nexum, ſignificat tẽpus, vt *Socrates eſt domi:* quandoque etiam ſignificat eſſe in rerum natura, ſiue eſſe ens, vt *motus eſt. Deus eſt, centaurus non eſt, chimera non eſt.* Primo, aut ſecundo modo acceptum, non eſt propriè verbum, ſed copula verbalis: tertio modo ſumptum, eſt verè & propriè verbum.

Cap. IV.

Cap. 4. *De oratione.*

17 ORatio eſt vox ſignificans ex inſtituto, cuius aliqua pars ſignificat ſeparatim. vel breuius, eſt interpretatio cõpoſita, vt *homo currit.*

18 ¶ Partes orationis ſunt dictiones, & ſyllabæ ex quibus dictiones conſtant, & interdum orationes. nam ex pluribus orationibus vna oratio componi poteſt. exempli cauſâ, huius orationis, *Quales ſunt in republica principes, tales reliqui ciues eſſe ſoleant,* variæ partes ſpectari poſſunt. vt puta hæc pars, *quales ſunt in republica principes,* eſt oratio: hæc pars, *ſunt,* eſt verbum: hæc pars, *principes,* eſt nomen: hæc pars, *prin.* eſt ſyllaba. Cum autem eſt oratio ſimplex, vt, *principes ſunt honorandi*, tunc eius partes ſunt ſyllabæ & dictiones, non orationes.

19 ¶ Commune igitur omni orationi eſt, habere aliquas partes nihil ſignificantes, nempe ſyllabas, & aliquas per ſe ſignificantes, nempe dictiones.

20 ¶ Enunciationis ſpecies octo ſunt. I. Enunciatiua: vt, *Deus nobis hæc otia fecit.* II. Vocatiua: vt, *ô pater, ô hominum, diuũq; æterna poteſtas.* III. Imperatiua, vel poſtulatiua: vt, *Muſa mihi cauſas memora.* IV. Interrogatiua: vt, *Quo te Mœri pedes?* V. Admiratiua: vt, ô ſecula, o mores! VI. Optatiua: vt, *ô mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos.* VII. Coniunctiua: vt, *Si fœtura gregem ſuppleuerit.* VIII. Infinitiua: vt, *tot voluere caſus.* Sed ceteris omiſſis, de enunciatiua, quæ ſola ad logicũ pertinet, dicẽdũ eſt.

21 ¶ Enun-

21 ¶ Enunciatio eſt oratio, quæ verum aut falſum ſignificat: vt *homo eſt iuſtus, homo non eſt iuſtus.*

Cap. V.

De enunciatione.

22 ¶ Enunciationum tres ſunt gradus. in primo ponitur ſimplex affirmatio: vt, *homo eſt iuſtus.* in ſecundo ſimplex negatio: vt, *homo non eſt iuſtus.* in tertio enunciatio compoſita: vt, *qui iuſtè agit, eſt iuſtus: qui iuſtè non agit, non eſt iuſtus.*

23 ¶ In omni enunciatione eſt verbum, vt *Socrates currit* vel caſus verbi, vt *Socrates currebat.* Ne dicas, in hac enũciatione, *Socrates non currit*, eſſe verbum infinitum. quamuis enim illud, *non currit*, per ſe acceptum, vocetur verbum infinitum: tamen in enunciatione dicitur verbum negatum.

24 ¶ Enunciatio vna dicitur vel ſignificatione, vt *Socrates eſt doctus:* vel coniunctione, vt *Socrates eſt doctus & prudens.* Similiter multæ enunciationes dicuntur, vel ratione ſignificationis, vt *canis mouetur:* (ſiquidem canis accipitur pro ſydere, & quadrupede, & piſce) vel ratione diſiunctionis, vt cùm auctores adhibent figuram, quam vocant ἐπιμονὴν, commorationem, veluti, *Numquàm debitum tibi ſoluam, numquam tibi ſatiſfaciam, ſemper tibi debebo, ſemper tibi manebo obſtrictus.*

25 ¶ Aliter enunciatio vna dicitur, aliter dictio vna. nam hæc vnum ſimplicem conceptum ſignificat, vt *homo:* illa verò vnum vni attribuit, vt *homo currit.* Omnis enim enunciationis partes duæ ſunt: ſubiectum, vt *homo*: & attributum, vt *currit.*

26 ¶ Simplex & vna enunciatio duobus modis diuidi poteſt. I. Vel affirmat, vt *voluptas eſt bona:* vel negat, vt *voluptas non eſt bona.* II. vel refertur ad tempus præſens, vt *Socrates docet:* vel ad præteritum, vt *Socrates docuit:* vel ad futurum, vt *Socrates docebit.*

Cap. VI.

De affirmatione, & negatione, & contradictione.

27 Enunciationis itaq; ſpecies duæ ſunt: affirmatio, & negatio. Affirmatio eſt enũciatio alicuius de aliquo: vt, *ho*

mo eſt iuſtus.Negatio eſt enunciatio alicuius ab aliquo:vt,*homo non eſt iuſtus*.

28 ¶ Cùm liceat affirmare & negare tam vere, quàm falſò:patet, quodcumque affirmatur, poſſe negari: & quicquid negatur,poſſe affirmari:adeo vt omni affirmationi negatio, & omni negationi affirmatio opponatur.

29 ¶ Contradictio accipitur duobus modis. I. Pro affirmatione, & negatione oppoſitis. II. Pro oppoſitione inter affirmationem,& negationem. Intellige opponi affirmationem & negationem,cùm vtrobique eſt idem attributum, & idem ſubiectum, ſine homonymia, ſine ambilogia, & ſine omni fallacia.

CAP. VII.

De enunciationibus vniuerſalibus,particularibus,indefinitis,& ſingularibus.

Cap.5. 30 Diuiditur etiam enunciatio in vniuerſalem, particularem,indefinitam, & ſingularem. quæ quidem diuiſio ſumitur a ſubiecto.Nam enunciatio vniuerſalis eſt, quæ habet ſubiectum vniuerſale,id eſt, quæ eſt de re vniuerſali vniuerſaliter accepta:vt,omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus.Particularis eſt,quę habet ſubiectum particulare,id eſt, quæ eſt de re vniuerſali particulariter accepta:vt, aliquis homo eſt iuſtus,aliquis homo non eſt iuſtus. Indefinita eſt, quæ habet ſubiectum indefinitum, id eſt, quæ eſt de re vniuerſali indefinitè accepta: vt homo eſt iuſtus, homo non eſt iuſtus. Singularis eſt,quæ habet ſubiectum ſingulare, id eſt, quæ eſt de aliquô indiuiduo: vt, Socrates eſt iuſtus, Socrates non eſt iuſtus.

31 ¶ Vniuerſales affirmatio & negatio ſunt contrariæ: quæ quidem non poſſunt eſſe ſimul veræ : ſed in materiâ neceſſariâ affirmatio eſt vera, negatio falſa, vt, omnis homo eſt animal,nullus homo eſt animal : in materia impoſſibili affirmatio eſt falſa, negatio vera,vt,vtomnis homo eſt lapis,nullus homo eſt lapis : in materia contingenti vtraque eſt falſa, vt,omnis homo eſt albus,nullus homo eſt albus.

32 ¶ Particulares affirmatio & negatio vulgò vocantur ſubcontrariæ,ab Ariſtotele contrariæ,2.Prior.cap. 8. partic. 2.

verbo

verbo tenus 2. Prior. c. 15. partic. 2. nec poſſunt eſſe ſimul falſę: ſed in materiâ neceſſariâ, affirmatio eſt vera, negatio falſa, vt, *quidam homo eſt animal, quidam homo non eſt animal:* in materia impoſſibili affirmatio eſt falſa, negatio vera, vt, *quidam homo eſt lapis, quidam homo non eſt lapis:* in materia contingenti vtraque eſt vera, vt, *quidam homo eſt albus, quidam homo non eſt albus.*

33 ¶ Indefinitæ appellantur contradicentes: ſed æquipollent particularibus: ideoque non poſſunt eſſe ſimul falſæ: ſed in materiâ neceſſariâ, affirmatio eſt vera, negatio falſa, vt, *homo eſt animal, homo non eſt animal:* in materiâ impoſſibili affirmatio eſt falſa, negatio vera, vt, *homo eſt lapis, homo non eſt lapis:* in materia contingenti vtraque eſt vera, vt, *homo eſt albus, homo non eſt albus.*

34 ¶ Vniuerſalis, & particularis, quarum altera affirmat, altera negat, vocantur cōtradicentes: & ſemper altera eſt vera, altera falſa. nam in materiâ neceſſariâ, vera eſt affirmatio, falſa negatio: vt, *omnis homo eſt animal, non omnis homo eſt animal:* item, *nullus homo eſt animal, aliquis homo eſt animal.* in materia impoſſibili, falſa eſt affirmatio, vera negatio: vt, *omnis homo eſt lapis, non omnis homo eſt lapis:* item, *nullus homo eſt lapis, aliquis homo eſt lapis.* in materia contingenti, falſa eſt vniuerſalis, vera particularis: vt, *omnis homo eſt albus, nō omnis homo eſt albus:* item, *nullus homo eſt albus, aliquis homo eſt albus.*

35 ¶ Singulares nominantur contradicentes: & ſemper altera eſt vera, altera falſa. nam in materia neceſſaria, vera eſt affirmatio, falſa negatio: vt, *Socrates eſt homo, Socrates nō eſt homo* in materia impoſſibili, falſa eſt affirmatio, vera negatio: vt, *Socrates eſt lapis, Socrates non eſt lapis.* in materia cōtingenti modò eſt vera affirmatio, modò negatio: vt, *Socrates currit, Socrates non currit.* ad dignoſcendum autem, vtra ſit vera, vtra falſa, nulla certa regula dari poteſt.

36 ¶ Vni affirmationi vna negatio contradicit. Plures tamen enunciationes vni opponi poſſunt diuerſis oppoſitionum generibus. vt in ſequenti exemplo,

1	2
omnis homo eſt iuſtus.	*nullus homo eſt iuſtus.*
aliquis homo eſt iuſtus.	*non omnis homo eſt iuſtus.*
3	4

Primæ ſecunda opponitur contrariè, quarta contradictoriè. ſimiliter ſecundæ prima opponitur contrariè, tertia contradictoriè. item tertiæ ſecunda contradicit, quarta eſt ſubcontraria. & quartæ prima contradicit, tertia eſt ſubcontraria. Sunt enim prima & ſecunda, contrariæ: tertia & quarta, ſubcontrariæ: prima & quarta contradicentes: ſecunda & tertia, contradicentes: prima & tertia, ſubalternæ: itidem ſecunda & quarta, ſubalternæ. Sed in ſubalternis nulla oppoſitio conſideratur, quia vel ambæ affirmât, vel ambæ negât. Quæ verò dixi, fortaſſe in ſequenti deſcriptione faciliùs apparebunt.



Cap. VIII.

De enunciatione vna, vel pluribus.

37 Qvamuis ſubiectum ſit vniuerſale, dummodo abſit homonymia & amphibologia, vna enunciatio rectè dicitur: vt, *omnis homo eſt albus.*

38 ¶ Si enunciationes ſint ambiguæ, non eſt neceſſe alteram partem contradictionis eſſe veram, alteram falſam. verbi gratiâ, *omnis canis latrat, non omnis canis latrat:* ſi canis accipiatur pro quadrupede, ſola affirmatio eſt vera: ſi pro piſce, ſola negatio eſt vera: ſi affirmatio ſit de quadrupede, negatio de piſce, vtraque eſt vera: contrà ſi affirmatio ſit de piſce, negatio de quadrupede vtraque eſt falſa.

Cap.

Cap. IX.

De enunciationibus ſingularibus in futurum collatis.

39 QVoniam futura contingentia æquè poſſunt eſſe,& non eſſe:idcirco quæ de his enunciantur,ſic ſe habent, vt neceſſe quidem ſit alteram partem contradictionis eſſe veram,alteram falſam, quatenus nec ambæ ſimul veræ eſſe poſſunt,nec ambæ falſæ: ſed vtra ſit vera,vtra falſa, definiri non poteſt, priuſquàm res accidat. verbi gratiâ, harum enunciationum,*cras erit bellum nauale*, *cras non erit bellum nauale:* vtra vera ſit, hodie definiri nequit: quia æquè poteſt contingere, vt cras ſit bellum nauale, & vt non ſit. dicimus tamen alteram eſſe veram,alteram falſam: quia neceſſe eſt, vt alterutrum accidat, etſi non eſt neceſſarium vt alterum potiùs eueniat,quàm alterum. Si obiicias: Cùm res eſt,verè dicitur eſſe,ergo antea verè dicebatur fore,ergo neceſſariò futura erat:reſpondebo hoc eſſe neceſſarium ex hypotheſi, id eſt,quia ſupponimus rem eſſe,non propriè & ſimpliciter neceſſarium.non ſolùm autem contingentia, ſed etiam falſa & impoſſibilia poſſunt dici neceſſaria ex hypotheſi: veluti neceſſe eſt,ſi aſinus volat,vt habeat alas. Cap.6.

Cap. X.

De enunciationibus ſecundi vel tertij adiacentis,finitis aut infinitis.

40 ENunciationum aliæ dicuntur eſſe ſecundi adiacentis,aliæ tertij adiacentis.Secundi adiacentis enunciatio dicitur, quæ conſtat ex nomine ſubiecto, & ſolo verbo attributo, vt *homo currit.* Tertij adiacentis enunciatio dicitur, quæ conſtat ex nomine ſubiecto,& nomine vel participio attributo,& copula verbali, quæ vocatur tertium adiacens,vt *homo eſt albus,homo eſt currens.* Lib.2. Cap.1.

41 ¶ Enunciationes ſecundi adiacentis vel conſtant ex nomine finito & verbo, vel ex nomine infinito & verbo: quarum illæ priori, hæ poſteriori loco collocantur: ſiue ſint enunciationes indefinitæ,veluti,

homo currit.	*homo non currit.*
non homo currit.	*non-homo non currit.*

Siue ſint definitæ,veluti.

omnis homo currit.	*non omnis homo currit.*
omnis non-homo currit.	*non omnis non-homo currit.*

15 ¶ Enunciationes tertij adiacentis vel habent attributum finitum,vel infinitum: & rurſus vel ſubiectũ finitum, vel infinitum.itaque diuiduntur in duas ſeparatas claſſes: ita vt enunciationes prioris claſſis comparentur inter ſe,& enũciationes poſterioris claſſis inter ſe: enunciationes verò poſterioris claſſis non comparantur cum enũciationibus prioris claſſis.In priori claſſe collocantur,quæ habent ſubiectum finitum:in poſteriori,quæ habent ſubiectum infinitum:in vtraque autem prior locus iis tribuitur, quæ habent attributum finitum:poſterior iis quæ habent attributum infinitum. Vtraque claſſis vel ex indefinitis, vel ex definitis enunciationibus deſcribi poteſt,vt in ſubiectis exemplis.

Prima claſſis ex enunciationibus indefinitis.

1	2
homo eſt iuſtus.	*homo non eſt iuſtus.*
homo non eſt non-iuſtus.	*homo eſt non-iuſtus.*
3	4

Prima claſſis ex enunciationibus definitis.

1	2
Omnis homo eſt iuſtus	*non omnis homo eſt iuſtus.*
non omnis homo eſt non-iuſtus.	*omnis homo eſt non iuſtus.*
3	4

Secunda claſſis ex enunciationibus indefinitis.

non

2	2
non-homo eſt iuſtus.	*non-homo non eſt iuſtus.*
non-homo non eſt non-iuſtus.	*non-homo eſt non-iuſtus*
3	4

Secunda claſſis ex enunciationibus definitis.

1	2
Omnis non-homo eſt iuſtus.	*non omnis non-homo eſt iuſtus.*
nō omnis non-homo eſt non iuſtus.	*omnis non-homo eſt non-iuſtus.*
3	4

Vt hæ claſſes intelligantur, notanda ſunt,quæ ſequuntur. I· Enunciationes prima & tertia affirmant: ſecunda & quarta negant. I I. Prima & ſecunda ſibi inuicem contradicunt: item tertia & quarta ſibi inuicem contradicunt. I I I. Quarta ſequitur primam & ſecunda tertiam: non è contrario prima quartam,aut tertia ſecundam,id eſt, conceſſâ primâ neceſſe eſt concedere quartam,&conceſſâ tertiâ neceſſe eſt cōcedere ſecundam. ſed neque cōceſſâ quartâ neceſſe eſt concedere primam, neque conceſſâ ſecundâ neceſſe eſt concedere tertiam. I V. Secunda & quarta poſſunt eſſe ſimul veræ. V. Prima & tertia indefinitæ poſſunt eſſe ſimul veræ. V I. Prima & tertia definitæ non poſſunt eſſe ſimul veræ.

43 ¶ Cùm ſubiectum definitum conſtet ex nomine, & nota, quam Græci προσδιορισμὸν appellant,quantitatem eius; nominis definiente: (ſunt autem notæ,vt omnis,nullus, aliquis) ſi velis ex ſubiecto finito facere infinitum,debes negandi aduerbium apponere nomini,non notæ. verbi gratiâ, ſit oratio definita ac finita,*omnis homo currit*: ſi vis eam reddere infinitam.non debes dicere,*non omnis homo currit*,ſed,*omnis non homo currit*. hoc enim modo eſt affirmatio infinita: illo modo eſt negatio finita.

44 ¶ Affirmatio & negatio, quæ ſubiecto non differunt.ſi altera attributum finitum habeāt,altera infinitum, æqui pollent:vt,*nullus homo eſt iuſtus*, & *omnis homo eſt non iuſtus*: item *aliquis homo eſt iuſtus*,& *non omnis homo eſt non iuſtus*,vel *ali-*

quis homo non eſt non-iuſtus: item, *Socrates non eſt iuſtus*, & *Socrates eſt non iuſtus*. Hoc excipio, quòd ſi ſubiectum non ſit, puta ſi Socrates non ſit, negatio poteſt eſſe vera, non item affirmatio: quia cùm Socrates non eſt, certè nec eſt iuſtus, nec eſt non iuſtus, Categor. cap. 10. partic. 24. & Prior. lib. 1. cap. vlt.

45 ¶ Itaque interrogans de re ſingulari, ex negatione aduerſarij poteſt colligere affirmationem infinitam: veluti, *Eſt-ne Socrates ſapiens? minimè. ergo Socrates eſt non ſapiens.* Sed interrogans de re vniuerſali vniuerſaliter accepta, ex negatione aduerſarij non debet colligere affirmationẽ vniuerſalem infinitam, (veluti, *Eſt-ne omnis homo iuſtus? nequaquam. ergo omnis homo eſt-non iuſtus*) ſed negationem particularem finitam, *ergo non omnis homo eſt iuſtus.*

46 ¶ Homo, & non homo, non ſunt affirmatio, & negatio, ſed nomen finitum, & nomen infinitum: item currit, & non currit, non ſunt affirmatio, & negatio, ſed verbum finitum, & verbum infinitum: quæ nec verum, nec falſum ſignificant.

47 ¶ Enunciatio habens ſubiectum infinitum, non poteſt æquiualere vlli enunciationi habenti idem ſubiectum finitum. Sed enunciatio habens attributum infinitum, poteſt æquiualere enunciationi habenti idem attributum finitum. Quod verum eſt, ſiue earum ſubiectum ſit finitum, vt in exemplis propoſitis in partic. 43. ſiue ſit infinitum, vt *omnis non-homo eſt non-iuſtus*, & *nullus non-homo eſt iuſtus.*

48 ¶ Tranſpoſitio nominis & verbi non mutat ſignificationem enunciationis: vt, *homo eſt iuſtus, eſt homo iuſtus, eſt iuſtus homo.* Sed ſi negandi aduerbium tranſponatur, alia atque alia fit enunciatio: vt, *homo non eſt iuſtus, non-homo eſt iuſtus, homo eſt non iuſtus.*

CAP. XI.

De enunciationum coniunctione, ac diuiſione.

Cap. 2. 49 INterrogatio, vt & enunciatio, multiplex eſt vel ob multitudinem vocabulorum, vt, *eſt-ne homo albus ambulans?* vel ob aliquam ambiguitatem, vt, *latrát-ne canis?*

50 ¶ Ad multiplicem reſponſionem dialecticus non debet vnam reſponſionem afferre: alioquin peccat, etiamſi non mentiatur: veluti, *monetúrne canis? vtique.* ſed quot ſunt inter-

interrogationes,tot debent eſſe reſponſiones: veluti, *latrát-ne canis? quadrupes latrat: ſydus & piſcis non latrant.* Rurſus, *mouetur-ne canis? ſydus in orbem fertur: quadrupes incedit, piſcis natat.*

51 ¶ Ad interrogationem autem quid eſt, non tenetur dialecticus reſpódere: quia non eſt interrogatio dialectica, cùm reſpondenti non det optionem affirmandi vel negandi. Sed interrogans, definitione aliqua allata, rectè quærit, an ea ſit bona definitio, nécne. & ad eiuſmodi interrogationem dialecticus reſpondere debet: veluti, *Eſt-ne homo, animal rationale mortale, an non?* vel, *animal rationale mortale, eſt-ne hominis definitio, an non?*

52 ¶ Si ſeparatim duo attributa verè dicantur de eodem ſubiecto, ex iis vnum attributum fieri poteſt: veluti, *homo eſt animal, homo eſt bipes, ergo eſt animal bipes.* item, *Socrates eſt homo, Socrates eſt albus, ergo Socrates eſt homo albus.* Excipitur I. Niſi vtrumque attributum dicatur ex accidenti, id eſt, alterum de altero, vel vtrumque de ſubiecto, verbi gratiâ, *homo eſt albus, homo eſt muſicus*: non licet autem ex albo & muſico efficere vnum attributum, ac dicere hominem eſſe album muſicum, quia album & muſicum tam ſibi inuicem, quàm ſubiecto attribuuntur ex accidenti: id eſt, hæ omnes attributiones ſunt accidentales, *homo eſt albus, homo eſt muſicus, album eſt muſicum, muſicum eſt album.* quocirca ex albo & muſico non fit vnum, vt ex animali & bipede fiebat: Similiter, *Socrates eſt ſutor, Socrates eſt bonus*: ne inde colligas Socratem eſſe ſutorem bonum, ob rationé expoſitam. II. Niſi alterú attributú in altero inſit vel expreſſè vel tacitè. verbi gratiâ rectè dicitur, *Socrates eſt homo albus*: &, *Socrates eſt albus*: non tamen rectè dicitur, *Socrates eſt homo albus albus*: quia in illo attributo, *homo albus*, expreſſè *albus* ineſt. quare hoc nomen, *albus*, repeti non debet in eadem enunciatione. Rurſus verè dicitur, *Socrates eſt homo*: &, *Socrates eſt animal*: ſed malè dicitur, *Socrates eſt homo animal*: quia in homine animal tacitè ineſt: ſiquidem non poteſt eſſe homo, quin ſit animal. vnde qui dicit eſſe hominem animal, bis dicit eſſe animal, quod in locutione vitium eſt, & à Græcis tautologia, à Latinis nugatio appellatur.

53 ¶ Quę cóiúctim attribuútur, etiá ſeparatim attribui poſ-

ſunt: veluti, *Socrates eſt homo albus*, ergo *Socrates eſt albus*. Excipitur I. Niſi in attributis ſit repugnantia. exempli causâ, verè dicitur, *Socrates eſt homo mortuus*: falsò dicitur, *Socrates eſt homo*: quia inter hominem & mortuum eſt repugnantia quædam: adeo vt qui dicit eſſe hominem mortuum, dicat non eſſe verum hominem: proinde non poſſit inde inferre ſimpliciter eſſe hominem: prop terea quòd ita demum verè dicitur eſſe homo ſimpliciter, & ſine adiectione, ſi ſit verùs homo: cum adiectione verò aliqua dici homo poteſt, qui non eſt verus homo, vt *homo mortuus*, *homo pictus*. II. Excipiuntur attributa per accidens. vt putà verè dicitur, *Homerus eſt poëta*. non tamen propterea verè dicetur, *Socrates eſt*: quia illud, *eſt*, non per ſe, ſed ex accidenti attribuitur Homero, id eſt, vt cum eo connectatur attributum, *poëta*. Hac ratione diſſoluitur eorum argumentum, qui ita colligunt: *Non ens eſt opinabile: ergo non-ens eſt*. nam ex dictis conſtat hanc conſequentiam prauam eſſe.

Cap. XII.

De oppoſitione enunciationum modificatarum.

Cap. 3. 54 ENunciationibus inter cætera accidunt modi, à quibus modificatę enunciationes appellantur. Modificata igitur enunciatio eſt, quæ modum habet. Modus eſt vox ſignificans, quomodo attributum inſit ſubiecto.

55 ¶ Modus autem vel eſt aduerbium, vt *celeriter*, in hac enũciatione, *Achilles celeriter currit*: vel verbũ, vt *contingit*, in hac enunciatione, contingit Achillem currere: vel oratio, vt neceſſe eſt, in hac enunciatione, neceſſe eſt hominem mori.

56 ¶ Cùm autem modi quamplurimi ſint: præcipui, ad quos cæteri omnes referri poſſunt, ſunt quatuor, in præſentia conſiderandi: *neceſſe eſt*, *poſſibile eſt*, *contingit*, *impoſſibile eſt*.

57 ¶ Enunciationes ex his conſtantes diuiduntur in duas partes: quarum altera vocatur *dictum*: altera, *modus*: vt in hac enunciatione, *neceſſe eſt hominem mori*, dictum eſt, *hominem mori*, modus eſt, *neceſſe eſt*. Ac dictum quidem habet rationem ſubiecti, modus autem rationem attributi. Quocirca vt ex affirmatione fiat negatio oppoſita, negandi aduerbium modo apponi debet: quia ſi dicto apponatur, nihilominùs affirmatio erit: vt in ſequentibus exemplis.

Ex di-

Ex dicto affirmato.

Affirmationes.	Negationes.
Hominem currere eſt neceſſe.	*Hominem currere non eſt neceſſe.*
Hominem currere eſt poſsibile.	*Hominem currere non eſt poſsibile.*
Hominem currere contingit.	*Hominem currere non contingit.*
Hominem currere eſt impoſsibile.	*Hominē currere non eſt impoſsibile.*

Ex dicto negato.

Affirmationes.	Negationes.
Hominem non currere eſt neceſſe.	*Hominē non currere nō eſt neceſſe.*
Hominem non currere eſt poſsibile.	*Hominē non currere nō eſt poſsibile.*
Hominem non currere contingit.	*Hominem nō currere non contingit,*
Hominē nō currere eſt impoſsibile.	*Hominē nō currere nō eſt impoſsibile.*

Sic igitur affirmatio & negatio ſunt contradictoriæ: & ſemper altera eſt vera, altera falſa. Quòd ſi quis contradictionem ponat in dicto, non in modo: ſequetur euidens abſurditas, enunciationes contradicentes ſimul veras eſſe poſſe: veluti, *poſsibile eſt hominem currere, poſsibile eſt hominem non currere.* Apparet igitur, quam rationem in ſuperioribus enunciationibus habebat verbum, eandem hîc eſſe in modo.

CAP. XIII.

De conſecutione enunciationum modificatarum.

58 NOn eſt ignorandum, quomodo hæ modificatæ enunciationes, quas expoſui, ſe inuicem conſequantur. Id facilè apparebit in ſequenti deſcriptione, in qua enunciationes æquipollentes collocantur in eadem cellula, contradicentes autem ſunt è regione poſitæ.

Neceſſe eſt eſſe. *Non poſsibile eſt non eſſe.* *Non contingit non eſſe.* *Impoſsibile eſt non eſſe.*	*Non neceſſe eſt eſſe.* *Poſsibile eſt non eſſe.* *Contingit non eſſe.* *Non impoſsibile eſt non eſſe.*
Neceſſe eſt non eſſe. *Non poſsibile eſt eſſe.* *Non contingit eſſe.* *Impoſsibile eſt eſſe.*	*Non neceſſe eſt non eſſe.* *Poſsibile eſt eſſe.* *Contingit eſſe.* *Non impoſsibile eſt eſſe.*

In his exemplis verbum *eſſe*, habet rationem dicti, & ſubaudiendum eſt aliquid, vt oratio perfecta ſit: verbi gratiâ, *neceſſe eſt hominem eſſe iuſtum*, *non neceſſe eſt hominem eſſe iuſtum.* & ita de ceteris ſentiendum.

Cap. XIV.

Quæ ſint enunciationes contrariæ.

Cap. 4

59 ENunciationum oppoſitio ſpectatur potiùs in affirmatione & negatione eiuſdem attributi de eodem ſubiecto, quàm in duabus affirmationibus contrariorum attributorum. Exempli gratiâ, huic affirmationi, *omnis homo eſt iuſtus*, magis contraria eſt hæc negatio, *nullus homo eſt iuſtus*, quàm hæc affirmatio, *omnis homo eſt iniuſtus*. Similiter huic affirmationi, *Socrates eſt iuſtus*, magis contradicit hæc negatio, *Socrates non eſt iuſtus*, quàm hæc affirmatio, *Socrates eſt iniuſtus*. Ratio eſt: quia negatio eiuſdem attributi opponitur per ſe, affirmatio verò contrarij attributi non opponitur per ſe, ſed quatenus includit negationem eiuſdem attributi. verbi gratiâ, cùm per ſe verum ſit, bonum eſſe bonum: per ſe falſum eſt, bonum non eſſe bonum: per accidens autem falſum eſt, bonum eſſe malum; quia ſi eſt malum, non eſt bonum: vnde qui opinatur, vel dicit eſſe malum, ſimul opinatur vel dicit non eſſe bonum, & hac ratione aduerſatur ei, qui dicit vel opinatur eſſe bonum. quoniam igitur magis opponitur ea quę per ſe opponitur, quàm ea quæ opponitur per accidens: idcirco affirmationi magis opponitur negatio eiuſdem attributi, quàm affirmatio attributi contrarij.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER IV,

PRIORVM ANALYTICORVM PRIMVS.

TRACTATVS I. DE RATIONE CONficiendorum ſyllogiſmorum.

CAP. I.

Subiectum,& ſcopus librorum analyticorum:item definitiones aliquot ac diuiſiones.

FINIS præcipuus logicæ eſt ſcientia demonſtratiua,id eſt,ſcientia per rei cauſam acquiſita. Cap. 1.

2 ¶ Subiectum præcipuum logicæ eſt demonſtratio,per quam vera ſcientia,id eſt ſcientia per cauſam acquiritur.

3 Cùm igitur demonſtratio ſit ſyllogiſmi ſpeçies: priùs agendum eſt de ſyllogiſmo,quàm de demõſtratione.1.Prior. cap.4.partic.1.De vtroque autem agendum analyticè, id eſt, per reſolutionem in ſua principia. Idcirco hi libri, in quibus agitur de ſyllogiſmo,inſcribuntur Priores Analytici:ſequentes autem,in quibus de demonſtratione differetur,Poſteriores Analytici nominantur.

4 ¶ Syllogiſmi partes ſunt propoſitiones:propoſitionum partes ſunt termini.

5 ¶ Propoſitio,enunciatio,problema,concluſio, re idem ſunt,ratione differunt. Nam eadem oratio,quatenus verum aut falſum ſignificat,enunciatio appellatur:quatenus eſt pars ſyllogiſmi, propoſitio nominatur : quatenus probanda proponitur, propoſitio dicitur : quatenus ſyllogiſmo concluditur,concluſio vocatur.

6 ¶ Propoſitio ab Ariſtotele deſcribitur oratio affirmans vel negans aliquid de aliquo.

7 ¶ Diuiditur autem I. In vniuerſalem, particularem, & indefinitam, nam ſingularem in præſentia conſultò prætermittimus, quia ſingularium non eſt ſcientia. Vniuerſalis eſt, quæ ſignificat omni, aut nulli ineſſe: vt, *omnis voluptas eſt bona, nulla voluptas eſt bona.* Particularis eſt, quæ ſignificat alicui ineſſe, vel alicui non ineſſe, ſiue non omni ineſſe: vt, *aliqua voluptas eſt bona, aliqua voluptas non eſt bona, non omnis voluptas eſt bona.* Indefinita eſt, quæ ſignificat ineſſe, aut non ineſſe, ſine vniuerſali & particulari nota: vt, *voluptas eſt bona, voluptas non eſt bona.* Notæ enim vocantur, omnis, nullus, aliquis, & ſimiles. II. In demonſtratiuam, & dialecticam, ſub qua in præſentia comprehendimus etiam ſophiſticam. Demonſtratiua eſt, quæ ſemper eſt vera, vtpote neceſſaria: veluti, *omnis homo eſt rationalis.* Dialectica verò, quæ eſt, aut videtur probabilis: vt, *omnis mater amat liberos.*

8 ¶ Propoſitio dialectica duobus modis conſideratur. Nam dialecticus argumentaturus, primò interrogat, veluti, *eſtne omnis voluptas bona?* deinde ex reſpõſione aduerſarij colligit affirmationem, aut negationem: veluti ſi aduerſarius ad dictam interrogationem negatiuè reſpondeat, dialecticus ſumet hanc negationem, *non omnis voluptas eſt bona.* ſin ille affirmatiuè reſpondeat, colliget hanc affirmationem, *omnis voluptas eſt bona.* Ergo propoſitio dialectica vel eſt interrogatio, vel affirmatio ſiue negatio: ſed quatenus conficit ſyllogiſmum, ſemper eſt affirmatio, vel negatio: & quod ad hoc, nullum eſt inter demonſtratiuam & dialecticam diſcrimen: quia non argumentamur ex interrogationibus, ſed ex affirmationibus & negationibus.

9 ¶ Terminus eſt, in quem reſoluitur propoſitio: vt ſubiectum, & attributum.

¶ 10 Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdã (id eſt, propoſitionibus) poſitis, aliud quiddam (id eſt, concluſio) diuerſum ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò conſequitur.

11 ¶ Syllogiſmorũ alij ſunt perfecti, alij imperfecti. Syllogiſmus perfectus eſt, qui euidentẽ in ſe cõſecutionis vim habet: adeo vt ad eã conſecutionem oſtendendam, neque nouo termino, neque noua propoſitione egeat. Tales autẽ eſſe ſyllogiſmos

logiſmos primæ figuræ, poſteriùs explicabitur. Syllogiſmus imperfectus eſt, qui vim conſecutionis ſubobſcuram habet: adeo vt ad eam demonſtrandā noua oratione, vel nouis orationibus, non tamen nouo termino opus ſit. Tales ſunt ſyllogiſmi ſecundæ, & tertiæ figuræ, vt mox declarabitur.

12 ¶ In toto eſſe, & dici de omni, re idem ſunt, ratione differunt: vt adſcenſus & deſcenſus. Dicitur enim ſubiectum eſſe in toto attributo, quando attributum dicitur de omni illo ſubiecto, id eſt, cùm nulla pars ſubiecti eſt, de qua attributum non dicatur: vt homo eſt in toto animali, & animal dicitur de omni homine, id eſt, omnis homo eſt animal.

13 ¶ Similiter explicanda ſunt hæc duo, in toto non eſſe, & dici de nullo: nam ſubiectum in toto attributo non eſt, ſeu attributum de ſubiecto illo nullo dicitur, cùm nulla eſt pars ſubiecti, de qua attributum dicatur: vt homo non eſt in toto lapide, & lapis dicitur de nullo homine, id eſt, nullus homo eſt lapis.

CAP. II.

De conuerſione propoſitionum ſimplicium.

14 PRopoſitio hoc loco conuerti dicitur, cùm eius ſubiectum & attributum inter ſe locum mutant, manente propoſitionis veritate, & qualitate. Qualitas propoſitionis dicitur, à qua affirmatio, vel negatio nominatur. Quantitas propoſitionis appellatur, à qua propoſitio vocatur vniuerſalis, vel particularis, vel indefinita. Cap. 2.

15 ¶ Conuerſio diuiditur in ſimplicem & accidentariam. Simplex conuerſio eſt, cùm non ſolùm propoſitionis qualitas, ſed etiam eadem quantitas ſeruatur: vt, *nullus homo eſt lapis, nullus lapis eſt homo.* Accidentaria conuerſio eſt, cùm ſola qualitas ſeruatur, quantitate mutata ex vniuerſali in particularem: vt, *omnis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo.*

16 ¶ De puris propoſitionibus, modo carentibus, notentur quatuor regulæ. I. Propoſitio vniuerſalis negans conuertitur ſimpliciter: vt, *nullus homo eſt equus, nullus equus eſt homo.* II. Propoſitio vniuerſalis affirmans conuertitur per accidens, id eſt, in particularem: vt, *omnis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo.* III. Particularis affirmans conuertitur ſimpliciter: vt, *quidam homo eſt albus, quoddam album eſt homo.* IV. Par-

ticularis negans non conuertitur:quia ſi inuertatur, fiet falſa; vt,*aliquod animal non eſt homo, aliquis homo non eſt animal.*

17 ¶ Interdum hæ regulæ falſæ videbuntur, niſi in conuerſione termini rectè accipiantur. vt hæc propoſitio, *aliquis homo eſt in auditorio*, non debet ita conuerti, *aliquod auditorium eſt in homine*: ſed, *aliquid quod eſt in auditorio, eſt homo.* Similiter hæc propoſitio, *nullum auditorium eſt in homine*, non debet ita conuerti,*nullus homo eſt in auditorio*: ſed ita;*nihil quod ſit in homine, eſt auditorium.* debent enim iidem termini retineri: non ſunt autem iidem termini,*homo,*& *quod eſt in homine*:vel, *auditorium,*& *quod eſt in auditorio.*

CAP. III.

De conuerſione propoſitionum modificatarum.

Cap. 3. 18 EÆdem ſunt regulæ propoſitionum neceſſariarum. Nam I. Vniuerſalis negans conuertitur ſimpliciter:veluti,*neceſſe eſt nullum hominem eſſe equum*, *neceſſe eſt nullum equum eſſe hominem.* II. Vniuerſalis affirmans conuertitur in particularem:vt,*neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal*, *neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem.* Obiiciet aliquis: Neceſſe eſt omnem grammaticum eſſe hominem: non tamen neceſſe eſt aliquem hominem eſſe grammaticum: quia contingit hominem eſſe grammaticum: quod autem contingit, non eſt neceſſarium. Reſpondeo per diſtinctionem: quia vel loquimur de neceſſitate ſimplici & abſoluta, vel de neceſſitate ex hypotheſi,id eſt, ſupponentes grammaticum eſſe. Si de abſoluta neceſſitate loquamur: falſum eſt, omnem grammaticum eſſe hominem:quia neceſſe non eſt, vt grammaticus ſit: niſi autem grammaticus ſit, certè grammaticus dici homo non poteſt:quia quod non eſt, non poteſt dici homo. Sin autem loquamur de neceſſitate ex hypotheſi: quemadmodum neceſſe eſt omnem grammaticum eſſe hominem, ita etiam neceſſe eſt aliquem hominem eſſe grammaticum.nam ſi ſupponis grammaticum eſſe, certè ſupponis aliquem hominem eſſe grammaticum,cùm ſolus homo ſit grammaticus. III. Particularis affirmans cõuertitur ſimpliciter: vt,*neceſſe eſt aliquam animam eſſe immortalem*, *neceſſe eſt aliquod immortale eſſe animam.* IV. Particularis negans non conuertitur: vt, *neceſſe eſt aliquod animal non eſſe hominem.*

19 ¶ Con-

19 ¶ Contingens ſumitur tribus modis. I. Pro neceſſorio: vt, *contingit ſolem moueri.* II. Pro eo quod eſt, & poteſt non eſſe: vt, quando Socrates currit, *contingit Socratem currere.* III. Et propriè pro eo, quod non eſt, & poteſt eſſe: veluti, quando Socrates non currit, *contingit Socratem currere*, id eſt, fieri poteſt, vt Socrates currat.

20 ¶ Reliquæ propoſitiones contingentes accipiunt eaſdem conuerſionum regulas, quas de propoſitionibus puris, & de neceſſariis ſuprà tradidimus. Excipiuntur contingentes negantes, cùm propriè contingens accipitur pro poſſibili: hæ namque contrario modo, ſe habent, quàm ſuperiores: etenim ſuprà vniuerſalis negans conuertebatur, particularis negans non conuertebatur: hîc autem vniuerſalis negans non conuertitur, particularis negans conuertitur, vt cap. 17. explanabitur.

21 ¶ Illud non eſt ignorandum, nos aliter in his prioribus Analyticis accipere propoſitiones modificatas negantes, quã in libro de interpretatione: quoniam ibi propoſitio negans dicitur ratione modi, vt, *non contingit voluptatem eſſe bonã:* hîc autem ratione dicti, vt, contingit voluptatem non eſſe bonam. Quod vt perfectiùs intelligatur: ſciendum eſt, quia ſedecim illæ propoſitiones modificata, quas cap. 12. & 13. de interpretatione explicauimus, ad quatuor claſſes referuntur, & in qualibet claſſe quatuor æquipollentes collocantur, idcirco Ariſtotelem breuitatis ſtudio ex qualibet claſſe vnam propoſitionem ſumere omiſſis aliis æquiualentibus ex prima claſſe ſumit hanc enunciationẽ, *neceſſe eſt eſſe:* ex ſecũda hanc, *neceſſe eſt, non eſſe:* ex tertia, *contingit non eſſe:* ex quarta, *contingit eſſe:* ac priores duas vocat neceſſarias, affirmantẽ & negantem: reliquas duas contingentes, negantem & affirmantem.

22 ¶ Quæcumque de propoſitionum conuerſione diximus, eadem de conuerſione concluſionum intelligi debent.

Cap. IV.

De ſyllogiſmis ex puris propoſitionibus in prima figura.

23 IN omni ſyllogiſmo ſunt tres termini, maior, minor, medius: duę propoſitiones, maior, & minor: vna concluſio. Cap. 4.

24 ¶ Maior propoſitio conſtat ex maiori extremo, & me-

dio termino: minor, ex minori extremo, & medio termino: concluſio ex duobus extremis.

25 ¶ Syllogiſmorum figuræ ſunt tres. Prima figura eſt, in qua minus extremum ſubiicitur medio termino, & medius terminus ſubiicitur maiori extremo. Medius ergo terminus, qui alteri ſubiicitur, alteri attribuitur. hæc verò duo, quorum alterum attribuitur, alterum ſubiicitur medió termino, vocantur extrema: & illud quidem dicitur maius extremum: hoc autem, minus extremum.

26 ¶ In hac figura, maior debet eſſe vniuerſalis: minor debet eſſe negatiua; concluſio poteſt eſſe tam vniuerſalis, quàm particularis; & tam affirmans, quàm negans; non tamen in omnibus modis.

27 ¶ Nam modi vtiles ſunt quatuor, id eſt, quatuor ſunt diuerſæ propoſitionum coniugationes inferentes aliquam concluſionem. Primus modus ex vtraque propoſitione vniuerſali affirmante colligit concluſionem vniuerſalem affirmantem. Secundus ex maiore vniuerſali negante, & minore vniuerſali affirmante infert concluſionem vniuerſalem negantem. Tertius ex maiore vniuerſali & minore particulari affirmantibus efficit concluſionem particularem affirmantem. Quartus ex maiore vniuerſali negante, & minore particulari affirmante probat concluſionem particularem negantem. Hos modos Latini appellant *Barbara, Celarent, Darij, Ferio.* in quibus appellationibus prima ſyllaba ſignificat maiorem propoſitionem, ſecunda minorem, tertia concluſionem: litera *A*, indicat vniuerſalem affirmantem: *E*, vniuerſalem negantem: *I*, particularem affirmantem: *O*, particularem negantem.

I.

BAR o. animal ſentit.
BA o. homo eſt animal: ergo
RA o. homo ſentit.

II.

CE n. animal eſt lapis:
LA o. homo eſt animal: ergo
RENT a. homo eſt lapis.

RI a.

III.

DA o. homo eſt rationalis.
RI a. animal eſt homo: ergo
I a. animal eſt rationale.

IV.

FE n. homo eſt quadrupes:
RI a. animal eſt homo: ergo
O a. animal non eſt quadrupes.

29 ¶ Præter hos, reliqui modi ſunt inutiles, id eſt, nihil concludunt. Nam in hac, vt & in aliis figuris, modi ſedecim ſunt, ſi tam inutiles, quàm vtiles numerentur, vt ex ſequenti deſcriptione apparet.

1. aa. Barbara, primus modus vtilis.
2. ae. *Omnis homo eſt animal, nullus equus eſt homo.*
3. ai. Darij, ſecundus modus vtilis.
4. ao. *Omnis homo eſt animal, aliquod bipes non eſt homo*
5. ea. Celarent, tertius modus vtilis.
6. ee. *Nullus homo eſt lapis, nullus equus eſt homo.*
7. ei. Ferio, tertius modus vtilis.
8. eo. *Nullus homo eſt auis, aliquod bipes non eſt homo.*
9. ia. *Aliquod album eſt homo, omnis cycus eſt albus.*
10. ie. *Aliquod album eſt homo, nullus coruus eſt albus*
11. ii. *Aliquod animal eſt album, aliquod nigrum eſt animal.*
12. io. *Aliquod animal eſt album, aliquod nigrũ nõ eſt animal.*
13. oa. *Aliquod animal nõ eſt album, omnis cycnus eſt animal.*
14. oe. *Aliquod album non eſt animal, nullus coruus eſt albus.*
15. oi. *Aliquod animal nõ eſt album, aliquod nigrũ eſt animal.*
16. oo. *Aliq. anim. nõ eſt grãma:icum, aliquod albũ nõ eſt ani.*

30 ¶ Omnes ſyllogiſmi vtiles in hac figura ſunt perfecti: quia vis affirmantium patet ex definitione eius quod dicitur de omni, vis autem negantium eſt manifeſta ex definitione eius quod dicitur de nullo: adeo vt nõ ſit opus vllam nouam propoſitionem aſſumere ad conſequentiam confirmandam.

CAP. V. Cap. 5.

De ſyllogiſmis ex propoſitionibus puris in ſecunda figura.

31 SEcunda figura eſt, in qua medius terminus attribuitur vtrique extremo. Medium igitur eſt, quod vtrique extremo attribuitur. Duorum autem extremorum id quod eſt ipſi medio propinquius, eſt maius: quod verò eſt remo-

OC a. album non eſt animal:	*BA o. album eſt homo: ergo*
O er. a. album non eſt homo:	*RA o. album eſt animal.*
Alioqui	Quod contradicit minori ipſius Baroco an-

tea conceſſæ. Ita aduerſarius concedens propoſitiones τῶ B oco, & negans eiuſdem concluſionem, ducitur ad hanc abſurditatem, vt cogatur ſimul concedere duo ſibi inuicem contradicentia, id eſt, minorem τῶ Baroco, & concluſionem τῶ Barbara.

Cap. VI.

De ſyllogiſmis ex puris propoſitionibus in tertia figura.

36 Tertia figura eſt, in qua medius terminus ſubiicitur vtrique extremo.

37 ¶ Medius ergo terminus eſt, qui ſubiicitur vtrique extremo. Duorũ autem extremorum, maius eſt, quod eſt à medio remotius: minus autem, quod ei propinquius.

38 ¶ In hac figurâ maior eſt libera, minor affirmat, concluſio eſt particularis.

39 ¶ Modi vtiles ſunt ſex. Primus ex vtraque propoſitione vniuerſali affirmante colligit concluſionem particularem affirmantem. Secundus ex negante & affirmante vniuerſalibus infert negantem particularem. Tertius ex particulari & vniuerſali affirmantibus efficit particularem affirmantem. Quartus ex vniuerſali & particulari affirmantibus probat particularem affirmantem. Quintus ex particulari negante & vniuerſali affirmante concludit particularem negantem. Sextus ex vniuerſali negante & particulari affirmante colligit particularem negantem.

40 ¶ Omnes hi ſyllogiſmi ſunt imperfecti, ob eandem cauſam, ob quam ſuprà dixi ſyllogiſmos ſecundæ figuræ eſſe imperfectos.

41 ¶ A Latinis vocantur *Darapti*, *Felapton*, *Diſamis*, *Datiſi*, *Brocardo*, *Feriſon.* quorum vocabulorum eadem atque ſuperiorum eſt expoſitio. Illud tantùm notandũ ſupereſt, literam *P* in his nominibus ſignificare conuerſionem per accidens, id eſt, propoſitionis vniuerſalis in particularem. Itaque ſyllogiſmi tertiæ figuræ reſoluuntur in primam figuram, vt in ſequentibus exemplis.

I.

DAR o. homo eſt rationalis:	—	*DA o. homo eſt rationalis:*
AP o. homo eſt animal:	—	*RI a. animal eſt homo:ergo*
TI er.a. animal eſt rationale.	—	*I a. animal eſt rationale.*

II.

FEL n. homo eſt quadrupes:	—	*FE n. homo eſt quadrupes:*
AP o. homo eſt animal:	—	*RI a. animal eſt homo:ergo*
TON er.a. anim.nõ eſt quadrupes.	—	*O a. animal nõ eſt quadrupes.*

III.

DIS a. homo eſt albus:	╲ ╱	*DA o. homo eſt animal:*
AM o. homo eſt animal:	╱ ╲	*RI a. album eſt homo:ergo*
IS er.a. animal eſt album.	—	*I a. album eſt animal.*

IV.

DAT o. homo eſt animal:	—	*DA o. homo eſt animal:*
IS a. homo eſt albus:	—	*RI a. album eſt homo:ergo*
I er.a. album eſt animal.	—	*I a. album eſt animal.*

V.

BROC a. homo non eſt albus	╲ ╱	*BAR o. animal eſt album:*
AR o. homo eſt animal:	╳	*BA o. homo eſt animal:ergo*
DO ar.a. anim. nõ eſt alb	╱ ╲	*RA o. homo eſt albus.*

VI.

FER n. animal eſt lapis:	—	*FE n. animal eſt lapis:*
IS a. animal eſt album:	—	*RI a. album eſt animal:ergo*
ON er.a. album non eſt lapis.	—	*O a. album non eſt lapis.*

CAP. VII.

Communia de tribus figuris.

Cap. 7. 42 OMnes modi,quos hactenus expoſui,ſunt directi, id eſt,concludunt maius extremum de minore. Alij ſunt modi indirecti, qui concludunt minus de maiori, non mrnus de minori.hi conſtant ex maiore affirmante & minore negante:quarum illa poteſt eſſe vniuerſalis, & particularis,hæc ſemper eſt vniuerſalis. & ſunt omnes imperfecti,omnéſque perficiuntur per reductionem ad Ferio.

43 ¶ In prima figura duo ſunt modi indirecti, qui vulgò vocantur *Fapeſmo,& Friſeſomorum*. Hæc vocabula ſunt eodem modo explicanda,quo ſuperiora.tantùm hic notandum eſt, Latinos, cùm modos ſyllogiſticos verſibus comprehendere vellent,

vellent, adieciſſe ſecundo ex his duobus vocabulis literas *orum*, verſus explendi gratiâ. itaque ego hunc modum ſoleo appellare Friſeſmo. Ac verſus quidem illos memoriæ causâ concinnatos, paulò pòſt referam: nunc ſubiicienda ſunt exempla horum modorum indirectorum vnà cum eorum reſolutione in Ferio.

I.

FAP o. homo eſt animal:	*FE n. homo eſt beſtia:*
ESM n. beſtia eſt homo:	*RI a. animal eſt homo: ergo*
O er. a. animal nō eſt beſtia. ——	*O a. animal non eſt beſtia.*

II.

FRIS a. homo eſt albus:	*FE n. homo eſt beſtia:*
ESM n. beſtia eſt homo:	*RI a. album eſt homo: ergo*
O er. a. albū non eſt beſtia. ——	*O a. album non eſt beſtia.*

44 ¶ In ſecunda figura vnus eſt modus indirectus, qui ex maiori particulari affirmante, & minori vniuerſali negante concludit particularem negantem. Hunc modum à Latinis neglectum, voco *Fireſmo*.

FIR a. animal eſt album:	*FE n. album eſt coruus:*
ESM n. coruus eſt albus:	*RI a. animal eſt album: ergo*
O er. a. animal nō eſt coruus. —	*O a. animal non eſt coruus.*

45 ¶ In tertia figura duo ſunt modi indirecti. Primus ex affirmante & negante vniuerſalibus concludit negationem particularem. Hunc modum, qui ab aliis nomen non accepit, voco *Fapemo*.

FAP o. homo eſt animal:	*FE n. homo eſt beſtia:*
EM n. homo eſt beſtia:	*RI a. animal eſt homo. ergo*
O er. a. animal non eſt beſtia. ——	*O a. animal non eſt beſtia.*

Secundus modus ex affirmatione particulari & negatione vniuerſali concludit negationem particularem. Hunc modum ab aliis non nominatum, appello *Friſemo*.

FRIS a. homo eſt albus::	*FE n. homo eſt cycnus:*
EM n. homo eſt cycnus	*RI a. album eſt homo: ergo*
O er. a. albū non eſt cycnus. ——	*O a. album non eſt cycnus.*

46 ¶ Expoſui cum Ariſtotele modos, qui tantùm indirectè concludunt. Ceterùm ſciendum eſt, eos quoque, qui directi ſunt, poſſe fieri indirectos, eorum concluſione conuerſâ. Verbi gratiâ, ex his propoſitionibus, *omne animal ſentit, om-*

nis homo eſt animal, ſi concludas omnem hominem ſentire, ſyllogiſmus eſt directus. ſi verò concludas aliquod ſentiens eſſe hominem, eſt ſyllogiſmus indirectus.

47 ¶ Latini vtriuſque generis modos indirectos in prima figura, neutrius verò generis indirectos ſecundæ, vel tertiæ figuræ propoſuerunt his carminibus, quæ memoria causâ concinnarunt.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Priſeſomorum:
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, ſecundæ:
Tertia grande ſonans, tibi dat Darapti, Felapton,
Cum Diſamis, Datiſi, Brocardo, cúmque Feriſon.

Nam ſi conuertatur cõcluſio τοῦ Barbara, ſit Baralip, quod metri cauſâ, additâ ſyllabâ *ton*, vocatur Baralipton. ſi conuertatur concluſio τοῦ Celarent, oritur Celantes. ſi concluſio τοῦ Darij, euadit Dabitis. concluſio verò τοῦ Ferio, cùm ſit particularis negans, non conuertitur.

48 ¶ In omnibus ſyllogiſmis eandem vim habet propoſitio indefinita, quam particularis.

49 ¶ Omnes imperfecti ſyllogiſmi perficiuntur per primam figuram, dum ad eam reducuntur: quia vis concludendi, quæ in ſecunda & tertia figura latet, in prima eſt euidens & manifeſta.

50 ¶ Quin etiam omnes reſolui poſſunt in modos vniuerſales primæ figuræ, id eſt, in Barbara & Celarent. Quod enim attinet ad ſyllogiſmos ſecundæ figuræ, ſuprà reſolui Ceſare & Cameſtres in Celarent, nec non Baroco in Barbara. Feſtino autem reducitur ad Celarent per deductionem ad impoſſibile, hoc modo:

FES n. coruus eſt albus — *CE n. coruus eſt albus:*
TI a. animal eſt album: — *LA o. animal eſt coruus: ergo*
NO er. a. animal nõ eſt coruus. — *RENT n. animal eſt album.*

[illegible]

Syllogiſmi particulares primæ figuræ per deductioné ad impoſſibile reducũtur ad vniuerſales ſecũdę figuræ, conſequenter ad Celarent. Nam Darij reſoluitur in Cameſtres: veluti,

DA o. homo eſt animal: — *CAM o. homo eſt animal:*
RI a. album eſt homo: — *Es n. album eſt animal: ergo*
I er. aliquod album eſt animal. — *TRES n. album eſt homo.*

Alioqui

Ferio reſoluitur in Ceſare, veluti,

FE	*n. homo eſt lapis:*	*CES*	*n. homo eſt lapis:*
RI	*a. album eſt homo:*	*A*	*o. album eſt lapis: ergo*
O	*a. album non eſt lapis.*	*RE*	*n. album eſt homo.*

Alioqui.

Quoniam igitur Cameſtres & Ceſare reſoluuntur in Celarent, conſequenter etiam Darij & Ferio reſoluuntur in eundem modum celarent. Ex ſyllogiſmis tertiæ figuræ, Darapti per deductionem ad impoſſibile reſoluitur in Celarẽt, veluti,

DAR	*o. homo eſt bipes:*	*CE*	*n. animal eſt bipes:*
AP	*e. homo eſt animal:*	*LA*	*o. homo eſt animal.*
TI	*er. a. animal eſt bipes*	*RENT*	*n. homo eſt bipes.*

Alioqui.

Felapton eadem ratione reſoluitur in Barbara, veluti.

FEL.	*n. homo eſt equus:*	*BAR*	*o. album eſt equus:*
AP	*a. homo eſt albus:*	*BA*	*a. homo eſt albus: ergo*
TON	*en. a. album non eſt equus.*	*RA*	*a. homo eſt equus.*

Alioqui.

Diſamis & Datiſi ſuprà partic. 41. reſoluti ſunt in Darij, ac Darij paulo antè reſolutus eſt in Cameſtres, & per Cameſtres in Celarent: ergo Diſamis & Datiſi reſoluuntur in Celarent. Brocardo ſuprà partic. 41. reſolutus eſt in Barbara. Feriſon eâdem partic. reſolutus eſt in Ferio. quoniam igitur paulò antè retuli Ferio ad Ceſare: ſicut Ceſare reſoluitur in Celarent, ita etiam Ferio reſoluitur in Celarent.

Cap. VIII.

De ſyllogiſmis ex ambabus propoſitionibus neceſſariis.

51 Hvcuſque ſyllogiſmi ex vtraque propoſitione pura. Cap.8.
Iiſdem modis conficiuntur ſyllogiſmi ex vtraque neceſſaria: ſed hic concluſio eſt neceſſaria, vt in illis erat pura. Exemplum hoc eſto:

BAR Neceſſe eſt omne animal ſentire:
BA Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal: Ergo
RA Neceſſe eſt omnem hominem ſentire.

CAP. IX.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura & altera neceſſaria, in prima figura.

Cap. 9. 52 CVm in primâ figurâ, altera propoſitio eſt neceſſaria, altera pura:talis ſecundum Ariſtotelem eſt concluſio, qualis eſt maior propoſitio. Nam ſi maior ſit neceſſaria, minor pura, concluſio eſt neceſſaria:veluti,

BAR *Neceſſe eſt omne animal ſentire:*
BA *Omnis homo eſt animal : Ergo*
RA *Neceſſe eſt omnem hominem ſentire.*

Si verò maior ſit pura, minor neceſſaria, concluſio eſt pura: veluti,

BAR *Omne animal dormit:*
BA *Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal:ergo*
RA *Omnis homo dormit.*

Secundum Platonicos autem, & ſecundum Ariſtotelis auditores Theophraſtum & Eudemum, indiſtinctè efficitur concluſio pura:quia ſemper concluſio ſequitur deteriorem partem ſyllogiſmi,ac propoſitio pura eſt deterior quàm neceſſaria.Nos,harum opinionum conciliandarum cauſâ, ita cum ipſo Ariſtotele 1.Prior.cap.15.partic.11.diſtinguimus: Cùm maior propoſitio eſt neceſſaria: minor vniuerſalis aut eſt ſimpliciter & abſolutè vera, vt omnem hominem eſſe animal : aut eſt vera ex hypotheſi, vt omnem hominem eſſe grammaticum.Priori modo fit cõcluſio neceſſaria,vt in ſuprà ſcripto exemplo,

BAR *Neceſſe eſt omne animal ſentire:*
BA *Omnis homo eſt animal:Ergo*
RA *Neceſſe eſt omnem hominem ſentire.*

Poſteriori modo efficitur concluſio pura:veluti,

BAR *Neceſſe eſt omnem grammaticum eſſe literatum.*
BA *Omnis homo eſt grammaticus:Ergo*
RA *Omnis homo eſt literatus.*

CAP. X.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura,& altera neceſſaria, in ſecunda figura.

Cap.10. 53 CVm altera propoſitio eſt neceſſaria,altera pura,in ſecunda figura : tum demum concluſio eſt neceſſaria, cùm propoſitio vniuerſalis negans eſt neceſſaria: quoniam hæc fit maior propoſitio, cùm ſyllogiſmus reſoluitur in primam

mam figuram: aliàs eſt concluſio pura. Quare concluſio neceſſaria non poteſt colligi in Baroco, ſed in Ceſare & in Feſtino ex maiore neceſſaria & minore pura; vel in Cameſtres ex maiore pura & minore neceſſaria. Subiiciam vnum & alterum exemplum.

I.

CES Neceſſe eſt nullum lapidem eſſe animal.
A Omnis homo eſt animal: Ergo
RE Neceſſe eſt nullum hominem eſſe lapidem.

II.

CES Nihil album eſt animal:
A Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal: Ergo
RE Nullus homo eſt albus.

Cap. XI.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura, & altera neceſſaria, in tertia figura.

54 CVm altera propoſitio eſt pura, altera neceſſaria, in tertia figura: vt concluſio neceſſaria efficiatur, oportet in ſyllogiſmo affirmatiuo vniuerſalem affirmatiuam eſſe neceſſariam, in negatiuo autem vniuerſalem negantem eſſe neceſſariam: alioqui concluſio eſt pura. Quamobrem concluſio neceſſaria colligitur in Darapti, ſi alterutra propoſitio ſit neceſſaria: in Felapton, Datiſi, & Feriſon, ſi maior ſit neceſſaria: in Diſamis, ſi minor ſit neceſſaria. reliquę complicationes efficiunt concluſionem puram. Subiiciam pauca exempla. Cap. 11.

I.

DAR Neceſſe eſt omnem hominem eſſe rationalem:
AP Omnis homo eſt animal: Ergo
TI Neceſſe eſt aliquod animal eſſe rationale.

II.

DAR omnis homo eſt rationalis:
AP Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal: Ergo
TI Neceſſe eſt aliquod animal eſſe rationale.

III.

FEL Neceſſe eſt nullum hominem eſſe equum.
AP Omnis homo eſt animal: Ergo
TON Neceſſe eſt aliquod animal non eſſe equum.

IV.

FEL Nullus homo currit:
AP Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal: Ergo
TON Aliquod animal non currit.

CAP. XII.

Collatio neceſſarij & eius quod ineſt.

55 QVamuis concluſio affirmans non colligatur niſi ex vtraque propoſitione affirmante: tamen concluſio neceſſaria ſæpe colligitur ex altera propoſitione pura,& altera neceſſaria,vt ex ſuprà enarratis conſtat.

56 ¶ Neceſſe eſt,vt concluſio vel vtrique,vel vni propoſitioni ſimilis ſit.Nam concluſio affirmans colligitur ex duabus propoſitionibus affirmantibus:negans ex altera affirmante,altera negante:neceſſaria ex vtraque propoſitione neceſſaria,vel ex altera neceſſaria & altera pura.

CAP. XIII.

De contingenti,& propoſitionibus inde acceptis.

Cap. 12. 57 COntingens propriè dicitur, quod, cùm non ſit neceſſarium,ſi ponatur eſſe,nihil inde ſequitur impoſſibile:id eſt,quod poteſt eſſe,cùm actu non ſit.quod enim actu eſt,vt neceſſarium,minùs propriè dicitur contingens,

58 ¶ Omnis propoſitio contingens (accipe contingens propriè pro eo,quod poteſt eſſe,cùm non ſit)conuertitur.Ne intelligas conuerſionem terminorum,vt cap.2. & 3. ſed mutationem qualitatis in dicto.hoc eſt,ex affirmante poteſt fieri negans,& ex negante affirmans:veluti,*contingit hominem currere,contingit hominem non currere.*

59 ¶ Contingens eſt in duplici differentia.aliud enim eſt, quod naturaliter & plerumque accidit, vt virum barbam emittere:aliud eſt fortuitum & indefinitum, quod æquè poteſt eſſe & non eſſe,vt hominem ambulare.

60 ¶ Vtrumque contingens dicti conuerſionem recipit. ſed contingens naturale conuertitur in id, quod non eſt neceſſarium:veluti contingit virum barbam non emittere,quia non eſt neceſſe vt barbam emittat.contingens autem indefinitum conuertitur in contingens indefinitum, quod æquè poteſt eſſe & non eſſe: veluti, ***contingit hominem non ambulare, contingit hominem non ambulare:*** quia æquè fieri poteſt,vt ambulet,

bulet,& vt non ambulet.

61 ¶ Syllogiſmus de vtroque contingenti fieri poteſt:ſed de indefinito fieri non ſolet, quia eiuſmodi contingentium non eſt ſcientia.

CAP. XIV.

De ſyllogiſmis ex ambabus propoſitionibus contingentibus, in prima figura.

62 DE ſyllogiſmis primæ figuræ ex vtraque propoſitio- Cap. 13.
ne contingenti hæc notentur. I. Seruatis regulis huius figuræ, ſyllogiſmus eſt perfectus, videlicèt in Barbara, Celarent,Darij,Ferio. II. Si maior ſit particularis,nihil concluditur. III. Si minor neget, ſyllogiſmus eſt imperfectus, & perficitur conuerſione minoris in affirmantem, quæ conuerſio propoſitionum contingentium propria eſt. ſup.partic. 58. IV. Concluſio ſemper eſt contingens, ſiue ſit ſyllogiſmus perfectus,ſiue imperfectus.

CAP. XV.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura,& altera contingente,in prima figura.

63 DE ſyllogiſmis primæ figuræ ex altera propoſitione Cap.14.
purâ & altera contingente hæc notentur. I. Seruatis figuræ regulis, ſi maior ſit contingens, minor pura,ſyllogiſmus eſt perfectus. Si verò maior ſit pura, minor contingens; ſyllogiſmus eſt imperfectus, qui per deductionem ad impoſſibile perfici debet:veluti,

BAR o. album eſt coloratum:	*BROC neceſſe eſt aliquē hominem non eſſe coloratum:*
BA contingit omnem hominem eſſe alum:	*AR o. homō eſt albus: ergo*
Ra er. contingit omnem hominem eſſe coloratum. Alioqui	*DO non omnē album eſt coloratum.*

Dubitare in hac ratiocinatione aliquis poſſit: quia minor τῷ Brocardo videtur malè accipi pura, cùm ſumatur ex minore contingenti τῷ Barbara:quod enim contingit eſſe, ſi contingens propriè accipiatur, non eſt, ſed poteſt eſſe. Reſpondeo, nihilominùs redargui aduerſarium per deductionem ad impoſſibibile; quia ex propoſitionibus falſis, quæ non ſunt impoſſibiles, falſum quidem colligi poteſt,non tamen impoſſibile. quare cùm concluſio τῷ Brocardo ſit impoſſibilis, neceſſe eſt aliquam propoſitionē eſſe impoſſibilē:

atqui minor non eſt impoſſibilis,ſed tantum falſa : ergo maior eſt impoſſibilis, & ex hac maiore efficitur ea concluſio: vnde ob impoſſibilitatem huius concluſionis neganda eſt maior propoſitio,conſequenter concedenda eſt oppoſita, id eſt,contingit omnem hominem eſſe coloratum. II. Seruatis figuræ regulis, ſyllogiſmi affirmantes, & ex maiore pura, minoréque contingente negantes colligunt contingens propriè dictum. ex maiore autem contingente & minore pura negantes colligunt contingens ſumptum pro nōn neceſſario:veluti,

CE· nihil nigrum eſt album:	*DIS neceſſe eſt aliquem hominem eſſe album:*
LA contingit omnē hominem eſſe nigrum:	*AM omnis homo eſt niger: ergo*
RENT er. cōtingit nullum hominem eſſe album, id eſt,	*IS aliquod nigrum eſt album,*

non neceſſe eſt aliquem hominem eſſe album.alioqui

III. Si maior ſit particularis, nihil concluditur. IV.Si minor ſit pura negans, nihil concluditur. V. Si minor ſit contingens negans, ſyllogiſmus eſt imperfectus, qui perficitur conuerſione huius minoris negantis in affirmantem : quia quod contingit eſſe,contingit etiam non eſſe.

Cap. XVI.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione neceſſaria,altera contingente, in prima figura.

Cap. 15. 64 DE ſyllogiſmis primæ figuræ ex altera propoſitione neceſſaria, & alterá contingente, hæc notentur. I. Seruatis figuræ regulis,ſi maior ſit contingens, minor neceſſaria,ſyllogiſmus eſt perfectus.Si verò maior ſit neceſſaria, minor contingens,ſyllogiſmus eſt imperfectus, qui perficitur per deductionem ad impoſſibile, vt in ſequenti exemplo ſyllogiſmus in Barbara confirmatur per deductionem ad impoſſibile in Brocardo.

BAR neceſſe eſt omne ambulans moueri.	*BROC neceſſe eſt aliquē hominem non moueri:*
BA contingit omnem hominem ambulare.	*AR omnis homo ambulat: ergo*
RA ergo cōtingit omnem hominem moueri. Alioqui	*Do non omne ambulans mouetur.*

Hic

Hic quoque, vt in ſuperiori capite, propoſitio contingens mutatur in puram, nempe maior τῶ Barbara in minorem τῶ Brocardo. II. Seruatis figuræ regulis, ſi maior propoſitio ſit neceſſaria negans, concluſio eſt pura: veluti,

CE neceſſe eſt nullum grammaticum eſſe quadrupedem:
LA contingit omnem hominem eſſe grammaticum:
RENT ergo nullus homo eſt quadrupes:

Alioqui concluſio eſt contingens: veluti,

I.

BAR neceſſe eſt omne album eſſe coloratum:
BA contingit omnem hominem eſſe album:
RA ergo contingit omnem hominem eſſe coloratum.

II.

CE contingit nullum animal moueri:
LA neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal:
RENT ergo contingit nullum hominem moueri.

III. Si maior ſit particularis, nihil concluditur. IV. Si minor ſit neceſſaria negans, nihil concluditur. V. Si minor ſit contingens negans, ſyllogiſmus concludit per conuerſionem huius minoris negantis in affirmantem: quia iam docui propoſitionem contingentem ita conuerti.

CAP. XVII.

De ſyllogiſmis ex ambabus propoſitionibus contingentibus in ſecunda figura.

65 CVm vtraque propoſitio eſt contingens in ſecunda figura, nihil concluditur. Ratio eſt: quia propoſitio contingens vniuerſalis, etiam ſi neget, tamen non conuertitur in terminis, propterea quòd conuertitur in qualitate, ita vt ſi verè contingens negetur, verè etiam affirmetur: quandoquidem quod contingit eſſe, contingit etiam non eſſe: & quod contingit non eſſe, contingit etiam eſſe. Vnde quemadmodum propoſitio contingens vniuerſalis affirmans non conuertitur, ita etiam vniuerſalis negans non conuertitur. veluti ſi contingit nullum hominem eſſe grammaticum, non propterea contingit nullum grammaticum eſſe hominem. Quare cùm hæc conuerſio, per quam ſecunda figura in primam reſoluitur, hic non admittatur, ſyllogiſmi omnes erunt inutiles, quippe qui per primam figuram perfici nequeunt. Cap.16.

CAP. XVIII.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura, & altera contingente, in ſecunda figura.

Cap. 17. 66 CVm altera propoſitio eſt pura, altera contingens, in ſecunda figura: ſiquidem propoſitio pura ſit vniuerſalis negans, efficitur concluſio contingens: veluti,

CES *nullus homo eſt equus:*
A *contingit omne currens eſſe equum:*
RE *ergo contingit nihil currens eſſe hominem.*

Aliàs nihil concluditur.

CAP. XIX.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione neceſſaria, & altera contingente, in ſecunda figura.

Cap. 18. 67 CVm altera propoſitio eſt neceſſaria, altera contingens, in ſecunda figura: ſi propoſitio neceſſaria in vniuerſum neget, concluditur pura negatio: veluti,

CES *nullus quadrupes eſt grammaticus:*
A *contingit omnem hominem eſſe grammaticum:*
RE *ergo nullus homo eſt quadrupes.*

Sin aliter quomodocùmque propoſitiones ſe habeant, nihil ex eis concluditur.

CAP. XX.

De ſyllogiſmis ex vtriſque propoſitionibus contingentibus, in tertia figura.

Cap. 19. 68 DE ſyllogiſmis ex vtraque contingente in tertia figura tria notentur. I. Seruatis figuræ regulis, efficitur concluſio contingens. II. Si minor propoſitio neget, nihilominùs ſyllogiſmus vtilis erit per conuerſionem huius propoſitionis negantis in affirmantem. III. Si ambæ propoſitiones ſint particulares, nihil concluditur.

CAP. XXI.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura, & altera contingente, in tertia figura.

Cap. 20. 69 DE ſyllogiſmis tertiæ figuræ ex altera propoſitione pura, altera contingente, hæc notentur. I. Seruatis figuræ

figuræ regulis efficitur concluſio contingens. II. Si minor propoſitio contingens neget, ſyllogiſmus vtilis erit per eius conuerſionem in affirmantem. III. Si minor pura neget, nihil concluditur. IV. Si vtraque propoſitio ſit particularis, nihil concluditur.

Cap. XXII.

De ſyllogiſmis ex altera propoſitione neceſſaria, & altera contingente, in tertia figura.

70 DE ſyllogiſmis in tertia figura ex altera propoſitio- Cap.21.
ne neceſſaria,& altera contingente, hæc notentur.
I. Seruatis huius figuræ regulis, ſi propoſitio neceſſaria affirmet,concluſio eſt contingens:veluti,

DAR neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal:
AP contingit omnem hominem eſſe album:
TI ergo contingit aliquod album eſſe animal.

II. Seruatis figuræ regulis, ſi maior propoſitio ſit neceſſaria negans vniuerſalis,concluditur pura negatio.veluti,

FEL neceſſe eſt nullum hominem eſſe lapidem:
AP contingit omnem hominem eſſe album:
TON ergo aliquod album non eſt lapis.

III. Si propoſitio neceſſaria ſit maior particularis negans, nihil concluditur. IV. Si propoſitio neceſſaria negans ſit minor,nihil concluditur. V. Si vtraque propoſitio ſit particularis,nihil concluditur.

Cap. XXIII.

Omnem ſyllogiſmum extrui in aliqua ex tribus figuris,& perfici per primam figuram, & reduci ad modum vniuerſalem primæ figuræ.

71 OMnis ſyllogiſmus aut eſt categoricus, aut hypothe- Cap. 22.
ticus.Categoricus eſt,qui conſtat ex vtraque propo ſitione categorica. Hypotheticus eſt, qui conſtat ex vtraque, vel ex vna hypothetica. Categorica propoſitio dicitur, quæ hypotheſi caret:ſiue ſit pura,vt,*omnis homo eſt animal:* ſiue modificata,vt,*neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal.* Hypothetica eſt,quæ hypotheſim adiunctam habet: vt,*ſi ſol ſuper terram eſt, dies eſt:*item,*Aut eſt dies,aut nox.*

72 ¶ Hactenus locuti ſumus de ſyllogiſmis categoricis:qui quidē referūtur omnes ad tres expoſitas figuras,quę ex medij

termini poſitione diſtinguuntur. Nam ſi medius terminus alteri extremo ſubiiciatur, alteri attribuatur, eſt prima figura. ſi vtrique attribuatur, eſt ſecunda figura, ſi vtrique ſubiiciatur, eſt tertia figura.

73 ¶ Fallitur itaque Galenus ponens quartam figuram, quam ait differre à prima: eò quòd prima habet medium terminum in maiore propoſitione ſubiectum, in minore attributum: quarta verò habet medium terminum in maiore attributum, in minore ſubiectum: fallitur (inquam) quia quotieſcumque medius terminus ſubiicitur & attribuitur, figura prima eſt: & reuerâ illa eſt maior propoſitio, in qua medium ſubiicitur: illa eſt minor, in qua medium attribuitur. Ratio eſt: quia maius extremum facit maiorem propoſitionem, minus extremum minorem propoſitionem, cùm autem duorum extremorum alterum attribuitur, alterum ſubiicitur medio: neceſſe eſt illud eſſe maius, quod attribuitur: illud autem eſſe minus, quod ſubiicitur.

74 ¶ Syllogiſmi hypothetici concluſionem principalem non probant ſyllogiſmo, ſed ex hypotheſi: quia ſupponitur, ſi aliud quidpiam ſyllogiſmo probetur, etiam id, de quo dubitabatur, eſſe concedendum. Exempli causâ, ſi dubitetur num voluptas ſit bona, ſupponimus, ſi probetur voluptatem eſſe expetendam, concedi etiam oportere voluptatem eſſe bonam: quod igitur voluptas ſit expetenda, probatur categoricè in aliqua ex tribus figuris, quòd autem voluptas ſit bona, non concluditur ſyllogiſticè in aliqua figura, ſed probatur ex hypotheſi.

Cap. 23. 75 ¶ Non alia eſt ratio ſyllogiſmorum ducentium ad impoſſibile. nam concluſionem impoſſibilem categoricè probant in aliqua ex tribus figuris: quod verò ab initio propoſitum fuit, id eſt concluſionem principalem, non probant ſyllogiſticè, ſed ex hypotheſi: quia ſcilicèt niſi id concedatur, neceſſario concedenda eſt eius contradictio: qua poſita, inde colligitur aliquid abſurdum & impoſſibile. verbi gratiâ probo, voluptatem eſſe bonam: quia niſi hoc concedatur, ponendum erit, voluptatem non eſſe bonam: vnde efficietur id non eſſe bonum, quod omnia appetunt: hoc autem eſt abſurdum, quia bonum ita definitur 1. Ethic. cap. 1.

76 ¶ De ſyllogiſmis ducentibus ad impoſſibile dicetur libro ſe-

bro ſequenti: generaliter autem hypotheticorum formæ nunc explicandæ videntur.

77 ¶ Syllogiſmorum hypotheticorum duo ſunt genera. Nam in quibuſdam nihil eſt categorici:in aliis minor propoſitio & concluſio ſunt categoricæ: ſed nihilominus appellatione ſumpta à deteriori parte, & quia tota probandi vis in hypotheſi conſiſtit,hypothetici appellantur.

78 ¶ Prioris generis ſyllogiſmi referuntur ad tres figuras ſimiles tribus figuris categoricis.Prima figura eſt,in qua medius terminus partim ſubiicitur,partim attribuitur. ſecunda, in qua tantùm attribuitur.tertia,in qua tantùm ſubiicitur.

79 ¶ In prima figura ſunt quatuor modi. Primus eſt, cùm omnia pronunciata affirmant; veluti,

Si eſt animal,eſt ſubſtantia:
Si eſt homo eſt animal: Ergo
Si eſt homo eſt ſubſtantia.

Item, *Qualis eſt princeps,talis eſt populus:*
Qualis eſt præceptor principis,talis eſt princeps: Ergo
Qualis eſt præceptor principis,talis eſt populus.

Item, *Vbi ſunt multæ lites,multum eſt iniuſtitiæ:*
Vbi ſunt multi aduocati,ſunt multæ lites: Ergo
Vbi ſunt multi aduocati,multum eſt iniuſtitiæ.

Secundus modus eſt, in quo maior & concluſio negant, minor affirmat:veluti, *Si eſt animal non eſt lapis:*
Si eſt homo,eſt animal: Ergo
Si eſt homo,non eſt lapis.

Tertius modus eſt,in quo ſola minor negat;veluti,
Si non eſt bonum,eſt malum:
Si eſt voluptuoſum,non eſt bonum: Ergo
Si eſt voluptuoſum,non eſt malum.

Quartus modus eſt,in quo omnia pronunciata negát: veluti,
Si non eſt animal,non eſt homo:
Si non eſt ſubſtantia,non eſt animal: Ergo
Si non eſt ſubſtantia,non eſt homo.

80 ¶ Regula huius figuræ eſt: Qualis eſt maior, talis eſt concluſio.id eſt,ſi maior affirmat,concluſio affirmat.ſi maior negat,concluſio negat.

81 ¶ In ſecunda figura ſunt duo modi. Primus ex maiore negáte & minore affirmáte infert cõcluſionẽ negantẽ:veluti,

Si eſt lapis, non eſt animal:
Si eſt homo, eſt animal: Ergo
Si eſt homo, non eſt lapis.

Secundus modus ex maiore affirmante & minore negante colligit concluſionem negantem: veluti,

Si eſt homo, eſt animal:
Si eſt lapis, non eſt animal: Ergo
Si eſt lapis, non eſt homo.

82 ¶ Regulæ huius figuræ ſunt duæ. I. Altera propoſitio affirmet, altera neget. II. Concluſio neget..

83 ¶ In tertia figura ex propoſitionibus conditionalibus colligitur concluſio alternata. Poſſunt autem hic conſtitui duo modi. Primus modus eſt, cùm hypotheſis in maiore propoſitione concipitur affirmatiuè, in minore negatiuè: veluti,

Si eſt ſubſtantia, eſt per ſe:
Si non eſt ſubſtantia, eſt per aliud: Ergo
Aut eſt per aliud, aut per ſe.

Secundus modus eſt, cùm hypotheſis in maiore propoſitione concipitur negatiuè, in minore affirmatiuè: veluti,

Si non eſt ſubſtantia, eſt per aliud:
Si eſt ſubſtantia, eſt per ſe: Ergo
Aut eſt per ſe, aut per aliud.

84 ¶ Expoſui ſyllogiſmos merè hypotheticos: ſequuntur ij, qui conſtant ex maiore hypothetica, minore autem & concluſione categoricis. Hi partim fiunt ſecundum transſumptionem, partim ſecũdum aſſumptionem. Secundum transſumptionem dicuntur, cùm ex maioris propoſitionis hypotheſi ſumitur minoris attributum: veluti,

Si eſt animal, eſt ſubſtantia:
Atqui eſt animal: Ergo
Eſt ſubſtantia.

Secundum aſſumptionem dicuntur, qui aſſumunt in minore attributum præter terminos in maiore expreſſos: veluti,

Qualis eſt princeps, tales ſunt ciues:
Atqui bonus eſt princeps:
Ergo boni ſunt ciues.

Nam *Bonus* in minore attribuitur principi, in maiore autem non exprimitur.

85 ¶ Syllogiſmi ſecundum transſumptionem diuiduntur

tur in cõditionales, qui alteram propoſitionem habent conditionalem, alteram categoricam, & alternatos, qui alteram propoſitionem habent alternatam, alteram categoricam. Propoſitio conditionalis eſt, quæ ſuſpenditur conditionali particulà *Si*: veluti, *Si Sol eſt ſuper terram, dies eſt.* Propoſitio alter nata eſt, quæ ſub diſiunctione profertur: veluti,

86 ¶ Syllogiſmi conditionales vel arguunt à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, vel ab euerſione conſequentis ad euerſionem antecedentis.

87 ¶ A poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis arguitur quatuor modis. Primus ex affirmationibus affirmationem colligit: veluti,

Si eſt homo, eſt animal:
Atqui eſt homo:
Ergo eſt animal.

Secundus ex affirmatione, & negatione affirmationem probat: veluti, *Si non eſt ſubſtantia, eſt accidens:*
Atqui non eſt ſubſtantia:
Ergo eſt accidens.

Tertius ex negatione & affirmatione negationem concludit: veluti, *Si eſt animal, non eſt lapis:*
Atqui eſt animal:
Ergo non eſt lapis.

Quartus ex negationibus infert negationem: veluti,
Si non eſt animal, non eſt homo:
Atqui non eſt animal:
Ergo non eſt homo.

88 ¶ Ab euerſione quoque conſequentis ad euerſionem antecedentis arguitur quatuor modis. Primus ex affirmatione & negatione negationem concludit: veluti,
Si eſt homo, eſt animal:
Atqui non eſt animal:
Ergo non eſt homo.

Secundus ex affirmatione & negatione affirmationem colligit: veluti, *Si non eſt ſubſtantia, eſt accidens:*
Atqui non eſt accidens.
Ergo eſt ſubſtantia.

Tertius ex negatione & affirmatione negationem colligit: veluti, *Si eſt animal, non eſt lapis:*

Atqui eſt lapis:
Ergo non eſt animal.

Quartus ex negatione & affirmatione probat affirmationem: veluti, *Si non eſt animal, non eſt homo:*
Atqui eſt homo:
Ergo eſt animal.

89 ¶ In his modis patet, in maiore affirmatum, in minore poni, ſi affirmetur: tolli, ſi negetur. item in maiore negatum, in minore poni, ſi negetur: tolli, ſi affirmetur. vt enim negatio affirmationem, ita affirmatio negationem euertit.

90 ¶ Syllogiſmi alternati vel arguunt à poſitione ad euerſionem: veluti,

I.
Aut eſt dies, aut nox:
Sed eſt dies:
Ergo non eſt nox.

II.
Aut eſt dies, aut nox:
Sed eſt nox:
Ergo non eſt dies.

vel ab euerſione ad poſitionem: veluti,

I.
Aut eſt dies, aut nox:
Sed non eſt dies:
Ergo eſt nox.

II.
Aut eſt dies, aut nox
Sed non eſt nox:
Ergo eſt dies.

Eadem ratio eſt, ſi in maiore ſint plura membra, dummodò nullum poſtea prætermittatur: veluti,

I.
Aut eſt dies, aut nox, aut crepuſculum:
Atqui eſt dies:
Ergo nec eſt nox, nec crepuſculum.

II.
Aut eſt dies, aut nox, aut crepuſculum:
Atqui non eſt dies:
Ergo eſt nox, aut crepuſculum.

III.

III.

Aut eſt dies, aut nox, aut crepuſculum:
Atqui nec eſt dies, nec nox:
Ergo eſt crepuſculum.

91 ¶ Præter hæc ſyllogiſmorum genera, quidam addunt ſyllogiſmum. quem vocant *μετὰ συμπλοκῆς τῆς ἀποφάσεως, cum negationis complexione.* Hic è duorum coniunctione negata, & vno affirmato, colligit alterius affirmationem: veluti,

I.

Non eſt & dies, & nox:
Atqui eſt dies:
Ergo non eſt nox.

II.

Non eſt & dies & nox:
Atqui eſt nox:
Ergo non eſt dies.

Hoc modo non licet arguere ab euerſione ad poſitionem: veluti, *Non eſt & album, & nigrum:*
Atqui non eſt album:
Ergo eſt nigrum.

Conſequentia non valet: quia poteſt eſſe nec album nec nigrum, ſed rubrum, aut viride.

92 ¶ Expoſita ſunt omnia genera ſyllogiſmorum ſecundum transſumptionem. Syllogiſmorum autem ſecundum aſſumptionem tria tantùm ſunt genera. Primum genus eſt eorum, qui negatiuè arguunt ab eo quod magis videtur, ad id quod minùs videtur. Nam ſi illud non ſit, etiam hoc non eſſe concluditur: veluti,

Magis calefacit Sol, quàm Luna:
Atqui ſol centrum terræ non calefacit:
Ergo multò minùs Luna.

Secundum genus eſt eorum, qui è contrario affirmatione arguunt ab eo quod minùs videtur, ad id quod magis: veluti,

Minùs trahunt duo equi, quàm tres:
Atqui duo equi trahunt currum:
Ergo multi magis tres equi trahent eundem currum.

Tertium genus eſt eorum qui arguunt ab eo quod æquè videtur. Hi partim ſunt affirmantes: veluti,

Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti:

Atqui occidens peccat:
Ergo etiam is qui inuitum ſeruat, peccat.

Partim negantes: veluti,

Æquè obtemperandum eſt patri, & magiſtratui:
Atqui non eſt obtemperandum patri illicita iubenti:
Ergo neque magiſtratui.

CAP. XXIV.

De qualitate & quantitate terminorum ſyllogiſmi.

Cap.24. 93 Redeo ad ſyllogiſmos categoricos: quorum regulæ generales hæ ſunt. I. Ex ſolis negationibus nihil concluditur. II. Ex ſolis particularibus nihil concluditur. III. Concluſio eſt ſimilis vel vtrique, vel ſaltem vni propoſitioni. Vt concluſio affirmans colligitur ex vtraque propoſitione affirmante: negans autem ex altera affirmante, & altera negante. Rurſus ex propoſitionib. puris colligitur cóclúſio pura, & ex neceſſariis neceſſariā, & ex cōtingentibus contingens: ex neceſſaria verò & pura quādoq. colligitur cóclúſio neceſſaria, quandoq. pura. Verumtamen ex propoſitionibus vniuerſalibus modò infertur concluſio vniuerſalis, vt in prima, ſecunda figura: modò particularis, vt in tertia figura: & ex propoſitionibus neceſſaria & contingente interdum efficitur cóclúſio pura. Quæ omnia ſuprà expoſita ſunt ſuis locis.

CAP. XXV.

De numero terminorum, propoſitionum, & concluſionum.

Cap.25. 26. 94 In omni ſyllogiſmo ſimplici ſunt tres termini, duæ propoſitiones, vna concluſio.

CAP. XXVI.

De problematis in quaque figura adſtruendis, vel euertendis.

Cap.27. 95 Ea problemata faciliùs probantur, quæ in pluribus figuris, & pluribus modis concluduntur: difficiliùs autem, quæ in paucioribus.

96 ¶ Problema vniuerſale affirmans probatur tantùm in Barbara. Vniuerſale negans, in Celarent, Ceſare, Cameſtres. Particulare affirmans, in Darij, Darapti, Diſamis, Datiſi: Particulare negans, in Ferio, Feſtino, Baroco, Felapton, Brocardo, Feriſon: vt ſequens tabella oſtendit.

Problema

Problema	Figura 1.	Figura 2.	Figura 3.
A	Barbara.		
E	Celarent	Ceſare. Iam eſt res	
	Darij		Darapti. Diſamis. Datiſi.
O	Ferio.	Feſtino. Baroco.	Felapton. Brocardo. Feriſon.

97 ¶ Vniuerſale difficiliùs confirmatur, & faciliùs refellitur, quàm particulare. Difficillimè autem omnium confirmatur, & facillimè refellitur vniuerſale affirmans. Nam vniuerſale refutatur: ſiue probetur contraria concluſio, ſiue contradictoria. particulare autem refutatur vno modo, videlicèt ſi contradictio probetur.

98 ¶ Vniuerſale & particulare conſiderantur vel contradictoria, vt, *omnis homo eſt iuſtus, non omnis homo eſt iuſtus*: vel ſubalterna, vt, *omnis homo eſt iuſtus*, *aliquis homo eſt iuſtus*. In priori conſideratione vniuerſalē & particulare ſe inuicem euertunt ac refutant: quia ſemper alterum eſt verum, alterum falſum. In poſteriori conſideratione particulare confirmatur per vniuerſale, ſed vniuerſale non confirmatur per particulare. Nam ſi omnis homo eſt iuſtus, etiam aliquis homo eſt iuſtus: ſed non reciprocatur: non enim ſi aliquis homo eſt iuſtus, propterea neceſſe eſt vt omnis homo ſit iuſtus.

Tractatus II. De inuentione.

CAP. XXVII.

De inuentione præcepta generalia.

99 CVm alia tantùm ſubiiciantur, vt Socrates, Plato, & cetera indiuidua: alia tantùm attribuantur, vt quantum, quale: alia & ſubiiciantur, & attribuantur, vt viuens ſubiicitur ſubſtantiæ, & attribuitur animali: de his potiſſimùm diſputationes inſtituuntur, & ſcientiæ habentur, quæ tam attribui, quàm ſubiici ſolent. Cap.28.

100 ¶ Inuentionis generalia præcepta hæc ſunt. I. Ponendum eſt id, quo de agitur: ac ſumendæ eius definitiones,

& proprietates:& omnino conſequentia, antecedentia, & repugnantia. Conſequentia dicuntur, quæ de eo, quo de agitur, affirmantur antecedentia, de quibus illud affirmatur. repugnantia, quæ de eo negantur: ſeu, de quibus id negatur: quandoquidem negationes (de vniuerſalibus loquor) reciprocantur, ita vt quæ de aliquo negantur, etiam hoc de iis negetur. II. Diſtinguenda ſunt conſequentia in tres claſſes: id eſt, ſeorſum poni debent eſſentialia, propria, accidentaria. Item ſeparanda ſunt conſequentia ſiue attributa neceſſaria à probabilibus. III. Sumenda ſunt conſequentia vniuerſaliter, non in parte, vel indefinitè, vt puta non ſunt quærenda, quæ attribuuntur homini, vel alicui homini, ſed omni homini. IV. Sumenda ſunt antecedentia vniuerſalia: putà quærenda ſunt, de quibus omnibus homo dicitur, non ea, quibus particulariter attribuitur. V. Sumendum eſt conſequens, non quod omne, ſed quod omni attribuitur: quia nota *Omnis*, ſubiecto debet adiungi, non attributo, de interpretat. cap.7. partic.4. VI. Sumantur conſequentia proxima, non remota. verbi gratià, quæ attribuuntur animali, attribuuntur etiam homini, non tamen debent inter hominis conſequentia numerari, ſed ſufficit ea inter animalis conſequentia ponere. VII. Accipienda ſunt antecedentia proxima, non remota. Exempli cauſà, quæ ſubiiciuntur homini, ſubiiciuntur etiam animali: ſed ſufficit hæc inter antecedentia hominis collocare, nec oportet ea in antecedentibus animalis recenſendis repetere. VIII. Non ſolùm ſumantur, quæ ſemper ſunt vera, vt omnem hominem eſſe animal, ſed etiam quæ plerumque ſunt vera, vt omnem virum barbam emittere, omnem matrem amare liberos. IX. Prætermittantur ea, quæ omnibus conſequentia ſunt: hæc enim quærimus, vt pro mediis terminis accipiantur in ſyllogiſmis: atqui ſi medius terminus tantùm affirmetur, erit modus inutilis in ſecunda figura ex duabus affirmantibus. His præceptis obſeruatis, habebimus penum, ex qua poterimus medios terminos ad quoduis problema confirmandum depromere.

CAP. XXIIX.

Specialia & ſingulorum problematum propria præcepta.

Cap.29. 101 AD probandam negationem vniuerſalem ſumatur medium, quod ſit attributi antecedens, & ſubiecti conſequens

conſequens: veluti ſi probandum ſit omnem voluptatem eſſe bonam, ſumatur medium, quod ſubiiciatur bono, & attribuatur voluptati, putà *Expetendum*. hinc enim extruetur ſyllogiſmus in Barbara:

BAR Omne expetendum eſt bonum:
BA Omnis voluptas eſt expetenda:
RA Ergo omnis voluptas eſt bona.

102 ¶ Ad probandam affirmationem particularem ſumatur medium, quod antecedat vtrumque extremum. veluti ſi probandum ſit aliquam voluptatem eſſe bonam, accipiatur medium, de quo & bonum & voluptas affirmentur. hinc extruetur ſyllogiſmus in Darapti: veluti,

DAR Omnis muſica oblectatio eſt bona.
AP Omnis muſica oblectatio eſt voluptas:
TI Ergo aliqua voluptas eſt bona.

103 ¶ Negatio vniuerſalis probatur duobus modis. Primò, ſi ſumatur medium, quod problemati ſubiecto ſit conſequēs, attributo repugnans. Secundò, ſi ſumatur medium, quod ſubiecto problematis repugnet, attributo ſit conſequens. Primo modo fit ſyllogiſmus in Celarent, vt,

CE Nihil rationem de ſtatu dimouens eſt bonum:
LA Omnis voluptas rationem de ſtatu dimouet:
RENT Ergo nulla voluptas eſt bona.

Vel in Ceſare, vt,

CES nullum bonum rationem de ſtatu dimouet:
A Omnis voluptas rationem de ſtatu ſuo dimouet:
RE Ergo nulla voluptas eſt bona.

Secundo modo fit ſyllogiſmus in Cameſtres, veluti,

CAM Omne bonum eſt expetendum:
ES Nulla voluptas eſt expetenda:
TRES Ergo nulla voluptas eſt bona.

104 ¶ Ad probandam negationem particularem ſumatur medium, quod repugnet ſubiecto problematis, & antecedat eius attributum. vnde extruetur ſyllogiſmus in Felapton: veluti, *FEL Nihil fugiendum eſt bonum:*
AP Aliquod fugiendum eſt voluptas:
TON Ergo aliqua voluptas non eſt bona.

105 ¶ Quod autem ſuperiorib. præceptis contineatur vniuerſa inuētionis ratio, hinc patet. Cùm enim medius termi-

nus ad duo extrema ita affectus eſſe debeat, vt cum vtroque connectatur vel affirmatiuè, vel negatiuè: ſi negatiuè connectatur, vocatur repugnans: nec refert, vtrùm ſubiiciatur, an attribuatur; quia propoſitio vniuerſalis negans reciprocatur. ſi verò coniungatur affirmatiuè: vel eſt conſequens, quod attribuitur: vel antecedens, quod ſubiicitur. Quare tam reſpectu maioris quàm minoris extremi, medius terminus aut eſt antecedens, aut conſequens, aut repugnans. Hinc oriuntur nouem coniugationes, ex quibus tres ſunt inutiles, vna indirectè concludit, reliquæ quinque directò concludunt. harum vna probat affirmationem vniuerſalem, vna affirmationem particularem, duæ negationem vniuerſalem, vna negationem particularem, vt in ſequenti deſcriptione, in quâ *A* ſignificat antecedens, *C* conſequens, *R* repugnâs, intueri licet.

AA Darapti.

AC Barbara.

AR. Nihil concludit, quia minor negat in prima (vel tertia) figura.

CA. Baralipton.

CC. Nihil concludit: quia vtraque propoſitio affirmat in ſecunda figura.

CR. Cameſtres.

RA. Felapton.

RC. Celarent. Ceſare.

RR. Nihil concludit: quia vtraque propoſitio negat.

106 ¶ Illud notandum eſt, in hac methodo tantùm haberi rationem ſyllogiſmorum vniuerſalium, prætermiſſis particularibus: quoniam argumentorum copia, quam quærimus, magis habetur per modos vniuerſales, quàm per particulares.

CAP. XXIX.

De ſyllogiſmis ducentibus ad incommodum, & de reliquis hypotheticis: nec non de coniugationibus vtilibus ex hypotheſi, & de attributionibus modificatis.

CAP. 30. 107 INuentionis methodus ſuprà expoſita, non ſolùm pertinet ad ſyllogiſmos categoricos, ſed etiam ad eos qui ducunt ad impoſſibile, quoniam hi fiunt ex iiſdem terminis aliter diſpoſitis. vtputà probandum ſit nullam voluptatem eſſe bonam. categoricè ſic probatur:

Omne

Omne bonum eſt expetendum.
Nulla voluptas eſt expetenda:
Ergo nulla voluptas eſt bona.

per impoſſibile autem, hoc modo:

Omne bonum eſt expetendum.
Aliqua voluptas eſt bona:
Ergo aliqua voluptas eſt expetenda.

hæc concluſio eſt falſa & impoſſibilis, & maior propoſitio eſt vera: ergo minor eſt falſa, aliquam voluptatem eſſe bonam: proinde vera eſt contradictio, nullam voluptatem eſſe bonam: quod erat probandum. vides in vtraque probatione eſſe eoſdem terminos, voluptatem, bonum, expetendum.

108 ¶ Quod ad alios ſyllogiſmos hypotheticos attinet, inuentio referenda non eſt ad ipſum ſyllogiſmum hypotheticum, ſed ad categoricum, quem hypothetico eſſe ad iungendum notaui ſuprà partic. 74. verbi gratiâ,

Si eſt homo, eſt animal:
Atqui eſt homo:
Ergo eſt animal.

hoc modo eſſe animal probatur ex hypotheſi, eſſe autem hominem probare oportet categoricè: atque hic ſyllogiſmus categoricus ſuprà tradita methodo inuenietur.

109 ¶ Eodem modo inueniuntur ſyllogiſmi modificati: quoniam hi à puris non differũt, niſi adiectione modi. ceterùm ſimiliter conſtant ex tribus terminis, maiori, minori, & medio.

CAP. XXX.

De ſyllogiſmis in philoſophia, vel in quauis arte, ſeu diſciplina, & de quacumque re extruendis.

110 EXpoſita methodus in omnibus artibus & ſcientiis valet. in omnibus enim ſpectare oportet rei qua de agitur, antecedentia, conſequentia, & repugnantia: puta corporis & motus in phyſicis: voluptatis & boni in ethicis.

111 ¶ Quæret fortaſſe hoc loco aliquis, qua ratione inueniri poſſint cuiuſque rei antecedentia, conſequentia, repugnantia. Sed hoc non poteſt logicis pręceptis includi: verùm hæc ab experientia ſuppeditantur. ſic obſeruatio τῶν φαινομένων, aſtrologiæ: ſic rerum naturalium experiẽtia, phyſicæ principia ſuggerit. Eadem eſt aliarum ſcientiarum & artium ratio: omnes enim principia ſumunt ab experientia.

112 ¶ Expoſita eſt inuentionis ratio vniuerſalis:alia eſt ſpecialis,& propria dialectici,quæ in libris Topicis tradetur.

CAP. XXXI.

De diuiſione.

Cap.32. 113 Diuiſiuus ſyllogiſmus ſumit vniuerſale pro medio termino,differentias pro maiori extremo, ſpeciem pro minori extremo:&cùm differentias de ſpecie concludat alternatè,vnam ex iis concedi,& alteram reiici ſine vlla probatione poſtulat:verbi gratiâ,

Omne animal vel eſt mortale,vel immortale:
Omnis homo eſt animal: Ergo
Omnis homo eſt mortalis. ſiquidem non eſt immortalis.

114 ¶ Eiuſmodi ſyllogiſmus non habet in omnibus problematis locum. Primò non poteſt concludere negationem. Præterea non poteſt fieri de problemate accidentis, vel proprij,vel generis. Denique eo non poſſumus vti in iis, in quibus non apparet,vtrùm hoc,an illo modo ſe habeant. exempli cauſâ,ſi ſic arguas:

Quicquid eſt,aut eſt genitum,aut ingenitum:
Atqui mundus eſt:
Ergo mundus eſt ingenitus,non genitus:

inepta erit argumentatio, laborans eo vitio, quod vocatur Petitio quæſiti.petit enim ſibi ſine probatione cõcedi, quod dubium eſt,& in diſceptationem venit.

Tractatus III. De reſolutione.

CAP. XXXII.

De accipiendis propoſitionibus,terminis,medio termino,& figura.

Cap.33. 114 Dvplex eſt ſyllogiſmorum reſolutio. Prior eſt argumentationis confuſæ, & perturbatæ,aut inuolutæ,ſiue imperfectæ reſolutio in figuram & modum. Poſterior eſt ſyllogiſmi artificioſè conſtructi reſolutio ex vna in aliam figuram. De priori priùs dicamus.

115 ¶ Pro

115 ¶ Propoſita quacumque oratione ſyllogiſtica, hæc sũt obſeruanda, vt ex ea ſyllogiſmus eruatur. I. Excipiantur duę propoſitiones. II. Spectetur, vtra ſit vniuerſalis, vtra particularis: vel vtra ſit magis, vtra minùs vniuerſalis. III. Si qua propoſitio deeſt, ſuppleatur. ſi quid redundat, prætermittatur. IV. Etiamſi ex quibuſdam poſitis aliquid colligatur, non propterea putandum eſt eſſe ſyllogiſmum, niſi ſint propoſitiones ita affectæ, vt poſſint ad aliquem ex modis ſyllogiſticis ſuprà expoſitis reduci. V. Propoſitiones ſunt reſoluendæ in tres terminos. VI. Notandus eſt medius terminus, nimirum qui in vtraque propoſitione ponitur. Nam in qua oratione nullus terminus repetitur, deeſt medius terminus, idcóque non eſt oratio ſyllogiſtica. VII. Ex problemate diiudicetur figura. vtputà ſi problema ſit vniuerſale affirmans, ſyllogiſmus debet eſſe in prima figura, non in ſecunda, vel tertia. Cùm autem problema in pluribus figuris probari poteſt, ex medij termini poſitione figura cognoſcitur. etenim in prima figura ſubiicitur & attribuitur: in ſecunda tantùm attribuitur: in tertia tantùm ſubiicitur. Sunt & alia præcepta obſeruanda, quæ ſequentibus capitibus explicabuntur. Cap. 34.

CAP. XXXIII.

De terminorum qualitate ſpectanda.

116 CAuendum, ne putemus ex propoſitionibus indefinitis colligi concluſionem, quaſi ex vniuerſalibus. Nam in ſyllogiſmis propoſitiones indefinitæ comparantur particularibus. Cap. 35.

CAP. XXXIV.

De nominibus concretis, & abſtractis.

117 CAuendum etiam, ne ſumantur nomina in abſtracto, vbi ſuméda ſunt in concreto. Alioqui ſequetur hæc abſurditas, ex propoſitionibus veris effici falſam concluſionem in omnibus figuris, vt in ſequentibus exemplis. Cap. 36.

I.

CE Neceſſe eſt ſanitatem ineſſe nulli morbo:
LA Morbus ineſt omni homini: Ergo
RENT Neceſſe eſt ſanitatem ineſſe nulli homini.

II.

CES Neceſſe eſt ſanitatem ineſſe nulli morbo:
A Contingit ſanitatem ineſſe omni homini:
RE Ergo morbus ineſt nulli homini.

III.

DAR Contingit ſanitatem ineſſe omni homini:
AP Contingit morbum ineſſe omni homini: Ergo
TI Contingit ſanitatem ineſſe alicui morbo.

CAP. XXXV.

De iis quæ nomine carent.

CAP. 37. 118 NOn eſt exiſtimandum tot ſemper eſſe terminos, quot ſunt dictiones: quia interdum oratio aliqua accipitur pro termino. verbi gratiâ, ſi probetur triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis: tri angulum eſt minus extremum: habere tres angulos æquales duobus rectis, eſt maius extremum.

CAP. XXXVI.

De nomine recto, & obliquis caſibus.

119 TErmini per ſe ſunt concipiēdi in recto caſu: in propoſitionibus autem conficiendis vtendum eſt iis caſibus, quos ratio linguæ requirit. Exempli causâ, termini ſunt voluptas motio generatio: ſyllogiſmus autem ita extruitur.

Generationis non eſt generatio:
Voluptatis eſt generatio: Ergo
Voluptas non eſt generatio.

CAP. XXXVII.

De variis attributionum generibus.

120 NOtandum eſt attributionis genus. nam alia attribuuntur eſſentialiter, vt, *homo eſt animal*: alia accidentaliter, vt, *homo eſt albus.* rurſus alia attribuuntur purè, vt, *homo eſt iuſtus:* alia neceſſariò, vt, *neceſſe eſt hominem eſſe animal:* alia contingenter, vt, *contingit hominem eſſe album.*

CAP.

CAP. XXXVIII.

De iteratione,ſeu repetitione eiuſdem termini.

121 ITeratio debet adiungi maiori extremo: veluti, Cap. 38.
Boni eſt ſcientia quà bonum:
Iuſtitia eſt bonum: Ergo
Iuſtitia eſt ſcientia quà bonum.

CAP. XXXIX.

De commutatione orationum & nominum.

122 SI plura vocabula idem ſignificent: accipiendum eſt vnum ex his, nempe quod eſt facilius & notius. Similiter ſi duæ orationes idem valeant, ea ſola accipienda eſt, quæ eſt facilior. At ſi idem oratione & nomine ſignificari poſſit, nomen potiùs accipi debet, quàm oratio. Cap. 39.

CAP. XL.

De articulis.

123 IN quibus linguis recepti ſunt articuli, non ſunt confundenda nomina cum articulis, & ſine articulis. aliud enim eſt ἀγαθὸν, (exempli cauſa) aliud τὸ ἀγαθὸν. illud ſignificat quoduis bonum: hoc autem ſignificat ſummum bonum, id eſt, beatitudinem.

CAP. XLI.

Interpretatio quarundam orationum.

124 NOtanda eſt vis quarumdam orationum, quæ maximè pertinent ad ſyllogiſmos. I. Cui ſecundum ineſt, ei omni primum ineſt. hinc ſumitur maior in Barbara, vel Darij. II. Cui omni ſecundum ineſt, ei omni primum ineſt. hinc ſumuntur maior & minor in Barbara. III. Primum ineſt ſecundo. hinc ſumitur maior indefinita in prima figura: ideóque nihil concluditur. IV. De quo ſecundum verè dicitur, huic omni primum ineſt. hinc ſumitur maior in Barbara, vel Darij. V. Primum de eo dicitur, de quo omni dicitur ſecundum. hinc ſumũtur maior particularis, & minor vniuerſalis, affirmantes, in prima figura: ex quibus nihil concluditur. VI. De quo dicitur ſecundum, de omni eo dicitur primum. hinc ſumitur maior propoſitio in Barbara, vel in Darij.

CAP. XLII.

De reſolutione ſyllogiſmorum compoſitorum.

125 SYllogiſmus compoſitus diuidatur in ſimplices: & ſinguli ſimplices referantur ad propriam figuram, & modum.

CAP. XLIII.

De reprehendenda definitione.

126 IN definitione reprehendenda ne ſumatur tota definitio pro termino, ſed ea tantùm definitionis pars, quæ reprehenditur.

CAP. XLIV.

De reſolutione ſyllogiſmorum ducentium ad incommodum,& ceterorum qui fiunt ex hypotheſi.

Cap.40. 127 SYllogiſmus hypotheticus non eſt referendus ad aliquam ex tribus figuris.vide partic.74.

128 ¶ Deductio ad impoſſibile reſoluenda eſt in figuram, & modum:quia impoſſibile probatur categoricè.ſed problema probatur hypotheticè,non in vlla figura categorica. vide partic.75.

CAP. XLV.

De reſolutione ſyllogiſmorum vnius figuræ in aliam.

Cap.41. 129 EXpoſita eſt reſolutio orationis perturbatæ vel imperfectæ vel redundantis,in figuram & modum:ſequitur reſolutio ſyllogiſmi ex vna figura in aliam.

130 ¶ Prima figura reſoluitur in ſecundam; vel ſecunda in primam per conuerſionem maioris propoſitionis. Prima figura reſoluitur in tertiam, vel tertia in primam per conuerſionem minoris propoſitionis. Secunda figura reſoluitur in tertiam, vel tertia in primam, per conuerſionem vtriuſque propoſitionis. Interdum tranſponuntur propoſitiones, vt ſignificat litera m in reſolutione τῶ Cameſtres in Celarent. hæc ideo quia cùm per maioris conuerſionem fieri debeat reſolutio ſecundæ figuræ in primam, & ſyllogiſmi in Cameſtres tantùm minor conuerti poſſit, non maior: opus eſt vt ea minor euadat maior,vt reſolutionis regula ſeruetur.Simili ratione tranſponuntur propoſitiones in reſolutione τῶ Diſamis in

mis in Darij, id eſt, quia reſolutio tertiæ figuræ in primam requirit conuerſionem maioris propoſitionis: τῦ Diſamis autem maior conuerti poteſt, non minor: vnde opus eſt, vt hæc minor fiat maior in Darij. Quod dixi, maiorem τῦ Cameſtres, & minorem τῦ Diſamis non poſſe conuerti, ſic accipe, vt dicantur non poſſe conuerti ſimpliciter, ita vt eadem concluſio probari poſſit in prima figura cùm enim ſint propoſitiones vniuerſales affirmantes, per accidens conuerti poſſunt, ita vt euadant particulares. Sed ſi ita conuertas maiorem τῦ Cameſtres, cùm hæc propoſitio fiat particularis, non poteris ampliùs probare concluſionem vniuerſalem negantem. ſi verò ita conuertas minorem τῦ Diſamis, habebis ambas propoſitiones particulares, ex quibus nihil concludi poteſt.

131 ¶ Syllogiſmi incipientes à B, non reſoluuntur, id eſt, Barbara, Baroco, Brocardo.

132 ¶ Reſolutio facienda eſt in modum incipientem ab eadem litera: & ſi duo ſint modi ab eadem litera incipientes in ea figura, in quam fit reſolutio, ſumendus eſt modus, in quo non eſt litera M. Sic Celarent reſoluitur in Ceſare, non in Cameſtres. Sed tam Cæſare quàm Cameſtres reſoluuntur in Celarent.

133 ¶ Ferio reſoluitur in Feſtino & Feriſon. Feſtino, Felapton, Feriſon, reſoluuntur in Ferio. Darij reſoluitur in Datiſi. Darapti, Diſamis, Datiſi reſoluuntur in Darij.

CAP. XLVI.

De attributis finitis, vel infinitis, & de habitibus, vel priuationibus.

134 Attributum finitum negatum, vt *non eſt iuſtus*, & Cap. 42. infinitum affirmatum, vt *eſt non iuſtus*, differunt: hoc quidem probatur in modo affirmatiuo, illud autem in modo negatiuo.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER V.

PRIORVM ANALYTICORVM SECVNDVS.

TRACTATVS I.

De poteſtatibus ſyllogiſmorum.

Cap. I.

De poteſtate plura concludendi.

POTESTATES ſeu vires ſyllogiſmorum ſunt ſex. I. Plura concludere. II. Ex falſis verum probare. III. Circulus IV. Cōuerſio. V. Deductio ad incommodum. VI. Ratiocinatio ex oppoſitis.

Cap.I. 2. ¶ Duplex ratio eſt, propter quam ſyllogiſmi plura concludunt. I. Syllogiſmus directò inferens aliquam concluſionem, indirectò probat eius conuerſam, ſi concluſio conuerti poteſt. verbi gratiâ, ſi directò probat omnem, vel aliquem hominem eſſe iuſtum, indirectò probat aliquod iuſtum eſſe hominem. Item ſi directò concludit nullum hominem eſſe iuſtum, indirectè concludit nullum iuſtum eſſe hominem. Particularis autem negans non conuertitur. quare ſyllogiſmus directò concludens aliquem hominem nō eſſe iuſtum, indirectè nihil probat. II. Colligens vniuerſalem concluſionem, ſimul probat particulares ſub ea contentas. vtpura concludens omne animal ſentire, concludit etiam aliquod animal ſentire, vt omnem hominem ſentire.

CAP. II. III. & IV.

De poteſtate concludendi verum ex falſis.

3 DE veritate vel falſitate concluſionis, prout ex propoſitionibus colligitur, tres regulæ notentur. I. Si ambę propoſitiones ſunt veræ, etiam concluſio eſt vera. nam ex veris falſum non colligitur. II. Si maior ſit non ex parte, ſed omnino falſa, minor autem ſit vera, in Barbara, vel Celarent: concluſio eſt falſa, vt in ſequentibus exemplis, Cap. 2. 3. & 4.

I.

BAR Omne animal eſt lapis:
BA Omnis homo eſt animal: Ergo
RA Omnis homo eſt lapis.

II.

CE Nullum animal ſentit:
LA Omnis homo eſt animal: Ergo
RENT Nullus homo ſentit.

Cum dico propoſitionem eſſe omnino vel ex parte falſam, intelligo propoſitionem vniuerſalem: quæ ſi eſt contraria veræ, dicitur falſa omnino. ſin eſt contraria falſæ, dicitur falſa ex parte. Cùm enim contrariarum propoſitionum altera eſt vera, altera falſa, vt, *omne animal ſentit*, *nullum animal ſentit:* hæc dicitur omnino & in totum falſa. Cùm autem ſunt ambæ falſæ, vt, *omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus:* dicuntur ex parte falſæ. III. Extra duos caſus ſuperiorib. regulis comprehenſos, qualeſcũque ſint propoſitiones concludentes, cõcluſio æquè poteſt eſſe vera ac falſa: vt in ſequẽtibus exẽplis,

I.

BAR Omnis lapis eſt animal:
BA Omnis homo eſt lapis: Ergo
RA Omnis homo eſt animal.

II.

BAR Omnis lapis eſt coruus:
BA Omnis homo eſt lapis: Ergo
RA Omnis homo eſt coruus.

III.

CES Nullum animal eſt coruus:
A Omnis lapis eſt coruus: Ergo
RE Nullus lapis eſt animal.



9 ¶ Cùm ſyllogiſmus eſt vniuerſalis negatiuus:propoſitio negans poteſt circulo probari,vt in ſequenti exemplo:

CE N.corruptibile eſt æternũ: — *CE N. genitum eſt æternũ:*
LA O. genitũ eſt corruptibile: — *LA O.corruptibile eſt genitũ:*
RENT Ergo nihil genitum eſt æternum. — *RENT Ergo nihil corruptibile eſt æternum.*

Propoſitio autem affirmans non probatur circulo, niſi altera conuertatur in hypotheticam affirmantem,hoc modo:

CE N. corruptibile eſt æternum: — *Cui nulli ineſt æternum,ei omni ineſt corruptibile:*
LA O.genitũ eſt corruptibile: — *Nulli genito ineſt æternũ:Ergo*
RENT Ergo n. genitum eſt æternum. — *Omni genito ineſt corruptibile.*

10 ¶ Cùm ſyllogiſmus eſt particularis affirmans:tũc propoſitio particularis poteſt probari circulo: & quidem perfectè probabitur,ſi ſit ſyllogiſmus in Darij, aut Diſamis:veluti,

I.

DA O.homo eſt rationalis: — *DA O.rationale eſt homo:*
RI A album eſt homo.Ergo — *RI A.album eſt rationale: Ergo*
I A.album eſt rationale. — *I. A.album eſt homo.*

DIS A.homo eſt albus:	*DIS A.rationale eſt album:*
AM O.homo eſt rationalis	*AM O.rationale eſt homo:*
IS Er.a.rationale eſt album.	*IS Ergo a.homo eſt albus.*

Imperfectè autē probabitur, ſi ſit ſyllogiſmꝰ in Datiſi: veluti,

DAT O. homo eſt rationalis:	*DA O.rationale eſt homo:*
IS A.homo eſt albus: Ergo	*RI A.album eſt rationale: Ergo*
I A.album eſt rationale.	*I A album eſt homo: proinde aliquis homo eſt albus.*

Propoſitio verò vniuerſalis probari nequit: quomodo enim ex concluſione & propoſitione particulari probaretur altera propoſitio vniuerſalis?

11 ¶ Syllogiſmorum particularium negantium, propoſitio vniuerſalis ſiue affirmet ſiue neget, non poteſt circulo probari. Particularis negans probari poteſt: veluti,

BAR O.homo eſt rationalis:	*BAR O.rationale eſt homo:*
OC A. animal non eſt rationale: Ergo	*OC A.animal non eſt homo: Ergo*
O. A.animal non eſt homo.	*O A.animal non eſt rationale.*

Particularis affirmans ita demum circulo probatur, ſi altera propoſitio ex negante categorica vertatur in affirmantem hypotheticam: veluti,

FE N.corruptibile eſt æternum:	*Cui non omni attribuitur æternum, alicui attribuitur corruptibile:*
RI A.viuens eſt corruptibile: Ergo	*Non omni viuenti attribuitur æternum: Ergo*
O A.viuens non eſt æternum.	*Alicui viuenti attribuitur corruptibile.*

CAP. VIII.

De conuerſione ſyllogiſmorum in prima figura.

Cap.8. 12 Conuertere, vt hoc loco accipitur, nihil aliud eſt, quàm facto ſyllogiſmo ſumere propoſitionē cōcluſioni oppoſitā, i. cōtrariā vel cōtradicētē, eiq; adiūgere alterutram propoſitionē, & inde euertere reliquā propoſitionem.

13 ¶ Duplex diuiſio hîc notāda eſt. I. Aut ſumitur propoſitio contraria concluſioni, aut contradicens. II. Aut colligitur cōcluſi propoſitioni euertendæ contraria, aut cōtradicens. Contrariæ dicuntur, quæ differūt qualitate, quia altera affirmat, altera negat, nō quantitate, quia vtraq; eſt vniuerſalis

ſalis, vt,*oīs homo eſt iuſtus,nullus homo eſt iuſtus*,vel vtraq;particularis,vt *aliquis homo eſt iuſtus, aliquis homo non eſt iuſtus*.Cōtradicētes ſunt,quæ qualitate & quātitate differunt:vt,*omnis homo eſt iuſtus,non omnis homo eſt iuſtus*:item,*nullus homo eſt iuſtus, aliquis homo eſt iuſtus*.

14 ¶ De hac conuerſione notentur:ſex regulæ generales. I. In alia figura fit primus ſyllogiſmus: in alia euertitur maior: in alia euertitur minor. II. Pronuntiata contradicentia ſe mutuò euertūt. III.Pronūtiata cōtraria vniuerſalia ſe mutuò euertūt.IV.Pronūtiata cōtraria particularia,quę vulgò vocātur ſubcōtraria,poſsūt eſſe ſimul vera.V.Cōuerſio cōcluſionis in propoſitionē ſubcōtrariā,nūquā propoſitionē euertit.

15 ¶ Exempla conuerſionum hæc ſunto:

I.

Euerſio maioris.	Primus ſyllogiſmus.	Euerſio minoris.
FEL N. voluptas eſt vtilis:	*BAR O.expetendū eſt vtile:*	*CAM O.expetendū eſt vtile:*
AP O.voluptas eſt expetēda:Ergo	*BA O.voluptas eſt expetēda:Ergo*	*ES N.voluptas eſt vtilis:Ergo*
TON A. expetēdū non eſt vtile.	*RA O.voluptas eſt vtilis.*	*TRES N. voluptas eſt expetenda.*

II.

DAR O voluptas eſt vtilis:	*CE N. expetēdum eſt vtile:*	*CES N.expetēdum eſt vtile:*
AP O.voluptas eſt expetēda.Ergo	*LA O.voluptas eſt expetenda:Ergo*	*A O. voluptas eſt vtilis:Ergo*
TI A.expetendum eſt vtile	*RENT N. voluptas eſt vtilis.*	*RE N. voluptas eſt expetenda.*

16 ¶ De prima figura notentur quatuor regulę. I. Maior propoſitio euertitur in tertia figura,minor in ſecunda.II.Maior euertitur contradictoriè: minor euertitur eo modo, quo cōcluſio cōuerſa eſt,id eſt,ſi ſūpta ſit propoſitio concluſioni cōtraria,minor propoſitio euertitur cōtrariè.ſi cōtradictoria, cōtradictoriè.III.Sūpta propoſitione cōcluſioni cōtraria,maior τῦ Barbara euertitur in Felaptō,minor in Cameſtres: maior τῦ Celarēt in Darapti,minor in Ceſare:neutra propoſitio τῦ Darij vel Ferio euertitur IV.Sūptâ propoſitione cōcluſioni contradicente, maior τῦ Barbara euertitur in Brocardo, minor in Baroco : maior τ̃ Celarent in Diſamis , minor

in Feſtino: maior τοῦ Darij in Feriſon, minor in Cameſtres: maior τοῦ Ferio in Datiſi, minor in Ceſare.

Cap. IX.

De conuerſione ſyllogiſmorum in ſecunda figura.

Cap. 9. 17 Similiter de ſecunda figura quatuor ſunt regulæ. I. Maior propoſitio euertitur in tertia figura, minor in prima. II. Maior euertitur contradictoriè: minor euertitur eodem modo, quo concluſio conuerſa eſt. III. Sumpta propoſitione concluſioni contraria, maior propoſitio τοῦ Ceſare euertitur in Darapti, minor in Celarent: maior τοῦ Cameſtres in Felaptó, minor in Barbara: neutra propoſitio τοῦ Feſtino vel Baroco euertitur. IV. Sumpta propoſitione concluſioni contradicente, maior τοῦ Ceſare euertitur in Datiſi, minor in Ferio: maior τοῦ Cameſtres in Feriſon, minor in Darij: maior τοῦ Feſtino in Diſamis, minor in Celarent: maior τοῦ Baroco in Brocardo, minor in Barbara.

Cap. X.

De conuerſione ſyllogiſmorum in tertia figura.

Cap. 10. 18 Regulæ ad tertiam figuram pertinentes ſunt hæ. I. Maior propoſitio euertitur in prima figura, minor in ſecunda. II. Syllogiſmorum vniuerſalium vtraque propoſitio euertitur contrariè, particularium vtraque contradictoriè. III. Sumpta propoſitione concluſioni contraria: id eſt, ſubcontraria: (nam ſemper concluſio in hac figura eſt particularis) nihil euertitur. IV. Sumpta propoſitione concluſioni contradicente, maior τοῦ Darapti euertitur in Celarent, minor in Ceſare: maior τοῦ Felapton in Barbara. minor in Cameſtres: maior τοῦ Diſamis in Celarent, minor in Feſtino: maior τοῦ Datiſi in Ferio, minor in Ceſare: maior τοῦ Brocardo in Barbara, minor in Baroco: maior τοῦ Feriſon in Darij, minor in Cameſtres.

Cap. XI.

Cap. 11. *De deductione ad impoſſibile in prima figura.*

19 Deductio ad impoſſibile fit ſumpta propoſitione problemati contradicente, & adiuncta alterâ propoſitione perſpicuè vera; vnde colligitur concluſio perſpicuè falſa: ex cuius concluſionis falſitate colligitur ſaltem vnam

vnam propoſitionem eſſe falſam: & quia patet alteram eſſe veram,neceſſe eſt hanc eſſe falſam,quæ problemati cõtradicit:proinde problema eſſe verum,ſi quidem neceſſe eſt alteram contradictionis partem eſſe veram,alteram falſam.

20 ¶ Quare falſum & impoſſibile probatur categoricè in vna ex tribus figuris,& in vno ex modis receptis: problema verò hypotheticè,vt ſuperiori libro notauimus.

21 ¶ Vt autem probetur aliquod problema, ſumendus eſt modus, in quo poſſit poni propoſitio ei problemati contradicens: ferè enim cuiuſuis propoſitionis falſitas oſtendit veritatem contradicentis pronunciati. Dixi *ferè*,propter ſyllogiſmos in Darapti,vel Felapton,in quibus hæc regula non habet locum,vt poſteriùs docebo. partic.34. memb.1. & partic.35. memb.1.& 2.

22 ¶ Deductio ad impoſſibile per quàm ſimilis eſt conuerſioni.Sed diſcrimen in eo poſitum eſt,quod ſyllogiſmum conuerſiuum alius ſyllogiſmus præcedit,cuius concluſio cõuertitur,& propoſitio euertitur: ſyllogiſmum verò ducẽtem ad impoſſibile non præcedit alius ſyllogiſmus. Quare ante conuerſionẽ duæ propoſitiones ſumptæ & cõceſſæ ſunt:ante deductionẽ ad impoſſibile vna tãtùm eſt cõceſſa, altera verò ponitur,nõ vt conceſſa,ſed vt euertenda, quandoquidem ex falſitate cõcluſionis colligetur hãc propoſitionẽ eſſe falſam.

23 ¶ Exemplũ deductionis ad impoſſibile hoc eſto.Probandum ſit aliquam voluptatem eſſe bonam.Sic argumẽtor: Niſi aliqua voluptas ſit bona, nulla voluptas eſt bona: atqui aliqua voluptas eſt expetenda:vnde in Feriſon concludo aliquod expetendum non eſſe bonum. hæc concluſio eſt falſa: ergo aliqua propoſitio eſt falſa,quia ex veris falſum non efficitur.ſupr.partic. 3. minor autem eſt vera: proinde maior eſt falſa,nullam voluptatem eſſe bonam.vera eſt igitur cõtradictio,aliquã voluptatem eſſe bonam, quod erat probandum.

24 ¶ In prima figura problema vniuerſale affirmans ita non probatur, quia in hac figura non poteſt poni propoſitio particularis negãs,quæ problemati vniuerſali affirmãti contradicat.Vniuerſale negãs probatur ex falſitate minoris propoſitionis in Darij,vel Ferio. Particulare affirmans probatur ex falſitate maioris in Celarẽt, vel Ferio. Particulare negans probatur ex falſitate maioris in Barbara,vel Darij:aut ex falſitate minoris in Barbara,vel Celarent.

Cap. XII.

De deductione ad impoſsibile in ſecunda figura.

Cap.12. 25 IN ſecunda figura vniuerſale affirmans probatur ex falſitate minoris in Baroco. Vniuerſale negans ex falſitate minoris in Feſtino. Particulare affirmans ex falſitate maioris in Ceſare, vel Feſtino: aut minoris in Cameſtres. Particulare negans ex falſitate minoris in Ceſare, aut maioris in Cameſtres, vel Baroco.

Cap. XIII.

De deductione ad impoſsibile in tertia figura.

Cap.13. 20 IN tertia figura vniuerſale affirmans probatur ex falſitate maioris in Brocardo. Vniuerſale negans ex falſitate maioris in Diſamis, aut minoris in Datiſi, vel Feriſon. Particulare affirmans ex falſitate maioris in Feriſon. Particulare negans ex falſitate maioris in Datiſi, aut minoris in Diſamis, vel Brocardo. De Darapti & Felapton dicam cap. ſeq. part. 34. & 35.

Cap. XIV.

Collatio probationis ducentis ad incommodum, & oſtenſiuæ.

Cap.14. 27 SYllogiſmis categorico & ducenti ad impoſſibile communia hæc ſunt. I. Vterque ex duabus propoſitionibus extruitur. II. Quoduis problema probari vtroque modo poteſt ex iiſdem terminis. lib. 1. part. 107.

28 ¶ Differunt autem. I. Quia in categorico vtraque propoſitio ponitur vt vera: in eo qui ducit ad impoſſibile, altera ponitur vt vera, altera vt falſa & euertenda. ſupr. partic. 19. II. Antequàm categoricè concludatur, concluſio eſt ignota, i. non conſtat, vtrùm ſit vera, an falſa: ſed eius veritas per ſyllogiſmum pateſit. Cùm autem ducimus ad impoſſibile, non facimus vt concluſio innoteſcat, quia ante ſyllogiſmum extructum manifeſta erat eius falſitas. III. Cùm idem problema vtroque modo probatur, in alia figura fit ſyllogiſmus categoricus, in alia ducitur ad impoſſibile, vt ex horum ſyllogiſmorum mutua reſolutione, de qua nunc dicendum eſt, apparebit.

29 ¶ Cùm autem probatio categorica & ducens ad impoſſibile fiant ex iiſdem terminis,aliter atque aliter diſpoſitis:perſpicuum eſt,mutuam eſſe horum ſyllogiſmorum reſolutionem,adeo vt quod alterutro modo probatum eſt,ex iiſdem terminis etiam altero modo probari poſſit.

30 ¶ De ſyllogiſmis in prima figura ducentibus ad impoſſibile , reſoluendis in categoricos , notentur duæ regulæ generales. I. Si ſumant maiorem falſam,reſoluuntur in tertiam figuram.ſi minorem,in ſecundam. II. Si problema affirmet,reſolutio fit in tertiam figuram:ſi neget,in ſecundam. Excipitur ſyllogiſmus in Barbara , vel Darij ex maiore falſa, vt mox docebo.

31 ¶ Specialiter de modis primæ figuræ hæc notentur. I. Barbara concludens particularem negantem ex maiore falſa,reſoluitur in Brocardo,veluti,

BAR o.animal eſt album:	*BROC a.homo non eſt albus:*
BA o.homo eſt animal:	*AR o.homo eſt animal : ergo*
RA er.o.homo eſt albus.	*DO a.animal non eſt album.*

Aut in Felapton,veluti,

BAR o.animal eſt album:	*FEL n coruus eſt albus:*
BA o.coruus eſt animal:	*AP o.coruus eſt animal:ergo*
RA er.o.coruus eſt albus.	*TON a.animal non eſt album.*

Ex minore falſa reſoluitur in Baroco,veluti,

BAR o.homo eſt animal:	*BAR o.homo eſt animal:*
BA o.album eſt homo:	*OC a.album nõ eſt animal:ergo*
RA er.o.album eſt animal.	*O a.album non eſt homo.*

II. Celarent ex falſitate maioris propoſitionis probans problema particulare affirmans,reſoluitur in Diſamis,veluti,

CE n.animal eſt album:	*DIS a.homo eſt albus:*
LA o.homo eſt animal:	*AM o.homo eſt animal:ergo*
RENT er.n.homo eſt albus.	*IS a animal eſt album.*

Aut in Darapti,veluti,

CE n.animal eſt album:	*DAR o.cycnus eſt albus:*
LA o.cycnus eſt animal	*AP o.cycnus eſt animal.ergo*
RENT er.n cycnus eſt albus:	*TI a.animal eſt album.*

Ex falſitate minoris probans negationem particularem, reſoluitur in Feſtino,veluti,

CE n.brutum eſt homo:	*FES n.brutum eſt homo:*

LA o.bipes eſt brutum:	*TI a bipes eſt homo:ergo*
RENT.er.n.bipes eſt homo.	*NO a.bipes non eſt brutum.*

III. Darij ex maiore falſa probans negationem particularem,reſoluitur in Feriſon,veluti,

DA o.bipes eſt homo:	*FER n brutum eſt homo:*
RI a.brutum eſt bipes:	*IS a brutum eſt bipes:ergo*
I er.a.brutum eſt homo.	*ON a bipes non eſt homo.*

Ex minore falſa probans negationem vniuerſalem, reſoluitur in Cameſtres,veluti,

DA o.homo eſt animal: —	*CAM a.homo eſt animal:*
RI a.lapis eſt homo:	*ES n.lapis eſt animal:ergo*
I er. a. lapis eſt animal.	*TRES n.lapis eſt homo.*

IV. Ferio ex maiore falſa probans affirmationem particularem,reſoluitur in Datiſi,veluti,

FE n.voluptas eſt bona:	*DAT o.expetendum eſt bonum:*
RI a.expetendũ eſt voluptas	*IS a.expetẽdũ eſt voluptas:ergo*
O er.a.expetẽdũ nõ eſt bonũ	*I a.voluptas eſt bona.*

Ex minore falſa probans negationem vniuerſalem, reſoluitur in Ceſare,veluti,

FE n.homo eſt inanimus: —	*CES n.homo eſt inanimus:*
RI a.pictura eſt homo:	*A o.pictura eſt inanima:ergo*
O er.a.pictura non eſt inanima.	*RE n.pictura eſt homo.*

32 ¶ Syllogiſmi in ſecunda figura ducentes ad impoſſibile,ſi minor ſit falſa, reſoluuntur in categoricos primæ figuræ:atque hos ſolos Ariſtoteles in præſentia conſiderat.ſin autem maior ſit falſa, reſoluuntur in tertiam figuram, vt ex ſequentibus exemplis manifeſtum erit.

33 ¶ Speciales & ſingulorum huius figuræ modorum regulæ hæ ſunt. I. Ceſare ex maiore falſa probans affirmationem particularem,reſoluitur in Datiſi,veluti,

CES n.album eſt animal:	*DAT o.homo eſt animal:*
A o.homo eſt animal:	*IS a.homo eſt albus:ergo*
RE er.n.homo eſt albus	*I a.album eſt animal.*

Aut in Darapti,veluti,

CES n.animal eſt album:	*DAR o.cycnus eſt albus:*
A o.cycnus eſt albus:	*AP o.cycnus eſt animal:ergo*
RE er.n. cycnus eſt animal.	*TI a.animal eſt album.*

Ex mi-

Ex minore falſa probans negationem particularem, reſoluitur in Ferio, veluti,

CES n.turpe eſt expetẽdũ —	*FE n.turpe eſt expetendum:*
A o.voluptas eſt expetẽda	*RI a.voluptas eſt turpis:*
RE er.n.voluptas eſt turpis	*O er.a.voluptas nõ eſt expetẽda.*

II. Cameſtres ex maiore falſa probans negationem particularem, reſoluitur in Feriſon, veluti,

CAM o.voluptas eſt expetẽda	*FER n.turpe eſt expetendum:*
ES n.turpe eſt expetendum	*IS a.turpe eſt voluptas:ergo*
TRESer.n.turpe eſt voluptas.	*ON a.voluptas nõ eſt expetẽda.*

Aut in Felapton, veluti,

CAM o.animal eſt homo:	*FEL n.quadrupes eſt homo:*
ES n.quadrupes eſt homo	*AP o.quadrupes eſt animal:ergo*
TRESer.n.quadrupeseſt aĩal.	*TON a.animal non eſt homo.*

Ex minore falſa probans affirmationem particularem reſoluitur in Darij, veluti,

CAM o.homo eſt bipes: —	*DA o.homo eſt bipes:*
ES n.animal eſt bipes:	*RI a.animal eſt homo:ergo*
TRES er.n animal eſt homo:	*I a.animal eſt bipes.*

III. Feſtino ex maiore falſa probans affirmationem particularem, reſoluitur in Diſamis, veluti,

FES nullum animal eſt homo.	*DIS a.bipes eſt homo:*
TI a.bipes eſt homo:	*AM o.bipes eſt animal:ergo*
NO er.a. bipes nõ eſt animal.	*IS a.animal eſt homo.*

Ex minore falſa probans negationem vniuerſalem, reſoluitur in Celarent, veluti,

FES n.vitiũ eſt laudandũ: —	*CE n.vitium eſt laudandum:*
TI a. auaritia eſt laudanda·	*LA o.auaritia eſt vitium:ergo*
NO er.a.auaritia nõ eſt vitiũ.	*RENT n. auaritia eſt laudãda.*

IV. Baroco ex maiore falſa probans negationem particularem, reſoluitur in Brocardo, veluti,

BAR o.animal eſt homo:	*BROC a.bipes non eſt homo:*
OC a.bipes non eſt homo:	*AR o. bipes eſt animal:ergo*
O er.aliquod bipes nõ eſt aĩal	*DO a.animal non eſt homo.*

Ex minore falſa probans affirmationem vniuerſalem, reſoluitur in Barbara, veluti,

BAR o.homo eſt animal: —	*BAR o.homo eſt animal:*
OC a.grãmaticus nõ eſt aĩal.	*BA o.grãmaticus eſt homo:ergo*
O er.a.grãmat. nõ eſt homo.	*RA o.grammaticus eſt animal.*

34 ¶ De tertia figura hæc notentur. I. Ariſtoteles omittit Darapti,& Felapton,qui non probant contradicentē, ſed contrariam falſæ hypotheſi. II. Ariſtoteles falſam hypotheſim accipit pro maiori propoſitione,cùm tamen poſſit etiam accipi pro minore. III. Secundum Ariſtotelem,ſi problema affirmet, ſyllogiſmus categoricus extruitur in prima figura:ſi neget,in ſecunda.nos autem putamus,quotieſcumque maior propoſitio falſa ſumitur,reſolutionem fieri in ſyllogiſmum categoricum primæ figuræ : vbi autem minor eſt falſa,reſolutionem fieri in ſecundam figuram. Quæ omnia ex ſequentibus manifeſta erunt.

35 ¶ Regulæ de ſingulis huius figuræ modis hæ ſunt. I. Darapti ex maiore falſa probans contrariam,id eſt vniuerſalem negantem,reſoluitur in Celarent,veluti,

DAR	*o.virtus eſt affectio:*	*CE*	*n.habitus eſt affectio:*
AP	*o.virtus eſt habitus:*	*LA*	*o.virtus eſt habitus:ergo*
TI	*er.a.habitus eſt affectio.*	*RENT*	*n.virtus eſt affectio.*

Ex minore falſa ſimiliter probans negationem vniuerſalem, reſoluitur in Ceſare,veluti,

II. Felapton ex maiore falſa probans ſimiliter contrariam.i. vniuerſalem affirmantem,reſoluitur in Barbara,veluti,

FEL	*n.homo eſt animal:*	*BAR*	*o.bipes eſt animal:*
AP	*o.homo eſt bipes:*	*BA*	*o.homo eſt bipes:ergo*
TON	*er.n.bipes eſt animal.*	*RA*	*o.homo eſt animal.*

Ex minore falſa probans vniuerſalem negantem, reſoluitur in Cameſtres,veluti,

DAR	*o.virtus eſt habitus:*	*CES*	*n.affectio eſt habitus:*
AP	*o.virtus eſt affectio:*	*A*	*o.virtus eſt habitus:ergo*
TI	*er.a.affectio eſt habitus.*	*RE*	*n.virtus eſt affectio.*
FEL	*n.fur eſt probus:*	*CAM*	*o.prudens eſt probus:*
AP	*o.fur eſt prudens:*	*ES*	*n.fur eſt probus:ergo*
TON	*er.a.prudēs nō eſt prob⁹*	*TRES*	*n.fur eſt prudens.*

Ex his duabus regulis,& earum exemplis apparet, cùm concluſio in Darapti vel Felapton eſt falſa, & altera propoſitio vera neceſſe eſſe vt altera propoſitio ſit in totum falſa:quãdo quidem contrariã verã eſſe probatur ſyllogiſmo categorico in iiſdē terminis. III. Diſamis ex maiore falſa probans negationēvniuerſalem,ab Ariſtotele reſoluitur in Ceſare, veluti,

DISAM-

DIS a.virtus eſt fugienda.	*CES nihil fugiendum eſt bonũ:*
AM o.virtus eſt bona:	*A o.virtus eſt bona ergo*
IS er.a.bonum eſt fugiendum	*RE n.virtus eſt fugienda.*

Cap.17.

Verùm hac ratione in ſyllogiſmo categorico non ſumitur directò oppoſita concluſioni impoſſibili, ſed illius oppoſitæ conuerſa. Quare nobis videtur rectiùs fieri reſolutio in Celarent, veluti,

DIS a.virtus eſt fugienda:	*CE n.bonum eſt fugiendum:*
AM o.virtus eſt bona:	*LA. o.virtus eſt bona ergo*
IS er.a. bonum eſt fugiendum	*RENT. n.virtus eſt fugiẽda.*

Ex minore autem falſa probans negationem particularem, reſoluitur in Feſtino, veluti,

DIS a.animal eſt homo:	*FES n.quadrupes eſt homo:*
AM o.animal eſt quadrupes:	*FI a.animal eſt homo:ergo*
IS er.a.quadrupes eſt homo.	*VO a.animal nõ eſt quadrupes.*

IV. Datiſi ex maiore falſa probans negationem particularem ab Ariſtotele reſoluitur in Feſtino, veluti,

DAT o.animal eſt quadrupes	*FES n. quadrupes eſt homo:*
IS a.animal eſt homo:	*TI a. animal eſt homo:ergo*
I er.a.homo eſt quadrupes.	*VO a.animal non eſt quadrupes.*

Nos malumus reſoluere in Ferio ob eandem rationem, ob quam ſuprà maluimus reſoluere Diſamis in Celarent, quàm in Ceſare. Exemplum hoc eſto:

DAT o.animal eſt quadrupes.	*FE n.homo eſt quadrupes.*
IS a. animal eſt homo:	*RI a.animal eſt homo:ergo*
I er.a.homo eſt quadrupes.	*O a. animal nõ eſt quadrupes.*

V. Brocardo ex maiore falſa probans affirmationem vniuerſalem, reſoluitur in Barbara, veluti,

BROC a.vitiũ nõ eſt fugiẽdum	*BAR o. turpe eſt fugiendum:*
AR o.vitium eſt turpe:	*BA o.vitium eſt turpe:ergo*
DO er.a.turpe nõ eſt fugiẽdum	*RA o.vitium eſt fugiendum.*

Ex minore falſa probans negationem particularem reſoluitur in Baroco, veluti,

BROC a.voluptas non eſt bona:	*BAR o. expetẽdum eſt bonũ:*
AR o.voluptas eſt expetenda:	*OC a.voluptas nõ eſt bona:ergo*
DO er.a.expetendũ nõ eſt bonũ.	*O a.voluptas nõ eſt expetẽda.*

VI. Feriſon ex maiore falſa probans affirmationem particularem, reſoluitur in Darij, veluti,

FER n. voluptas eſt bona.	*DA o. expetẽdum eſt bonum:*
IS a. voluptas eſt expetenda.	*RI a. voluptas eſt expetẽda: ergo*
ON er. a. expetẽdũ nõ eſt bonũ.	*I a. voluptas eſt bona.*

Ex minore autem falſa probans negationem vniuerſalem reſoluitur in Cameſtres, veluti,

FER n. virtus eſt fugienda:	*CAN Quicquid nocet, eſt fugiẽ.*
IS a. virtus nocet:	*ES. n. virtus eſt fugiẽda : ergo.*
ON er. a. nocẽs nõ eſt fugiẽdũ.	*TRES n. virtus nocet.*

37 ¶ Docui reſolutionem ſyllogiſmorum ducentium ad impoſſibile in Categoricos. Contrà ſi quęras in quem ad impoſſibile ducentem reſoluatur categoricus, reſpondebo hoc eſſe petendum ex tractatu de conuerſione ſyllogiſmorum. nam quo modo fit ſyllogiſmus conuerſiuus, eodem modo fit deductio ad impoſſibile.

CAP. XV.

De ratione concludendi ex oppoſitis.

Cap. 15, 16, & 17. 38 PRopoſitiones oppoſitæ ſunt aut verbo tenus, aut re ipſa. verbo tenus opponuntur propoſitiones ſubcontrariæ: quia ſimul veræ eſſe poſſunt: vt, *aliquis homo eſt iuſtus, aliquis homo non eſt iuſtus.* Re ipſa opponuntur propoſitiones contrariæ, vt, *omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus:* & contradicentes, vt, *omnis homo eſt iuſtus, non omnis homo eſt iuſtus,* item, *nullus homo eſt iuſtus, aliquis homo eſt iuſtus.* Tria igitur ſunt oppoſitionum genera in præſentia conſideranda: *omne, nullum:* &, *omne, non omne:* &, *aliquid, nullum.*

39 ¶ Hinc apparet omnes ſyllogiſmos ex oppoſitis eſſe negantes.

40 ¶ Eiuſmodi ſyllogiſmi non fiunt in prima figura, quia propoſitiones in hac figura non poſſunt eſſe oppoſitæ: ſed vel in ſecunda, vel in tertia, id eſt, in omnibus modis ſecundæ, quia omnes ſunt negantes, & in modis tertiæ negantibus.

41 ¶ Omnis ſyllogiſmus ex oppoſitis falſam concluſionem colligit

42 ¶ In Cameſtres, Ceſare, Felapton, ſumuntur propoſitiones contrariæ. In Baroco, & Brocardo, contradicentes, *omne* & *non omne*. In Feſtino, & Feriſon, contradicentes, *nullum* & *aliquod:* vt in ſequentibus exemplis.

I. *CAM*

I.

CAM Omnis homo eſt albus:
ES Nullus homo eſt albus:
TRES Ergo nullus homo eſt homo.

II.

CES Nullus homo eſt albus:
A Omnis homo eſt albus:
RE Ergo nullus homo eſt homo.

III.

FES Nullus homo eſt albus:
TI Aliquis homo eſt albus:
No Ergo aliquis homo non eſt homo.

IV.

BAR Omnis homo eſt albus:
OC Non omnis homo eſt albus:
O Ergo non omnis homo eſt homo.

V.

FEL Nullus homo eſt albus:
AP Omnis homo eſt albus:
TON Ergo aliquid album non eſt album.

VI.

BROC Aliquis homo non eſt albus:
AR Omnis homo eſt albus:
DO Ergo aliquod album non eſt album.

VII.

FER Nullus homo eſt albus:
IS Aliquis homo eſt albus: Ergo
ON Aliquod album non eſt album.

43 ¶ Fit etiam ſyllogiſmus ex oppoſitis hypotheticè: veluti, *Si numerus eſt impar, non diuiditur in partes æquales:*
Si numerus eſt impar, diuiditur in partes æquales:
Ergo ſi numerus eſt impar, non eſt impar.

Maior confirmatur exẽplo ſeptenarij, qui diuiditur in partes inæquales, quatuor, & tria. Minor cõfirmatur exẽplo nouenarij, qui diuiditur in partes æquales, id eſt, in tria ter accepta.

44 ¶ Affirmatiuè non poteſt eiuſmodi cõcluſio quæ cõtradictionẽ includat, colligi, niſi etiã maior cõtradictionẽ includat: veluti, *BAR Omne animal eſt album & non album:*
BA Omnis homo eſt animal: Ergo
RA Omnis homo eſt albus & non albus.

Tractatus II. De vitiis & imbecillitatibus ſyllogiſmorum.

Cap. XVI.

De petitione quæſiti.

Cap. 18. 45 Vitia ſyllogiſmorum ſunt quinque. I. Petitio quęſiti. II. Non propter hoc effici falſum. III. Falſa ratio. IV. Impedimẽtũ cataſyllogiſmi & elẽchi. V. Deceptio.

46 ¶ Petitio quæſiti dicitur, cùm id quod non poteſt per ſe cognoſci, per ſe ipſum probatur.

47 ¶ Hoc autem multis modis contingit. I. Aut immediatè petitur quęſitum: veluti, *voluptas eſt bona, ergo voluptas eſt bona:* aut mediatè, veluti ſi quis probet voluptatem eſſe bonam, quia eſt expetenda, & eſſe expetendam, quia ſit bona. II. Aut petitur in prima, aut in ſecunda, aut in tertia figura. III. Aut petitur in maiore propoſitione, veluti,

BAR Omne veſtimentum eſt album:
BA Omne indumentum eſt veſtimentum: Ergo
RA Omne indumentum eſt album.

Aut in minore. veluti,

BAR Omne deſiderabile eſt expetendum:
BA Omnis voluptas eſt deſiderabilis: Ergo
RA Omnis voluptas eſt expetenda.

IV. Aut petitur quæſitum affirmatiuè in ſyllogiſmo affirmante, vt in ſuprà ſcriptis exemplis, aut negatiuè, in ſyllogiſmo negante: veluti,

CE Nullum veſtimentum eſt album:
LA Omne indumentum eſt veſtimentum:
RENT Ergo nullum indumentum eſt album.

V. Aut petitur in eo ipſo, de quo agitur, iiſdem vocabulis retentis: veluti, voluptas eſt bona, ergo eſt bona: aut mutato vocabulo, veluti veſtimentum eſt album, ergo indumẽtum eſt albũ: aut in genere æquè ignoto, veluti, omnis anima eſt immortalis, ergo intellectus eſt immortalis. VI. Aut petitur ſecundum veritatem, id eſt, in demonſtrationibus: aut ſecundum opinionem & probabilitatem, vt in ſyllogiſmis dialecticis.

Cap.

CAP. XVII.

De reprehenſione ſyllogiſmi, qua dicitur, falſum propter hoc non accidere.

48 NOn propter hypotheſim falſum effici, eſt vitium ſyllogiſmi, quod committitur in deductione ad incommodum, ſi demptâ hypotheſi, contra quam arguit is qui ad incommodum ducit, nihilominùs falſa concluſio ex reliquis ſumptionibus ſequatur. Cap.19.

49 ¶ Hoc accidit tribus modis. Aut enim hypotheſis ſyllogiſmo non cohæret: veluti, ſi hypotheſis ſit, *omne animal eſſe animatum*, & aduerſarius ſic arguat,

HYP. *Omne animal eſt animatum:*
Omne album eſt planta:
Omnis nix eſt alba: Ergo
Omnis nix eſt planta.

Aut hypotheſis cohæret maiori propoſitioni, ſupra quam eſt: veluti, HYP. *Omne animal eſt animatum:*
Omne album eſt animal:
Omnis nix eſt alba: Ergo
Omnis nix eſt animal.

Aut cohæret minori propoſitioni, cui ſubeſt: veluti,
Omnis planta ſenſu caret:
Omne animatum eſt planta:
HYP. *Omne animal eſt animatum: Ergo*
Omne animatum ſenſu caret.

50 ¶ Vt igitur propter hypotheſim efficiatur falſa cõcluſio: oportet, ſi hypotheſis ſummo loco accipitur, eius attributum poni in concluſione: veluti,

HYP. *Omne corpus eſt album:*
Omne animal eſt corpus:
Omnis homo eſt animal: Ergo
Omnis homo eſt albus.

Si verò hypotheſis infimo loco ſumatur, eius ſubiectum in concluſione poni debet: veluti,
Omne animal eſt animatum:
Omnis homo eſt animal:
HYP. *Aliqua pictura eſt homo: Ergo*
Aliqua pictura eſt animata.

Cap. XVIII.

De falſa ratione.

Cap. 20. 50 FAlſitas ſyllogiſmi pendet à prima falſitate. Nam ſi concluſio falſa ſit, neceſſe eſt aliquam propoſitionem eſſe falſam. & ſi ea propoſitio proſyllogiſmo probetur, neceſſe eſt in eo proſyllogiſmo eſſe aliquam propoſitionem falſam. Ac ſemper prima falſitas eſt cauſa ſequentium.

Cap. XIX.

De impediendo cataſyllogiſmo, id eſt, ne contra nos ſyllogiſmo concludatur.

51 VEteres in diſputationibus ſolebant vti interrogationibus, vt ex reſponſione aduerſarij colligerent propoſitiones, ex quibus argumẽtarentur. Hoc autem fiebat, vel nulla, vel aliqua certa theſi propoſita. Qui aduerſariũ nullam theſim defendentem ſuperat ſyllogiſmo deducens ad aliquam concluſionem reſpondenti incredibilem, dicebatur facere cataſyllogiſmo: qui verò theſim refutabat, dicebatur elencho redarguere.

52 ¶ Cataſyllogiſmus fieri nequit, niſi reſpondens concedat duas propoſitiones, in quibus idem terminus reperiatur: quia niſi ſit ſyllogiſmus, non eſt cataſyllogiſmus: non eſt autem ſyllogiſmus ſine medio termino: nec eſt medius terminus, niſi in propoſitionibus repetatur.

Cap. XX.

De impediendo elencho.

53 ELenchus impeditur, I. Si reſpondens nullam propoſitionem affirmantem concedat: quia ex ſolis negantibus nihil colligitur. II. Si nullam propoſitionem vniuerſalẽ concedat: quia ex ſolis particularib. nihil cõcluditur.

Cap. XXI.

De deceptione.

Cap. 21. 54 TRibus modis accidit, vt aliquid ſcientes fallamur. Primus modus eſt, cùm duo ſint media maiori & minori extremis cõtenta, & alterũ rectè, alterũ falsò accipitur: ſiue ea media nõ ſint ſubalterna, ſiue ſint ſubalterna. Exempli gratiâ, bipes & rationale ſubiiciuntur animali, & attribuuntur homini. quare ſi hinc ſumantur duo ſyllogiſmi, alter affirmatiuus, alter negatiuus: ille ſcientiam, hic ignorantiam pariet: veluti,

BAR

BAR O.bipes eſt animal:	*CE N.rationale eſt animal:*
BA O.homo eſt bipes:Ergo	*LA O.homo eſt rationalis : Ergo*
RA O.homo eſt animal.	*RENT N.homo eſt animal.*

Bipes autem & rationale non ſunt ſubalterna. Rurſus inter ſubſtantiam & hominem,viuens & animal ſunt interiecta,& ſunt ſubalterna:& hîc quoque ſyllogiſmus affirmatiuus ſciẽtiam,negatiuus ignorantiam & deceptionem pariet:veluti,

BAR O.viuens eſt ſubſtantia:	*CE N.viuens eſt ſubſtantia:*
BA O.homo eſt viuens:Ergo	*LA O.homo eſt viuens:Ergo*
RA O.homo eſt ſubſtantia.	*RENT N.homo eſt ſubſtantia.*

Hoc modo maior falſa decipit.Secundus modus eſt,cùm nouimus maiorem vniuerſalem,& ignoramus particularem ſub ea contentã: verbi gratiâ,ſcimus omne triangulũ habere tres angulos æquales duobus rectis:ſed ignoramus hoc eſſe triangulum,quod aliquis in abaco deſcriptum occultat: ergo concluſionem,nempe hoc triãgulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quodammodo nouimus, quodammodo ignoramus : nouimus enim cognitione vniuerſali, quatenus concluſio ſub maiore propoſitione vniuerſali continetur:cognitione verò particulari,propria & diſtincta non nouimus. Tertius modus eſt,cum habemus maioris & minoris ſcientiam,ſed actu hac ſcientia non vtimur.vel vti ſcimus omnem mulam eſſe ſterilem,ſcimus etiam hanc eſſe mulam: ſed videntes vterum eius inflatum, putamus ſenſu decepti eam eſſe prægnantem.

54 ¶ His caſibus deceptio nõ eſt ſcientiæ contraria:quia diuerſis reſpectibus ſcimus & ignoramus. nam primo modo ſecundum alium medium terminum ſcimus , ſecundum aliũm ignoramus. ſecundo modo cognitionem vniuerſalem habemus,non particularem & propriam.tertio modo ſcimus per intellectum,fallimur à ſenſu.

Tractatus III. De variis argumentationum generibus,quæ ad ſyllogiſmos reducuntur.

Cap. XXII.

De quibuſdam conuerſionum regulis.

55 SI concluſio in Barbara conuertatur , etiam propoſitiones conuertuntur. Cap.22.

56 ¶ Si maior vel minor in Celarent conuertatur, etiam maior conuertitur.

57 ¶ Si minor & concluſio in Celarent conuertantur, etiam maior conuertitur.

58 ¶ Cùm ſunt quatuor termini, quorum primus & ſecundus inter ſe conuertuntur, item tertius & quartus inter ſe conuertuntur: ſi neceſſe ſit cuiuis aut primum aut ſecundum ineſſe, etiam neceſſe eſt cuiuis aut tertiũ aut quartum ineſſe.

1 ingenitum	3 genitum
incorruptibile 2	corruptibile. 4

59 ¶ Cùm ex quatuor terminis neceſſe eſt vel primum vel ſecundum cuiuis ineſſe, nec non tertium & quartum cuiuis ineſſe: ſi primus & tertius conuertantur, neceſſe eſt etiam ſecundum & quartum conuerti.

1 ingenitum	3 genitum
incorruptibile 2	corruptibile 4

60 ¶ Si ſint tres termini, quorum primus inſit ſecundo & tertio omnibus & ſolis, ſecundus autem inſit omni tertio: neceſſe eſt primum & ſecundum reciprocari.

aptum ad ridendum.
1




2 3

rationale homo

61 ¶ Si ſint tres termini, quorum primus & ſecundus inſint omni tertio, ſi ſecundus & tertius reciprocantur, neceſſe eſt primum ineſſe omni ſecundo.

animal



62 ¶ Cùm ſunt quatuor termini,quorũ primus & ſecũdus inter ſe,necnon tertius & quartus inter ſe opponuntur:ſi optabilior ſit primus cum tertio, quàm quartus cum ſecundo, certè etiam ſolus primus eſt optabilior ſolo quarto.

1 diligi	2 non diligi
non coire 3	coire 4

Cap. XXIII.

De inductione.

63 INductio eſt ſyllogiſmus ex particularibus colligens Cap.23.
vniuerſale: veluti,*homo,bos,leo,equus ſentit: ergo omne animal ſentit.*

64 ¶ Inductio perfecta eſt,quæ ſumit omnia particularia. imperfecta eſt,quæ aliqua prætermittit.

65 ¶ Inductio refertur ad tertiam figuram, in qua arguit ex duabus affirmantibus & conſequentia valet ratione materię,ex regula particulę 61.quia ſecundus & tertius ſunt termini reciproci : atque ita minor propoſitio reciprocatur: veluti,

Omnis homo,equus,leo,&c.ſentit:
Omnis homo,equus,leo,&c.eſt animal:
Ergo omne animal ſentit.

Nam ſi minorem conuertas, ſyllogiſmus reſoluetur in Barbara,

BAR Omnis homo,equus,leo,&c.ſentit.
BA Omne animal eſt homo,equus,leo,&c.
RA Ergo omne animal ſentit.

66 ¶ Inductione vti ſolemus ad probandas propoſitiones medio carentes. nam ſi medium ſit maiori & minori extremo interiectum, efficaciùs concluſio probabitur per medium, quàm per ſubiecta particularia. Inductio namque eſt ſyllogiſmo euidentior quidem, ſed infirmior.

Cap. XXIV.

De exemplo.

Cap. 24. 67 Exemplum eſt argumentatio à particulari ad particulare ſimile: veluti, *Bellum Thebanorum contra Phocenſes eſt noxium: ergo bellum Athenienſium contra Thebanos eſt noxium: quia ſcilicèt vtrumque bellum eſt contra finitimos.*

68 ¶ Exemplum reſoluitur in ſyllogiſmum & inductionem, quæ confirmat maiorem propoſitionem eius ſyllogiſmi. verbi gratiâ, ſyllogiſmus eſt,

Omne bellum contra finitimos eſt noxium:
Atqui bellum Athenienſium contra Thebanos eſt bellum contra finitimos: ergo
Bellum Athenienſium contra Thebanos eſt noxium.

Maior probatur inductione imperfecta: quia bellum Thebanorum contra Phocenſes eſt noxium: bellum autem Thebanorum contra Phocenſes, eſt bellum contra finitimos: ergo bellum contra finitimos eſt noxium.

69 ¶ Sunt igitur in exemplari argumentatione quatuor termini: veluti,

1	2	3	4
noxiũ	bellũ cõtra finitimos.	bellum Atheniẽſium contra Thebanos.	bellũ Thebanorũ contra Phocenſes.

Probatur autem primum ineſſe tertio per quartum, quod eſt tertio ſimile. Ac ſecundum quidem attribui tertio, & quarto, & primum quarto, notum eſt; primum autem ineſſe ſecundo, probatur inductione. primum ineſſe tertio (quæ eſt principalis concluſio) probatur ſyllogiſmo.

70 ¶ Exemplũ igitur differt ab inductione: quia inductio (perfecta ſcilicèt) progredimur ab omnibus particularibus ad vniuerſale, & ibi cõſiſtit: exemplum verò ab vno particulari ad vniuerſale, & ab illo vniuerſali ad alterum particulare: vt in ſuprà dicto exemplo, à bello Thebanorum ad bellũ contra finitimos, & à bello cõtra finitimos ad bellũ Athenienſium.

Cap.

CAP. XXV.

De abductione.

71 Abductio eſt ſyllogiſmus non pariens ſcientiam, ſed efficiens, vt ad ſcientiam propiùs accedamus. Quod duobus modis accidit. I. Si minor propoſitio ſit notior conclusione, aut ſaltem æquè nota. II. Si minor faciliùs & breuiùs probari poſſit, quam concluſio. Cap.25.

CAP. XXVI.

De obiectione, qua vulgò inſtantia vocatur.

71 Obiectio eſt propoſitio propoſitioni contraria, id eſt, propoſitio, quam reſpondens opponit propoſitioni argumentantis, vt eam euertat. Cap.26.

72 ¶ Obiectio ſumitur vel ab eodem, vel à ſimili, vel à contrario, vel à iudicatis. 2. Rethor. cap.25. ſed nunc agemus tantùm cum Ariſtotele de obiectione ex eodem.

73 ¶ Hæc diuiditur tribus modis. I. Vel eſt vniuerſalis, vel particularis: quarum vtraque poteſt pertinere ad ſyllogiſmum vniuerſalem: quia ſyllogiſmi propoſitio vniuerſalis euertitur vel per contrariam vniuerſalem, vel per contradicẽtem particularem. II. Vel eſt affirmatiua, vel negatiua. III. Vel refertur ad primam, vel ad tertiam figurã. Aut enim obiectio ſumitur a genere ſubiecti: & fit prima figura: veluti, ſi propoſitio ſit, *contrariorum vnam eſſe ſcientiã:* & obiiciatur, quòd oppoſitorum non eſt vna ſciẽtia. nam ſyllogiſmus ita extruitur in Celarent, *Oppoſitorum non eſt vna ſcientia:*

Contraria ſunt oppoſita: Ergo
Contrariorum non eſt vna ſcientia.

Aut ſumitur obiectio à ſpeciebus ſubiecti, veluti à noto & ignoto: & ſyllogiſmus conficitur in tertia figura, nempe,

Noti & ignoti non eſt vna ſcientia:
Notum & ignotum ſunt contraria:
Ergo contrariorum non eſt vna ſcientia.

74 ¶ Ex ſecunda figura non ſumitur obiectio: quia non eſſet euidens, vt eſſe debet. veluti ſi propoſitio ſit, *contrariorum vnam eſſe ſcientiam*, & obiiciatur, quòd contraria non ſunt ſimul, non apparet vis obiectionis, in qua ad hũc ſyllogiſmum ſecundæ figuræ reſpicitur.

Vna ſcientia eſt eorum quæ ſunt ſimul:
Contraria non ſunt ſimul: Ergo
Contrariorum non eſt vna ſcientia.

Cap. XXVII.

De enthymemate.

Cap.27. 75 VEriſimile eſt propoſitio probabilis:vt matrem diligere liberos.

76 ¶ Signum eſt propoſitio ad aliquid arguendum affecta:vt mulierem habere lac,ſignificat eam concepiſſe.

77 ¶ Signum diuiditur duobus modis. I. Aut rem ſignificatam comitatur,vt vmbra corpus: aut præcedit, vt conceptio lac:aut ſequitur,vt partus conceptionem. II. Aut ſumitur ex prima figura,aut ex ſecunda,aut ex tertia, vt mox explicabo.

78 ¶ Enthymema eſt ſyllogiſmus ex veriſimilib.aut ſignis.

79 ¶ Enthymema,vt & ſignum,vel refertur ad primam figuram,veluti, *Quæcumque habet lac,concepit:*
Atqui hæc mulier habet lac:
Ergo concepit.

Vel ad ſecundam:veluti,
Quæcumque geſtat in vtero,eſt pallida:
Atqui hæc mulier eſt pallida:
Ergo geſtat in vtero.

Vel ad tertiam:veluti,
Pittacus eſt probus:
Pittacus eſt ſapiens:Ergo
Sapientes ſunt probi.

80 ¶ Plerumque vna propoſitio reticetur: veluti, *hæc mulier habet lac,ergo concepit.* 1. Rethor.cap.2. ac tunc eſt quidem ſignum,quia mulierem habere lac, eſt ſignum conceptionis: ſed non eſt ſyllogiſmus,niſi aſſumatur altera propoſitio,quia omnis ſyllogiſmus duabus propoſitionib.cōſtat.1. Prior.c. 25.

81 ¶ Qui in prima figura fit, eſt inſolubilis, ſi propoſitiones ſint veræ,quia veram ſyllogiſmi formam habet.

82 ¶ Qui verò fit in tertia figura, facilè ſoluitur:quia ex duabus propoſitionibus particularibus colligit cōcluſionem vniuerſalem,quod eſt contra regulas ſyllogiſmorum : regula namque eſt, concluſionem ſequi deteriorem partem propo-
ſitionum

ſitionum, ita vt concluſio particularis non poſſit colligi, niſi ambæ propoſitiones ſint vniuerſales. item regula eſt, ex duabus particularibus nihil concludi. item alia regula eſt, in tertia figura concluſionem ſemper eſſe particularem. aduerſus has tres regulas peccat enthymema tertiæ figuræ.

83 ¶ Etiam qui fit in ſecunda figura, facillimè ſoluitur, quia conſtat ex duabus propoſitionibus affirmantibus, cùm omnes ſyllogiſmi ſecundæ figuræ debeant eſſe negantes.

84 ¶ Signum ex prima figura ſumptum, vocatur propriè Græco vocabulo tecmerium: reliqua dicuntur propriè ſigna.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER VI.

POSTERIORVM ANALYTICORVM PRIMVS.

CAP. I.

An ſit ſcientia demonſtratiua.

TRES ſyllogiſmi ſpecies, demonſtratiuus, dialecticus, & ſophiſticus, differunt primò materia: quia demõſtrationis propoſitiones ſunt neceſſariæ; dialectici ſyllogiſmi probabiles; ſophiſtici, fallaces. Secundò fine & effectu: quia demonſtratiuus parat veram ſcientiam, dialecticus opinionem, ſophiſticus ignorantiam & deceptionem. Cap. I.

2 ¶ Scientia concluſionis demonſtratiua comparatur ex antecedente propoſitionum cognitione. Quod probatur primò per inductionem: quia tam mathematicæ, quàm aliæ ſcientiæ ita docentur ac diſcuntur. Secundò à ſimili: nam & dialecticus ita argumentatur, & orator ita perſuadet, nimirum ex conceſſis principiis.

3 ¶ Duplex eſt præcognitio: expreſſa, quæ à doctore

diſcipulo traditur,veluti quid ſit triangulum, quid vnitas: & tacita,quam diſcipulus vel doctore tacente ex ſe habet,veluti totum eſſe maius ſua parte.

4 ¶ Rurſus duplex eſt præcognitio,altera verborum, altera rerum. Verbalis præcognitio eſt,quid vocabulum,vel oratio ſignificet. Realis præcognitio eſt, quòd res ita habet, vt verbis ſignificatur.

5 ¶ Quandoque expreſſè præcognoſcimus & ſumimus quid ſignificet,veluti quid ſignificet triangulũ; aut circulus: quandoque quòd ſit, veluti quòd contradictionis pars altera eſt vera,altera falſa: interdũ vtrumque, veluti quid vnitas ſignificet,& quòd vnitas ſit. Quod enim obſcuritatẽ aliquam continet,nec ſub demonſtrationem cadit,id præcognoſci & præſumi debet.quod verò demonſtrabile eſt,demonſtrare oportet.quod nullam habet dubitationem & nullam obſcuritatem,contemni poteſt.

6 ¶ Porrò cùm concluſio ex antecedente propoſitionum cognitione notificetur:antecedens illa cognitio vel habetur per aliam antecedẽtem cognitionem,id eſt,per proſyllogiſmum,vel vno(vt ita dicam) intuitu, quemadmodum ea quæ ſenſu percipiuntur.verbi gratiâ,demonſtratio ſit,

Omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis:
Atqui hoc,quod eſt in ſemicirculo,eſt triangulum:Ergo
Hoc quod eſt in ſemicirculo, habet tres angulos æquales duobus rectis.

Hęc concluſio,*hoc quod eſt in ſemicirculo,habet tres angulos æquales duobus rectis*,cognoſcitur ex antecedente propoſitionum cognitione. harum autem propoſitionum altera, id eſt maior, cognoſcitur ex alia propoſitione antecedente per proſyllogiſmum:minor autem ſine vlla ântecedẽte cognitione: quia ſtatim ac profertur ſcriptura illa in ſemicirculo deſcripta,apparet eam eſſe triangulum.

7 ¶ Quæritur, an concluſio cognoſcatur antequàm demonſtretur. Reſpondeo eam cognoſci cognitione vniuerſali,quatenus ſub maiori propoſitione continetur: (nam ſi ſcio omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quodammodo ſcio etiam hoc triangulum habere tres angulos duobus rectis)ignorari autem cognitione particulari & propria,quatenus nondum ſcio hoc eſſe triangulũ.Nam idem

idem diuerſa ratione cognoſci & ignorari poteſt, vt expoſitum fuit lib.2.Prior.cap.21.

8 ¶ Hinc ſoluitur dubitatio Menonis apud Platonē. Fruſtra (inquit) quæritur alicuius rei ſcientia. nam ſi ignoratur, etiamſi millies inueniatur, tamen non cognoſcetur: quemadmodum homo ignotus non adgnoſcitur, etiāſi ſæpius occurrat. ſi verò cognoſcitur, fruſtrà quæritur quod iā habetur. Socrates reſpondet omnē noſtram cognitionē eſſe reminiſcentiam. nā anima humana, priuſquàm corpori ſit coniuncta, cognoſcit omnia: vinculis corporeis nexa, omniū obliuiſcitur: hæc antē quærendo inuenit, & inuenta adgnoſcit, tamquàm antea cognita. Ariſtoteles verò ait hęc partim fuiſſe cognita, partim incognita, id eſt, cognoſci vniuerſaliter, ignorari particulariter. vnde quatenus ſunt incognita, rectè quęruntur: & quia ſunt aliquo modo nota, quodammodo adgnoſcuntur.

9 ¶ Ex eadem doctrina ſoluitur etiam quorumdā ſophiſtarum cauillus: qui ſic interrogabant: Scíſne omnē binarium eſſe parem? altero obiiciente ſe ſcire, proferebant binariū in abaco deſcriptum, atque ita obiiciebant: *Neſciebas hunc binarium eſſe, ergo neſciebas hunc eſſe parem: atqui hic eſt numerus binarius, ergo neſciebas omnem numerum binarium eſſe parem.* Huius dubitationis ſoluendæ causâ, ſimpliciter quidam dicere nō audebant ſe ſcire omnem binarium eſſe parem, ſed tātùm omnem numerum, quem ſcirent eſſe binarium. Similiter nō dicebant ſe ſcire omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. ſed quicquid ſcirent eſſe triangulum. Verùm ſcientia habetur ſimpliciter, & concluſiones demonſtrantur ſimpliciter non cum illa adiectione, *quem ſcio eſſe binarium*, vel, *quod ſcio eſſe triangulum*. Quocirca cum Ariſtotele dicendum eſt, hunc binarium eſſe parem, & hoc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, diuerſo modo ſciri & ignorari, vt iam expoſui.

CAP. II.

Quid ſit ſcire, item quid ſit demonſtratio, & ex quibus conſtet.

10 SCire ſimpliciter, non ſophiſticè ſeu per accidens, eſt Cap.2. cognoſcere cauſam, propter quam res eſt, eius rei cauſam eſſe, nec poſſe eam aliter ſe habere.

11 ¶ Quocirca id, cuius eſt ſcientia, non poteſt aliter ſe habere, ſed in rerum neceſſariarum numero eſt.

12 ¶ Scire accipitur multis modis,de quibus poſtea:nunc verò definitur,quid ſit ſcire per demonſtrationem.

13 ¶ Demonſtratio eſt ſyllogiſmus ſcientiam pariens ex certis propoſitionibus, quæ etiam principia vocantur:Atque hęc debent eſſe I. Vera: quia niſi eſſent vera, ſciri non poſſent. quomodo autem ignoratis principiis poſſet ex eis ſciri concluſio? II. Prima ſiue immediata,ſiue indemonſtrabilia, (his tribus vocabulis idē ſignificatur) quia ſi demōſtrari poſſent,non aliter ſcirentur,quàm per demonſtrationem. quare non tá eſſent propoſitiones & principia,quam concluſiones. III. Cauſæ concluſionis:quia ſcire eſt cauſa cognoſcere.Intellige eſſe cauſas,& cur concluſio ſit,& cur cognoſcatur.IV. Priora concluſione:quia ſunt cauſæ:omnis enim cauſa eſt effectu prior:ſicut ergo ſunt cauſæ cur concluſio ſit,& cur cognoſcatur;ita etiá ſunt priores eſſentia,& cognitione. Præcognoſcuntur itaque,nō tantùm verbali,ſed etiam reali cognitione:quia noſſe oportet,& quid verba ſignificēt, & propoſitiones eſſe veras. V. Notiora concluſione:quia per ea cognoſcitur cōcluſio:& propter quod res cognoſcitur,id magis cognoſcitur. generaliter enim propter quod res eſt talis, id eſt magis tale.Atque vt notiſſima eſt principiorū demōſtratiuorum ſeu propoſitionū demonſtratiuarū veritas: ita notiſſima eſt oppoſitarum propoſitionum falſitas. vt enim ſcio(exēpli causà)verum eſſe,hominem eſſe rationalem:ita ſcio falſū eſſe,hominem non eſſe rationalem.Cùm autem prius &notius dicatur vel ſecundū naturam,id eſt, quod à ſenſu remotū eſt. vt cauſæ maximè vniuerſales,vel ſecūdū nos,id eſt,quod ſenſui propinquū eſt,vt cauſæ particulares propoſitiones demōſtratiuæ,non ſecundū nos, ſed ſecundū naturam dicūtur eſſe priores & notiores cō: luſione.Hinc Themiſtius rectè ait demōſtrationē nō reſpicere ad vires noſtri intellectus. VI.Propria.Na principia demōſtrationis ſic debēt eſſe prima,vt ſint etiá propria ei quod demonſtratur.Ideo aūt prima dicuntur, quia sūt immediata,id eſt, nō poſſūt in ea ſciētia demōſtrari.

14 ¶ Eiuſmodi principia partim vocātur theſes, partim axiomata.Theſis eſt,quę nō poteſt demōſtrari,ſed tantùm declarari,vel dialecticè cōfirmari,ſi diſcenti ſit ignota.Axioma eſt,quod adeo eſt omnibus manifeſtum, vt nō ſolùm nullam probationem admittat,ſed etiam expoſitionē nō requirat.

15 ¶ The-

15 ¶ Theſis diuiditur in hypotheſim,& definitionem. Hypotheſis ponit aliquid eſſe,vel non eſſe: vt res naturales moueri,ex nihilo nihil fieri. Definitio ponit, quid res ſit, veluti quid ſit triangulum,quid vnitas.

CAP. III.

Refutatio errorum, in quos nonnulli inciderunt,eò quòd principia demonſtrationis ſciri debent.

16 CVm veteres exiſtimarent nihil ſine demonſtratione ſciri poſſe,& intelligerent ignotis principiis non poſſe ſciri concluſiones, diuiſi ſunt in duas ſectas. Alij, quia principia ſciri non poſſunt,concluſiones quoque ignorari, & omnino nullam eſſe ſcientiam dicebant. Principia verò non poſſe ſciri ſic probant.Aut ſunt infinita,aut finita.Si ſunt infinita,ſciri nequeunt,quia infinitorum non eſt ſcientia. Si ſunt finita,quædam eorum ſunt prima:proinde indemonſtrabilia: conſequenter ignota: quare & cetera, quæ ex his pendent, neceſſariò ignorantur. ſic omnis ſcientia tollitur. Alij verò principia finita ſtatuebant, & nihilominùs prima principia demonſtrari aſſerebant: propterea quod demonſtrationes in orbem redeunt; & omnia ex ſe inuicem demonſtrantur. Cap. 3.

17 ¶ Ariſtoteles autem principia finita conſtituit, & prima principia cognoſci aſſerit,non demonſtratione circulari, ſed ſine demonſtratione.ſcientiam namque demonſtratiuam eſſe tantum concluſionum:aliud ſcientiæ genus eſſe,quo principia cognoſcuntur,quod non eſt propriè ſcientia, ſed principium ſcientiæ,propriè autem vocatur intelligentia.

18 ¶ Circulo omnia demonſtrari poſſe negat Ariſtoteles. Primò quia cùm omnis demonſtratio ſit ex prioribus, ſi omnia ex ſe inuicem demonſtrarentur,eadem eſſent iiſdem priora:quod eſt abſurdum. Secundò quia demonſtratio circularis laborat eo vitio,quod vocatur petitio quæſiti.nam qui demonſtrat primum per ſecundum, & ſecundum per primum, perinde facit, ac ſi demonſtraret primum per ſe ipſum. Tertiò quia circulus non habet locum in omnibus terminis, ſed tantùm in reciprocis & conuertibilibus. 2 Prior. cap. 5. cuiuſmodi termini longè pauciores ſunt, quàm ij qui non conuertuntur.

CAP. IIII.

Quid ſit de omni, per ſe, & vniuerſale.

19 QVia propoſitiones demonſtratiuæ ſunt neceſſariæ, id eſt, de omni, per ſe, & vniuerſaliter primæ, age hoc explicemus.

20 ¶ De omni in Prioribus Analyticis dicitur, quod omni ineſt: in præſcētia verò, quod ineſt omni & ſemper, vt omnis homo eſt animal.

21 ¶ Cùm per ſe duobus modis ſumatur: primò, quatenus opponitur ei quod eſt per accidens: ſecundò, quatenus opponitur ei quod eſt per aliud: nunc per ſe, accipio in priori ſignificatione.

22 ¶ Hoc dicitur quadrifariam. I. Per ſe attribuitur, quod ineſt in definitione ſubiecti. II. Quod definitur per ſubiectum. Primo modo attribuuntur genera & differentia: ſecundo modo propria. Exempli gratiâ, primo modo animal per ſe dicitur de homine: nam homo definitur animal rationale mortale. Secundo modo naſus dicitur de ſimo. nam ſimum definitur naſus curuus, & ſimitas definitur narium curuitas. Quod verò nec in definitione ſubiecti ponitur, nec per illud definitur, per accidens attribui dicitur, vt album de animali. III. Per ſe dicitur, quod non eſt in ſubiecto, id eſt ſubſtantia, vt homo. Per accidens autem, quod eſt in ſubiecto, id eſt accidens, vt album. IV. Per ſe dicitur, quod propter ipſum eſt: vt homo iugulatus per ſe interit, id eſt, propter iugulationem interit. Per accidens autem, id quod ob hanc cauſam non eſt: vt deambulante Socrate fulgurauit per accidens, quia deambulatio Socratis non eſt cauſa fulguris.

23 ¶ Vniuerſale, vel vniuerſale primum, vel vniuerſaliter primum dicitur, quod eſt de omni, per ſe, & quatenus ipſum: vt homo eſt rationalis. Quatenus ipſum dicitur, quod non eſt per aliud, ſed per ſe. Quare ſi per ſe, accipiatur in ſecunda illa ſignificatione, quatenus opponitur ei quod eſt per aliud: certè per ſe, & quatenus ipſum, nihil differunt. At ſi per ſe, ſumatur in prima ſignificatione, quatenus opponitur ei quod eſt per accidens: profectò aliud ſignificat τὸ per ſe: aliud, τὸ quatenus ipſum: & ita accepi modò in definitione vniuerſalis.

24 ¶ Tunc attributum dicitur, vniuerſaliter (prout nunc accipi-

accipimus vniuerſale) cùm ita de ſubiecto dicitur, vt ei omni & primo attribuatur. Verbi gratia ſenſus attribuitur viuenti: non tamen omni, ſed tantum animali, non plantæ. rurſus attribuitur homini, ſed non primo, quia non ſoli homini conuenit. ſed animali attribuitur omni & primo. Quare ſubiectum cui vniuerſaliter primo ſenſus attribuitur, non eſt viuens, aut homo, ſed animal.

Cap. V.

Cap. 5.

Quibus ex cauſis peccetur in vniuerſali accipiendo, & qua ratione error vitetur.

Ex dictis cõſtat, eum peccare, qui affectionem, quam de vniuerſali ſubiecto demonſtrare debet, de particulari, vel particularibus ſub eo contentis demonſtrat. Sed examinandæ ſunt quædam excuſationes, quib. fortaſſe aliquis eiuſmodi demonſtrationes defendere niteretur. Prima excuſatio eſt, ſi vnum ſit particulare, de quo demonſtratur. veluti ſi quis demonſtret eclipſim de hac Luna. Hæc excuſatio praua eſt: quia etſi non ſint plures Lunæ; tamen de Luna demonſtrandum eſt, non de hac Luna: non enim deficit, quatenus eſt hæc Luna, ſed ſimpliciter quatenus eſt Luna. & ſi plures Lunæ eſſent, omnes ſimiliter deficerent. Secunda excuſatio eſt, ſi demonſtretur de omnibus particularibus: veluti ſi habere tres angulos æquales duob⁹ rectis, demõſtretur ſeorſum de æquilatero, æquicruro, & ſcaleno. Hæc quoque excuſatio repudianda eſt; quia, etſi nulla eſt præter has tres trianguli ſpecies, tamen de genere, non de ſpeciebus demonſtrari debet. Tertia excuſatio ſimiliter reiicienda eſt, ſi ideo demõſtretur de particularibus, quia vniuerſale nomine caret: veluti ſi proportio demonſtretur ſeorſum de numeris, lineis, ſolidis, & temporibus; quia horum genus, de quo demonſtrandũ eſt, nomine caret. Quarta excuſatio eſt, ſi affectio ei, de quo demõſtratur, omni & ſemper competat: veluti ſi aptitudo ad ridendum demonſtretur de Æthiope. Etiam hæc excuſatio eſt inanis: ſic enim concluſio eſt tantùm de omni, non per ſe, & vniuerſalis, vt eſſe debet. Quinta excuſatio eſt, ſi vniuerſale ſit homonymum, ideóq; demonſtratum ſit de particularibus. Hæc excuſatio iuſta eſt: quia quod homonymos attribuitur, eſt purum vocabulum, quod nõ ſignificat rẽ vniuerſalem, ſed immediatè (vt Auerroës loquitur) in ſingula ſua ſignificata

deſcendit. Quare cùm de rebus, non de vocabulis demonſtretur: neceſſe eſt de ſingulis ſignificatis ſeorſum demonſtrare, non de communi homonymo.

26 ¶ In ſumma, ſi homonymia abſit, affectio demõſtranda eſt de eo ſubiecto, quo primo ſublato tollitur, id eſt, cui omni & ſoli conuenit aut aptitudo ad ridendum nec de Æthiope eſt demonſtranda, nec de animali, ſed de homine.

CAP. VI.

Demonſtrationem conſtare ex principiis neceſſariis, & per ſe.

Cap. 6. 27 QVoniam concluſio demonſtrationis eſt neceſſaria & per ſe, etiam propoſitiones, quę eius cauſam continent, neceſſarias & per ſe eſſe oportet, vt veram & perfectam eius concluſionis ſcientiam pariant.

28 ¶ Accidentium, quæ non ſunt per ſe, non eſt ſcientia demõſtratiuã, ſed de eis dialecticè diſputatur. quamuis enim nec concluſio nec propoſitiones ſint ſimpliciter & abſolutè neceſſariæ, tamen qui propoſitiones concedit, concluſionem negare non poteſt.

CAP. VII.

Principia & concluſionem demonſtrationis non eſſe heterogenea, ſed ſyngenea.

Cap. 7. 29 CVm tria in qualibet demonſtratione ſpectentur, affectio, quæ demonſtratur, ſubiectum, de quo demonſtratur, & axiomata, ex quibus demonſtratur: hæc tantùm communia pluribus ſcientiis eſſe poſſunt, non affectio, nec ſubiectum.

CAP. VIII.

Demonſtrationem eſſe tantùm rerum æternarum.

30 SCientia demonſtratiua eſt tãtùm rerum æternarum: quia quod per ſe eſt, ſemper eſt: iam autem diximus tam concluſionem quàm propoſitiones demonſtrationis eſſe per ſe.

31 ¶ Definitio quoque eſt rerum æternarum: quia omnis definitio vel eſt principium demonſtrationis, vel eſt concluſio demonſtrationis, vel ſola terminorum diſpoſitione differt à demõſtratione, vt ſequenti libro explicabitur.

32 Eorum quæ ſæpe fiunt, vt eclipſis, ſcientia demonſtratiua eſt, non quatenus ſæpe fiunt, ſed quatenus ſunt æterna. Nã particulares eclipſes non ſemper fiunt: ſed eclipſis in vniuer-

ſum

ſum ſumpta, ſemper habet candem cauſam, per quā demonſtratur, id eſt, interpoſitionē terræ. nam quotieſcumque terra Soli & Lunæ interponitur, neceſſe eſt Lunam pati eclipſim.

CAP. IX.

Demonſtrationem non eſſe ex communibus, ſed ex propriis, proinde ex indemonſtrabilibus principiis: ex quibus an quis ſciat, non facile cognitu eſt.

33 DIfficile eſt cognoſcere, an aliquis habeat verā ſcientiam: quam nemo habet, etiamſi ex principiis veris & indemonſtrabilibus cōcluſerit, niſi ea principia ſint etiam propria eius quod demonſtratur. Quamuis enim quædā principia ſint communia, vt dictum eſt partic. 29. tamē & appropriari ſubiecto debent, id eſt, ad illud coarctari, vt poſteriùs docebo, & ſine principiis propriis ad demonſtrandum non ſufficiunt: vt in demonſtrationibus mathematicis apud Euclidem videre eſt, apud quem nulla demonſtratio eſt ex ſolis communibus principiis.

CAP. X.

Definitio, & diuiſio principiorum.

34 PRincipia ſunt, quæ non ſolùm quid ſignificent, ſed Cap. 8.
etiam quòd ſint, præcognoſcitur. Concluſiones verò tantùm præcognoſcitur quid ſignificent: demonſtratur autem quòd ſint. Exempli gratiâ, præcognoſcimus quid triangulum ſignificet, ac triangulum eſſe, necnon quid ſignificet habere duos angulos rectos, ſeu tres angulos ęquales duobus rectis: demonſtramus autem triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales.

35 ¶ Principia diuidūtur in communia, & propria. Communia ſunt, quæ in plurib. ſcientiis eadē ſecundum proportionem ſunt. vt in arithmetica, totus numerus eſt maior ſua parte: & in geometria, tota magnitudo eſt maior ſua parte. hæc enim dicuntur vnum proportione principium: quia eādem rationem habet tota magnitudo ad partem magnitudinis, & totus numerus ad partem numeri. axiomata verò in ſcientiis non ſumuntur in ſua maxima cōmunitate, ſed coarctantur ad propriū ſubiectū, vt in exemplis, quæ modò retuli. Propria ſunt, quæ alij ſcientiæ non conueniūt: nempe ſubiectum eſſe, quid ſubiectū ſit, & quid affectio ſignificet: vt in geometria triangulum eſſe, quid triāgulum ſit, & quid ſignificet habere duos rectos.

36 ¶ Rurſus principiorum genera quatuor ſunt:nempe axioma,hypotheſis,poſtulatum, definitio. Axioma eſt principium commune,quod neceſſe eſt omni diſcenti verum videri,vt omne totum eſſe maius ſua parte.Hypotheſis eſt principium proprium,quod diſcēti verum videtur. Poſtulatum eſt principium,quod doctor petit à diſcipulo ſibi concedi,etiāſi vel dubitet,vel aliter ei videatur.Idē igitur principium alteri erit hypotheſis,alteri poſtulatum,ſi illi videatur verum, huic non æque:veluti omnes rectos angulos eſſe æquales. Et ſiue ſit hypotheſis, ſiue poſtulatum, generali appellatione theſis dici poteſt. Definitio eſt oratio explicans quid vocabulum ſignificet, vel quid res ſit: vt in geometria quid triangulum, in arithmetica quid numerus.

37 ¶ Omnis hypotheſis & omne poſtulatum eſt propoſitio affirmans vel negans:& vel vniuerſalis, vel particularis. Definitio verò nec affirmat, nec negat, & neque vniuerſalis, neque particularis eſt:ſed comparatur ſimplici termino.nam animal (exempli causâ) rationale mortale, quid aliud eſt, quàm homo? Quare animal rationale mortale, quæ eſt hominis definitio,non magis affirmat, aut negat, quàm homo. Cum autem definitio definito attribuitur, tunc fit propoſitio affirmans:vt,*homo eſt rationale mortale.*

CAP. XI.

De principiis quibuſdam omnium ſcientiarum communibus.

38 QVoniam ſcientia eſt rerum æternarum, proinde vniuerſalium:idcirco Plato ponit ideas, quæ ſunt vniuerſalia ante multa,id eſt, quarum idearum participatione ſingularia ſunt id quod ſunt:& harum ſcientia habetur.verbi gratiâ ipſe-homo (ſic enim vocatur à Platone, αὐτοάνθρωπος Græcè)eſt idea hominis:ita vt ſinguli dicantur homines,quatenus hanc ideam participant:& ſcientia de homine,nihil aliud eſt,quàm cognitio huius ideæ. Ariſtoteles autem negat eſſe ideas, id eſt vniuerſalia ante multa, & ponit vniuerſalia in multis,id eſt,genera & ſpecies:de quibus ait fieri demonſtrationes.

39 ¶ Hoc axioma,*affirmationem & negationem ſimul veras eſſe non poſſe*,nō ponitur actu in demonſtratione: niſi talis con-

cluſio

cluſio probanda ſit: quo caſu axioma aptatur tantùm maiori extremo:veluti,

Quicquid eſt rationale, verè dicitur eſſe aptum ad ridendum, & falsò dicitur non eſſe aptum ad ridendum:
Atqui omnis homo eſt rationalis: Ergo
Omnis homo verè dicitur aptus ad ridendum, & falsò dicitur non eſſe aptus ad ridendum.

40 ¶ Hoc principium, *omnis contradictionis alteram partem eſſe veram, alteram falſam*, ſumitur in demonſtratione ducentè ad incommodum. nam ex falſitate propoſitionis problemati contradicentis colligitur veritas ipſius problematis.

41 ¶ Tria ſunt diuerſis ſcientiis communia. I. Axiomata, vt docui ſuprà axio. 35. II. Dialectica. III. Metaphyſica.

42 ¶ Eſt autem differentia inter dialecticam & metaphyſicam, ita vt diuerſimodè communes diuerſis ſcientiis dicantur. nam dialectica vagatur per omnia ſubiecta, nec eſt vni rerum generi adſtricta, ſed omnibus accommodat ſua præcepta: propterea non habet certa principia: ſed veteri more dialecticus aduerſarium interrogat, vt ex eius reſponſo accipiat propoſitiones, ex quibus argumentetur. metaphyſica verò in vno maximè generali ſubiecto verſatur, id eſt, in ente, quatenus eſt ens.

Cap. XII.

De interrogationibus, & obiter de ſcientiarum incremento.

43 INterrogationum varia ſunt genera. I. Interrogatio dialectica, de qua dixi in partic. præced. II. Interrogatio ſophiſtica, de qua dicetur in libro de ſophiſticis elenchis. III. Interrogatio ſcientialis, quæ ſpectatur vel in demonſtrante, vel in diſcente. Demonſtrator ideo interrogat, vt rem euidentiorem faciat auditori, cui non dat optionem reſpondendi quid velit, ſed petit vt veræ ſcientię aſſentiatur: veluti, *nônne homo eſt rationalis?* quæ interrogatio non materiâ, ſed formâ tantùm differt à propoſitione demonſtratiua, & facilè in propoſitionem mutatur. Ea igitur interrogatio phyſica eſt, ex qua poteſt demonſtrari concluſio phyſica: & interrogatio geometrica eſt, ex qua poteſt demõſtrari concluſio geometrica, vel optica, quoniam optica geometriæ Cap. 9.

bus. Nam huiuſmodi argumentatio plerumque non valet. interdum tamen valet ratione materiæ, videlicèt cùm maior propoſitio conſtat ex terminis conuertibilibus: hac enim conuerſâ, fit prima figura: veluti,

Quacunque ſunt per ſe, ſunt neceſſaria:	BAR	*Quacunque ſunt neceſſaria, ſunt per ſe:*
Principia demonſtrationis ſunt neceſſaria: Ergo	BA	*Principia demonſtrationis ſunt neceſſaria: Ergo*
Prĩcipia demoſtrationis ſũt per ſe.	RA	*Prĩcipia demõſtrationis ſũt per ſe.*

Quod ſi maior non conuertatur, argumentatio eſt inutilis, vt hæc Cænei argumentatio:

Quicquid multiplici proportione augetur, celeriter augetur:
Atqui ignis celeriter augetur:
Ergo ignis multiplici proportione augetur.

45 ¶ Numerus demonſtrationum in ſcientiis augetur, non quia multis mediis probetur eadem concluſio, ſed quia probantur diuerſæ concluſiones. Hoc autem bifariàm accidit. Primò in directum aſſumpto nouo termino: veluti ſi probetur corpus eſſe mobile, quia eſt naturale: & eſſe in loco, quia eſt mobile. Secundò in tranſuerſo: veluti ſi probetur ex humida exhalatione gigni nubem, & nebulam, & pruinam.

CAP. XIII.

Differentiæ demonſtrationis ac ſcientiæ quòd ſit, & cur ſit.

46 TRia ſunt demonſtrationum genera. I. Demonſtratio potiſſima, quæ etiam vocatur demonſtratio τȣ̃ διότι, propter quid, id eſt, quæ ſumitur à cauſa proxima: veluti ſi probetur Lunam deficere, quia terra inter Solem & Lunam interponitur. II. Demonſtratio ab effectu: veluti ſi probetur terram interponi, quia Luna deficit. III. Demonſtratio per cauſam remotam. hæc ſemper negatiua eſt, & fit in ſecunda figura: veluti, ſi probetur parietem non reſpirare, quia non eſt animal. Syllogiſmus ita extruitur: Cap. 10.

CAM *Quicquid reſpirat, eſt animal:*
ES *Atqui nullus paries eſt animal:*
TRES *Ergo nullus paries reſpirat.*

47 ¶ Duplex eſt ſcientia altera cur ſit, quæ habetur per demonſtrationem potiſſimam: altera quòd ſit, quæ acquiritur per demonſtrationem ab effectu, vel à cauſa remota. Nam hęc non eſt vera cauſa, vt non eſſe animal, non eſt vera cauſa, propter quam paries non reſpirat: quemadmodum eſſe animal, non eſt cauſa reſpirandi: alioquin omne animal reſpiraret.

48 ¶ Hic notetur regula ab Ariſtotele tradita: Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam negatio eſt cauſa negationis: & contrà, ſi negatio eſt cauſa negationis, etiam affirmatio eſt cauſa affirmationis. veluti ſi temperies humorum eſt cauſa bene valendi, intemperies eſt cauſa non bene valendi. & retrò, ſi hæc eſt cauſa non bene valendi, illa eſt cauſa bene valendi.

49 ¶ Interdum accidit, vt in alia ſcientia cognoſcatur quòd ſit, in alia cur ſit. Hoc autem euenit, I. In ſcientiis ſubalternis, vt opticus nouit rem, quò longiùs abeſt ab oculo, eò minorem videri: geometra verò cauſam tenet, quoniam à lineis, quas viſuales vocant, minor angulus in oculo fit. II. In ſcientiis non ſubalternis. vt vulnera orbicularia tardiùs ſanari, medicus per experientiam cognoſcit: cauſam verò geometra ſcit, quia figura circularis eſt omnium maxima.

CAP. XIV.

De figura ſyllogiſmi demonſtratiui.

Cap. 11. 50 Prima figura eſt maximè ſcientialis, & ad demonſtrandum idonea. Hoc probatur. I. Quia omnes ſcientiæ potiſſimùm hac figura vtuntur. II. Quia maximè apta eſt ad docendum cur ſit. III. Quia per hanc ſolam figuram probatur quid ſit: quandoquidem definitio attribuitur vniuerſaliter definito: concluſio autem vniuerſalis affirmans in ſola prima figura probari poteſt. IV. Quia prima figura cęteris non eget: reliquę verò egent prima figura. Etenim prima figura eſt perfecta, ſecunda verò & tertia perficiuntur per primam, vt lib. 1. Prior. expoſitum fuit. Rurſus propoſitiones demonſtrationis in prima figura extructæ, poſſunt omnes in eadem prima figura probari, quippe cùm omnia problemata in hac figura poſſint concludi. quod non ita dici poteſt de ſyllogiſmis ſecundæ & tertiæ figuræ, propter ea quòd nec affirmatio in ſecunda, nec vniuerſale in tertia probari poteſt.

CAP.

Cap. XV.

De propoſitionibus immediatis negantibus.

51 PRopoſitiones negantes partim ſunt mediatæ, partim immediatæ.

52 ¶ Mediatæ ſunt, I. Cùm ſubiectum eſt in aliquo toto: veluti, *nullum corpus eſt qualitas.* nam hæc propoſitio per genus ſubiecti demonſtrari ſic poteſt.

CE Nulla ſubſtantia eſt qualitas
LA Omne corpus eſt ſubſtantia: Ergo
RENT Nullum corpus eſt qualitas.

II. Cùm attributum eſt in aliquo toto: veluti, *nulla qualitas eſt corpus.* ſic enim per genus attributi demonſtrabitur in ſecunda figura, id eſt in Cameſtres:

CAM Omne corpus eſt ſubſtantia:
ES Nulla qualitas eſt ſubſtantia: Ergo
TRES Nulla qualitas eſt corpus.

III. Cùm tam attributum quàm ſubiectum in toto eſt: veluti, *nullum corpus eſt color.* nam probari poteſt bifariam, id eſt, vel per genus ſubiecti: veluti,

CE Nulla ſubſtantia eſt color:
LA Omne corpus eſt ſubſtantia: Ergo
RENT Nullum corpus eſt color.

Vel per genus attributi, veluti,

CAM Omnis color eſt qualitas:
ES Nullum corpus eſt qualitas: Ergo
TRES Nullum corpus eſt color.

53 ¶ Immediatæ propoſitiones negantes ſunt, cùm nec ſubiectum, nec attributum eſt in aliquo toto: veluti, *nulla ſubſtantia eſt qualitas.*

CAP. XVI.

De ignorantia ſecundum prauam diſpoſitionem in iis, quæ medio vacant.

54 REm aliquam ignoramus, vel quia de ea non cogitamus, vel quia noſtra cogitatio nos fallit. illa vocatur ignorantia ſecundum negationem: quomodo infans, aut idiota philoſophiam ignorat. hæc ignorantia appellatur ſecundum prauam diſpoſitionem, qua ſunt affecti, qui falſis opinionibus ſunt imbuti. Cap. 12.

55 ¶ Ignorantia ſecundum prauam diſpoſitionem ſpectatur vel in enunciationibus immediatis, vel in mediatis.

56 ¶ Quæ in mediatis cernitur, vel eſt ſimplex, vel multiplex. Simplex eſt, quæ accipitur abſque ſyllogiſmo. Multiplex, quæ accipitur per ſyllogiſmum: quia cùm ſit falſa concluſio, neceſſe eſt vt etiam aliqua propoſitio falſa ſit. 2. Prior. cap. 4. partic. 15. & falſitas concluſionis ex prima falſitate pendet. 2. Prior. cap. 18.

Cap. XVII.

De ignorantia ſecundum prauam diſpoſitionem in iis, quibus medium aliquod eſt interiectum.

Cap. 15. 57 Quæ verò in enunciatis mediatis ſpectatur, trifariam contingere poteſt. I. Per verum & proprium medium malè acceptũ, per quod bene acceptum vera concluſio demonſtraretur: veluti,

Nihil rationale eſt aptum ad ridendum:
Omnis homo eſt rationalis: Ergo
Nullus homo eſt aptus ad ridendum.

Nam ſi retentis hiſdem terminis, mutes maiorem propoſitionem in affirmantem; habebis veram demonſtrationem per cauſam:

Omne rationale eſt aptum ad ridendum:
Omnis homo eſt rationalis: Ergo
Omnis homo eſt aptus ad ridendum.

II. Per medium verum ex alia claſſe ſumptum: quod ſi rectè fuiſſet acceptum, veritatem confirmaſſet, non tamen demonſtraſſet: veluti,

Nihil rectè incedens, eſt aptum ad ridendum:
Omnis homo rectè incedit: Ergo
Nullus homo eſt aptus ad ridendum.

Nam ſi maiorem propoſitionem affirmatiuè concipias, habebis quidem verum ſyllogiſmum, ſed qui demonſtrationis nomen non meretur, quia non ſumitur à cauſa, cùm rectè incedere, non ſit cauſa aptitudinis ad ridendum. Verus ſyllogiſmus ita extruitur:

Quicquid rectè incedit, eſt aptum ad ridendum:
Omnis homo rectè incedit: Ergo
Omnis homo eſt aptus ad ridendum:

III. Per

III. Per alienum & extraneum medium, per quod vera concluſio probari nequit: veluti,

Nullus quadrupes eſt aptus ad ridendum:
Omnis homo eſt quadrupes: Ergo
Nullus homo eſt aptus ad ridendum.

Nam medium, *quadrupes,* non poteſt rectè accipi ad probandam veram concluſionem, *omnem hominem eſſe aptum ad ridendum.* Denique vtcumque hoc medium accipias, & cum dictis extremis coniungas, aliquid falſi in ſyllogiſmo reperies.

Cap. XVIII.

De ignorantia ſecundum negationem.

58 QVi aliquo ſenſu ab ortu deſtituitur, alicuius ſcientiæ, quæ eo ſenſu eget, non eſt capax; vt natus cæcus non poteſt colorum ſcientiam adipiſci. Ratio eſt: quia ſcientiam acquirimus vel per inductionem, vel per demonſtrationem: & inductio quidem ſumitur ex particularibus: demonſtratio verò ex vniuerſalibus per inductionem notificatis. quare omnis noſtra ſcientia ducitur ex cognitione particularium, quæ ſenſu percipiuntur. Deficiente igitur ſenſu nec induci, nec demonſtrari, proinde nec ſciri poteſt. Cap. 14.

Cap. XIX. XX. XXI. XXII.

Principia demonſtrationis eſſe finita.

59 NEceſſe eſt principia eſſe finita: quia infinitorum non eſt ſcientia: principiis autem ignoratis etiam concluſiones ignorari neceſſe eſt. Quare niſi principia finita eſſent, ſcientia nulla eſſet. Cap. 15. 16 17. 18.

Cap. XXIII.

Corollaria.

60 VNum duobus, quorum alterum alteri vel nullo modo vel non vniuerſaliter attribuitur, non ſemper ineſt per medium iis duobus commune. verbi gratià ſunt hæc duo, æquicrurum, & ſcalenum, quorum alterũ alteri non attribuitur: hæc verò affectio, habere tres angulos æquales duobus rectis, ineſt æquicruro & ſcaleno per triangulum, Cap. 19.

quod eſt amborum commune genus, ſed triangulum iiſdem ineſt per ſe, non per aliud commune medium.

61 ¶ Tam affirmatio quàm negatio, ſi medium habet, demonſtrabilis eſt. ſi medio caret, eſt demonſtrabilis.

62 ¶ Tot ſunt demonſtrationes, quot ſunt media.

63 ¶ Medius terminus eſt principiũ demõſtrationis ſimplex. Propoſitiones autem ſunt eiuſdem principia compoſita.

64 ¶ Ad principia prima & immediata progrediendum eſt ſumendo medium terminum propinquum minori extremo. Exempli cauſâ, cur homo eſt mobilis? quia eſt animal. cur animal eſt mobile? quia eſt corpus. cur corpus eſt mobile? quia eſt naturale. atque hæc eſt propoſitio immediata, *omne naturale eſt mobile.*

CAP. XXIV.

Vtrùm vniuerſalis an particularis demonſtratio ſit præſtantior.

Cap. 20. 65 VNiuerſalis demonſtratio eſt potior particulari: quia & plura complectitur, & magis cauſam explicat. Vniuerſalem demonſtrationem appello eam, quæ affectionem de ſuo vniuerſali ſubiecto demonſtrat, id eſt de ſubiecto, cui omni & ſoli affectio conuenit. particularem autem, eam, quæ de eius ſubiecti ſpecie demonſtrat. verbi gratiâ, habere tres angulos æquales duobus rectis, demonſtratur vniuerſaliter de triangulo, particulariter de æquicruro.

CAP. XXV.

Demonſtrationem affirmantem, eſſe meliorem negante.

Cap. 21. 66 VT affirmatio negationi, ita affirmatiua demonſtratio negatiuæ præſtat. Affirmatio namque eſt negatione ſimplicior: quandoquidem affirmationi additum negandi aduerbium negationem facit. Et concluſio quidem negatiua probatur per affirmationem negationi adiunctam, quia ex duabus negantibus nihil concluditur, vt ex 1. lib. Prior didicimus affirmatiua autem non probatur per negationem: ſed per duas propoſitiones affirmantes; vt eodem 1. Prior. expoſitum fuit.

CAP.

CAP. XXVI.

Demonſtrationem categoricam præſtare demonſtrationi ducenti ad incommodum.

67 Demonſtratio categorica eſt melior & præſtantior, quàm ducens ad impoſſibile: quoniam hæc à poſteriori, illa à priori arguit. Etenim cauſa eſt prior effectu, & propoſitiones ſunt priores concluſione: & illa quidem demonſtratio ex cauſa effectum concludit: hæc autem ex falſitate concluſionis colligit propoſitionis falſitatem. Cap.22.

CAP. XXVII.

Quæ ſit ſcientia certior & prior, vel minùs certa & poſterior.

68 Optima & perfectiſſima eſt ſcientia cur & quòd ſit: infima eſt ſcientia quòd ſit: medium locum tenet ſcientia cur ſit ſine cognitione quòd ſit. Interdum enim tantùm nouimus quòd ſit, veluti per demonſtrationem ab effectu, aut à cauſa remota ſuprà partic. 45. quandoque tantùm cur ſit. ſup. partic. 48. aliquando & cur ſit, & quòd ſit: ſcientes enim cauſam cur aliquid ſit, etiam ſcimus illud eſſe. Cap. 23.

69 ¶ Scientiæ quò magis à materia abſtrahunt, eò ſunt certiores & perfectiores. hac ratione geometria opticæ præſtat, arithmetica muſicæ.

70 ¶ Cuius ſcientiæ ſubiectum eſt ſimplicius, ipſa eſt perfectior. hac ratione licet præferre arithmeticam geometriæ: quia res geometricæ ſitæ ſunt in plano, vt ſtereometricæ in ſolido: numeri verò, in quibus arithmeticus verſatur, ſitu carent.

CAP. XXVIII.

Quid ſit ſcientia vna, vel plures.

71 Diuerſas demonſtrationes ad eandem ſcientiam referre debemus, ſiue animaduertamus eas pendêre ab iiſdem principiis, ſiue concluſiones eſſe ſyngeneas. Exempli causâ, demonſtrationes de animalibus, & demonſtrationes de plantis pendent ex iiſdem principiis phyſicis, idcirco referuntur ad eandem ſcientiam phyſicam. Rurſus animal gigni, & plantam gigni, ſunt concluſiones ſyngeneę: idcirco

ad eandem ſcientiam,nempe ad phyſicam pertinent ſiue autem principia, ſiue concluſiones heterogeneæ ſint, referre demonſtrationes ad diuerſas ſcientias oportet, veluti de numeris,& de triangulis.

CAP. XXIX.

De pluribus demonſtrationibus eiuſdem rei.

72 EAdem concluſio probari poteſt per plura media vel ſumpta ex eadem claſſe, vt per cauſam proximam,& per cauſam remotam: vel ex diuerſis claſſibus, vt ex diuerſis cauſarum generibus,aut ex cauſa,& ex effectu.

CAP. XXX.

De rebus fortuitis.

Cap. 24. 73 DEmonſtrantur potiſſimùm ea quæ ſemper ſunt, vt cœlum moueri: aliquo modo ea quæ plerumque ſunt, vt hyeme ſæpius pluere quàm æſtate. Fortuita verò, quæ rarò ſunt,nec certam cauſam habent,ſub demonſtrationem non cadunt,vt inuentio theſauri.

CAP. XXXI.

Per ſenſum non haberi ſcientiam demonſtratiuam.

74 QVamquam obiectum facultatis ſenſitiuæ, eſt vniuerſale,vt aſpectus obiectum eſt color: tamen actu ſentimus particularia, non vniuerſalia: vtputa non videmus colorem in genere, ſed hunc vel illum colorem. ſcientia verò vniuerſalium eſt. Quocirca ſenſus & ſcientia differunt.

75 ¶ Cognitio ſenſitiua non ſufficit, quia non tradit cauſam: non eſt tamen inutilis: immò confert ad inueniendam vniuerſalem ſcientiam,quæ eſt per cauſam: quandoquidem ſenſus eſt particularium, ex quibus colligitur vniuerſale.

Cap. XXXII.

De principiorum diuerſitate.

76 Diuerſarum ſcientiarum, vt phyſicæ & mathematicæ, principia ita diuerſa ſunt, vt ad idem genus referri nequeant. Nam demonſtrationes, quæ habent principia ſyngenea, debent ad eandem ſcientiam referri. ſuprà partic. 70. Cap. 25.

Cap. XXXIII.

Diſtinctio ſcientiæ & opinionis.

77 Scientia & opinio eiuſdem rei eſſe poſſunt, ſed nec eodem modo, nec in eodem homine verbi gratiâ, omne mobile eſſe continuum & diuiduum, alius ſcit, quia nouit hoc eſſe neceſſarium, nec poſſe aliter ſe habere: alius opinatur, quia putat ita verum eſſe, vt poſſit etiam non eſſe: vnus autem & idem ſcire & opinari non poteſt: alioquin putaret non eſſe neceſſarium, quod ſcit eſſe neceſſarium. Cap. 26.

Cap. XXXIV.

De ſagacitate.

78 Sagacitas eſt bona quædam medij coniectatio breuiſſimo tempore. id eſt, cùm quis citò & facilè veram cauſam inuenit: putà cùm videat Lunam Solem verſus ſemper ſplendere, illico intelligat eam accipere lumen à Sole. Cap. 27.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER VII.

POSTERIORVM ANALYTICORVM SECVNDVS.

CAP. I.

De numero & ordine quæſtionum.

Cap. 1. QVæSTIONVM & cognitionum genera quatuor ſunt. I. An ſit: veluti an ſit Deus, an ſit centaurus. II. Quid ſit: veluti quid ſit Deus. III. Quòd ſit: veluti quòd Luna deficit. IV. Cur ſit: veluti cur Luna deficiat.

2 ¶ Duæ primæ quæſtiones ſimplices vocantur, quia vnum terminum continent, vt Deum, vel centaurum: reliquæ duæ appellantur coniunctæ, vel compoſitæ, quia duos terminos continent, ſubiectum & attributum, vt Lunam & defectum.

3 ¶ Vt prima ſe habet ad ſecundam, ita tertia ad quartam: tunc enim quærimus quid ſit, cùm nouimus eſſe: & tunc quærimus cur ſit, cùm nouimus quòd ſit.

CAP. II.

Omnem quæſtionem ad medium pertinere.

Cap. 2. 4 OMnis quæſtio eſt medij quæſtio. Medium autem voco cauſam, per quam demonſtratur. Prima & tertia quærunt an ſit aliquod medium, ſiue aliqua cauſa: ſecunda & quarta, quódnam ſit illud medium, ſeu quænam ſit cauſa. Verbi gratiâ, eſt-ne eclipſis? nam ſine cauſa nihil eſt. Similiter quid eſt eclipſis? defectus luminis in Luna ob terræ interpoſitionem. cur eſt eclipſis? quia lumen Lunæ deficit ob terræ interpoſitionem. Rurſus, deficitne Luna? eſt-ne cauſa aliqua

aliqua, propter quam Luna deficiat. Item, cur Luna deficit? quia terra ei opponitur quæ eſt cauſa, propter quam Luna deficit?Lunæ oppoſitio.

CAP. VIII.

Quomodo probetur quid ſit.

5 QVemadmodum ad proprietates probandas ſumitur Cap.8. &
medius terminus,qui ſit rei proprius,vt cùm proba- 9.
tur corpus eſſe in loco, quia mouetur:ita etiam ad probãdam rei quidditatem ſumitur altera quidditas. verbi gratiâ, duplex definitio eclipſis afferri poteſt:quarum altera eſt, interpoſitio terræ inter Solem & Lunam:altera, defectus luminis in Luna.hæc igitur per illam probatur, id eſt, defectus luminis de Luna per interpoſitionem terræ demonſtratur.

CAP. IX.

Quænam quidditates probentur,aut non probentur.

6 QVædam quidditates demonſtrari poſſunt, vt in ex- Cap.10.
emplo nuperrimè allato: quædam ſunt principia prima & indemonſtrabilia, vt definitio trianguli in geometria,numeri in arithmetica.

CAP. X.

Quid ſit definitio, & quotuplex.

7 DEfinitio eſt oratio explicãs quid ſit,id eſt, quid ſit quod dicitur,vel quid ſit res ipſa definita.

8 ¶ Duo ſunt igitur definitionum genera. I. Definitio ὀνοματώδης, id eſt,nominalis,quæ declarat quid verbum ſignificet.veluti Triangulum eſt,quod tres habet angulos. II.Definitio οὐσιώδης,id eſt, eſſentialis ſeu realis, nempe quæ rei eſſentiam patefacit, veluti Triangulum eſt figura plana tribus rectis lineis comprehenſa.

9 ¶ Definitio realis ſubdiuiditur in tria genera.Quædam enim eſt principium demonſtrationis, alia eſt concluſio demonſtrationis,tertia ſolo terminorum ſitu à demonſtratione differt.Exempli gratiâ,cùm tres ſint eclipſis definitiones, prima oppoſitio terræ,altera,defectus luminis in Luna,tertia

ex illis conſtans,defectus luminis in Luna propter terræ oppoſitionem.Prima eſt principium demonſtrationis: ſecunda eſt concluſio demonſtrationis,quia ſecunda per primam demonſtratur. cur enim Luna deficit? ſeu cur defectus luminis eſt in Luna. quia terra ei opponitur. tertia definitio,cùm ex illis duabus conſtet,principium & concluſionem demonſtrationis in ſe continet, ſed formam à demonſtratione diuerſam habet: quia termini aliter in demonſtratione, aliter in definitione collocantur.Demonſtratio ita erigitur: *id cui terra opponitur,deficit: Atqui Lunæ terra opponitur: Ergo Luna deficit.* Definitio verò ita componitur:*Eclipſis eſt defectus Lunæ propter terræ oppoſitionem.*

Cap. XI.

Per quæ genera cauſarum demonſtretur.

Cap. 11. 10 PEr omnia genera cauſarum demonſttari poteſt. I. Per materiam: veluti, cur corpora ſublunaria ſunt interitui obnoxia?quia conſtant ex elementis contrariis,quę ſe mutuò deſtruunt. II. Per formam: veluti, cur homo eſt diſciplinæ capax?quia eſt rationis. III. Per efficiens:veluti, cur Luna deficit?quia terra ei opponitur, quominùs accipiat lumen à Sole. IV. A fine:veluti,cur muniuntur vrbes?vt tutæ ſint à vi hoſtium.

11 ¶ Efficiens & finis per ſe inuicem demonſtrari poſſũt: veluti,cur deambulat?vt bene valeat.cur bene valet?quia deambulat.Nam deambulatio eſt cauſa efficiens ſanitatis:ſanitas eſt finis deambulationis.

12 ¶ Eadem concluſio perdiuerſa cauſarum genera demonſtrari poteſt:putà per materiam, & finem. Exempli cauſâ,cur lumen tranſit per laternam? quia materia laternæ eſt perlucida,vt cornu fortè,aut vitrum. Rurſus cur lumen tranſit per laternam?ne incidentes in tenebris impingant.

13 ¶ Natura vel propter finem agit,vt ſemen propter generationem:vel ex neceſſitate materiæ:quæ quidem neceſſitas eſt naturalis,vt lapidem deſcendere.Alia verò eſt neceſſitas violenta,vt cùm lapis proiectus aſcendit.

14 ¶ Eorum quæ à ratione fiunt,quædam neque caſu,neque ex neceſſitate materiæ vnquàm fiunt, vt domus: alia etiam caſu fieri poſſunt,vt ſanitas.alij namque arte medici ſanantur:

nantur:alij caſu,vt Iaſon Pheræus teſte M.Tullio lib.3.de natura Deorum.

15 ¶ Quæ finis gratiâ fiunt,ea vel à natura fiunt,vt ſemen: vel ab arte,vt domus:à fortuna numquàm.

Cap. XII.

De cauſis eorum quæ ſunt,vel fiunt,vel facta ſunt,vel futura ſunt.

16 Cauſarum aliæ ſimul ſunt cum effectibus,vt oppoſitio terræ ſimul eſt cum eclipſi: aliæ tempore præcedunt,vt ædificator & tigna,priora ſunt ædificio. Illæ vt ſimul cum effectibus ſunt, ita etiam ſimul fiunt, ſimul factæ ſunt,ſimul futuræ,futuræ ſunt.verbi gratiâ, quando fit oppoſitio terræ,fit eclipſis. cùm illa eſt, hæc eſt. cùm illa fuit, hæc fuit.cum illa erit,hæc erit.

17 ¶ In iis quæ non ſunt ſimul non licet arguere à priori ad poſterius,ſed à poſteriori ad prius. Nam hæ aut ſimiles conſequentiæ non valent: *Sunt fundamenta, ergo eſt domus. fuerunt fundamenta,ergo fuit domus.* Immo hæc quoque conſecutio praua eſt: *Facta ſunt fundamenta,ergo fiet domus.* Sic autem rectè arguitur: *Eſt domus,ergo ſunt fundamenta: erit domus,ergo erunt fundamenta. Fuit domus, ergo fuerunt fundamenta. facta eſt domus, ergo facta ſunt fundamenta. fiet domus,ergo fient fundamenta.* Cap.12.

18 ¶ Quædam in orbem redeunt, vt vapor, nubes, pluuia,vapor terræ.nam ex vapore fit nubes, ex nube pluuia, ex pluuia madeſit terra. rurſus ex terra madefacta oritur vapor, & ita deinceps in infinitum.Hęc igitur circulo demonſtrantur, ita vt ſimiliter arguamus tamquàm à poſteriori ad prius. veluti, eſt vapor, ergo terra fuit madefacta. pluet, ergo erit nubes,&c. Cap.13.

19 ¶ Vt concluſio neceſſaria demonſtratur per medium neceſſarium, ita concluſio quæ plerumque eſt, demonſtratur per medium, quod plerumque eſt. Quæ autem rarò eueniunt, non demonſtrantur, vt docuimus libro 1. cap.30.

20 ¶ Immediatarum igitur propoſitionum, ex quibus demonſtrationes extruuntur, aliæ ſunt neceſſariæ & ſemper veræ,aliæ plerumque veræ.

Cap. XIII.

De inueſtiganda definitione.

Cap.14. 21 IN definitione rei ſynonymæ conſtituenda, hæc obſeruare oportet. I. Sumantur attributa in quæſtione quid eſt. II. Sumantur ea attributa, quæ ſingula latiùs patent quàm res definita, ſed non ſunt extra eius rei genus. III. Hæc attributa eouſque ſumantur, donec eorum collectio ſit rei definitæ propria, nec vlli alij rei conueniat.

22 ¶ In definitione inueſtiganda eius quod attribuitur per prius & poſterius, I. Sumatur genus. II. Ea quæ primis ſpeciebus attribuuntur in quæſtione quid eſt. nam hæc attribuuntur primis ſpeciebus per ſe, reliquis autem per primas, vt demonſtratio non attribuitur æqualiter demonſtrationi cur ſit & demonſtrationi quòd ſit: ſed illi priùs, huic poſteriùs. Itaque in eius definitione accepimus genus, id eſt ſyllogiſmum, & attributa eſſentialia demonſtrationis cur ſit: ac diximus demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum qui ſcientiam parit ex propoſitionibus veris, primis, &c. lib. 1 part. 13.

23 ¶ Inueſtigandæ definitionis methodus duplex eſt, diuiſiua, & inductiua: quarum illa progreditur ab vniuerſalibus ad particularia, hæc à particularibus ad vniuerſale.

24 ¶ Diuiſionis in definitionibus inquirendis duplex eſt vtilitas. I. Per diuiſionem fit, vt partes definitionis recto ordine collocentur, id eſt, magis vniuerſales præponantur minùs vniuerſalibus. II. Per diuiſionem rectè inſtitutam fit, vt nulla pars definitionis prætermittatur.

25 ¶ Errat Speuſippus exiſtimans non poſſe differentias cognoſci, quibus res definita à ceteris ſeiungitur, niſi omnes res cognoſcantur. Sufficit enim generalis differentiarum cognitio. Exempli gratiâ, ſcire ſufficit omne animal aut eſſe rationale, aut irrationale, hominem autem eſſe rationalem: quâ differentiâ ſeiungimus hominem ab omni animali irrationali, licèt non cognoſcamus diſtinctè omnes ſpecies animalium irrationalium.

26 ¶ Tria ſunt in definitionibus obſeruanda. I. Sumenda ſunt ſola attributa in quæſtione quid eſt: id eſt, attributa

buta eſſentialia, nempe genus, & differentiæ: quæ inueſtigari poſſunt ex locis generis, qui tradentur quarto Topico. Nam hi loci tam pertinent ad differentias, quàm ad genera. II. Hæc attributa in quæſtione quid eſt, recto ordine collocari debent: ita vt communiora præferantur minùs communibus, & primo loco id ponatur, quod latiſſimè patet. III. Sumenda ſunt omnia eiuſmodi attributa, ita vt nullum prætermittatur. quod quidem aſſequemur, ſi attributum eſſentiale, quod maximè commune eſt, initiò ſumpſerimus, & diuidendo ac ſubdiuidendo progrediamur, donec ad vltimum peruenerimus, quod diuidi amplius non poteſt per differentias eſſentiales, quarum altera definito vniuerſaliter conueniat. Verbi gratiâ, ad hominem definiendum primò ſumatur animal. ſecundò diuidatur in rationale & irrationale. tertiò ſubdiuidatur animal rationale in immortale & mortale. inde colligatur definitio, *animal rationale mortale.*

27 ¶ Cùm definitio per inductionem inueſtigatur, notandæ ſunt ſimilitudines primò in particularibus: deinde in vniuerſalibus, ſub quibus ea particularia continentur. atque ita progrediendum, donec ad vnam communem rationem perueniatur. Quòd ſi vna communis ratio inueniri non poſſit: apparet, id, cuius definitio quæritur, eſſe homonymum. Exempli causâ, ſi quæratur magnanimitatis definitio, ſpectandi ſunt viri magnanimi, & videndum, quid eis commune ſit, primò ſpecialiter, deinde generaliter. Magnanimi habiti ſunt Achilles, Aiax, Alcibiades, Lyſander, & Socrates: tres quidem priores, quia noluerunt contumeliam pati: tres autem poſteriores, quia eundem animum in vtraque fortuna habuerunt. Si igitur hæc duo, id eſt, non perpeti contumeliam, & eodem modo in ſecundis & aduerſis rebus eſſe affectum, ad communem aliquam rationem referri poſſunt, vnum erit magnanimitatis genus, ſin minùs, duo erunt genera.

28 ¶ Hac ratione definitio fit vniuerſalis & perſpicua.

29 ¶ Maximum definitionis vitium eſt obſcuritas. Etenim debet in demonſtrationibus ineſſe vis concludendi, ita in definitionibus perſpicuitas.

30 ¶ Quamobrem non ſolùm homonymia debet à definitionibus exulare, ſed etiam metaphora. Nam metaphora plerumque obſcuritatem parit, ideóque etiam in diſputationibus vitanda eſt: Topic.6.cap.2.ac definitiones metaphoricæ, quamuis interdum elegantiam quandam habere videantur, veræ tamen definitiones non ſunt: veluti, *Poëſis eſt pictura loquens, Pictura eſt poëſis muta.*

Cap. XIV.

De inuentione problematum.

Cap. 16. 31 TAm in ſynonymis, quàm in iis, quæ cùm communem eſſentiam habeant, communi nomine carent, necnon in analogis, problemata quærenda ſunt methodo diuiſiua: ita vt progrediamur à toto ad partes, & à genere ad ſpecies. Verbi gratiâ, priùs quærendæ ſunt affectiones animalis, quàm partium ipſius, vt capitis, pectoris brachiorum, crurum, vel ſpecierum, vt hominis, & equi.

Cap. XV.

Quatenus idem medium ad problemata demonſtranda adhibeatur.

32 TRibus modis contingit plura problemata demonſtrari per eandem cauſam. I. Quorundam cauſa eadem eſt ſpecie, veluti cur hyeme loca ſubterranea ſunt calidiora, quàm æſtate? & cur hyeme faciliùs cibum concoquimus quàm æſtate. quia propter circumſiſtens frigus calor contrahitur & vnitur, proinde validior eſt. II. Quædam habent cauſam genere eandem, veluti cur fit arcus cæleſtis? quia radij Solis à nube mediocriter denſa & humida reflectuntur. cur echo? quia vox à corpore ſolido præſertim concauo reflectitur. cur imago repræſẽtatur in ſpeculo? quia ſpecies viſibilis à læui ſpeculi ſuperficie reflectitur. ergo horum omnium cauſa eſt reflexio: non tamen eadem reflexio, ſed diuerſa. III. Quædam ſunt ita ſubordinata, vt vnius cauſa pendeat ex cauſa alterius. veluti cur Luna deficit? quia terra interponitur inter Solem & Lunam. cur terra interponitur? quia alterum aſtrum eſt in capite, alterum in cauda draconis.

Cap. XVI.

De cauſa ex effectu arguenda

34 CVm cauſa & effectus reciprocantur,tam effectus per cauſam,quàm cauſa per effectum demonſtrari poteſt.vtputà *terra interponitur:ergo luna deficit.* item, *luna deficit:ergo terra interponitur.* ſed illa eſt demonſtratio τοῦ διότι, hæc autem τοῦ ὅτι: de quibus dictum eſt lib.1.cap.13. Cap.17.

34 ¶ Vnius effectus poſſunt quidem eſſe plures cauſæ ſub vna generali contentæ:vt laudis cauſæ ſunt actio liberalis, & actio iuſta:ſed vtraque eſt actio ſecundum virtutem. cauſa igitur generalis,per quam demonſtratur, vna eſt, licet particulares ſub ea contentæ,plures eſſe poſſint.

Cap. XVII.

An vnius effectus plures cauſæ.

35 TRibus modis multæ cauſæ eiuſdẽ effectus ſumi poſſunt. I. Si aſſumantur cauſæ per accidẽs:nam harum certus non eſt numerus. vt putà ſanitatis cauſa eſt,non ſolùm medicus,ſed etiam albus & muſicus,ſi contingat vt medicus ſit albus & muſicus. II. Si accipiantur cauſæ particulares, vt in præced.partic.docui. III. Si vna cauſa ſub altera contineatur: vt luna deficit propter terræ interpoſitionem; quia ipſa eſt in capite vel cauda Draconis, Sol autẽ in ſigno oppoſito.

Cap. XVIII.

Vtra cauſa prior ſit prior-ne.
an magis vniuerſalis.

36 SI affectio non de ſuo proprio, ſed de inferiori ſubiecto,id eſt, affectio non de genere, ſed de ſpecie demonſtretur:rectiùs demonſtratur per medium propinquum minori,quàm maiori extremo. Sint (exempli cauſa)hęc quatuor ſubordinata:

1 *Caſus foliorum.*
2 *Humoris concretio.*
3 *Lata folia.*
4 *Vitis.*

Dico primùm rectiùs demonſtrari de quarto per tertium quàm per ſecundum.nam ſecũdum eſt cauſa,cur primũ inſit tertio:& tertiũ eſt cauſa,cur ſecũdũ inſit quarto:idẽmq tertiũ

eſt cauſa, cur primum inſit quarto. cur enim lata arborum folia cadunt? quia humor concreſcit. cur humor inuitè concreſcit? quia latis foliis prædita eſt. cur vitis folia cadunt? quia lata ſunt.

CAP. XIX.

Cap. 18. *De cognitione primorum principiorum.*

37 COgnitio primorum principiorum acquiritur ex antecedente ſenſitiua, non intellectiua cognitione. ex rei namque præſentis ſenſu fit memoria: ex repetita rei memoria fit experientia: ex hac intellectus colligit vniuerſale, quod eſt principium demonſtrationis. Exempli cauſâ, quia memini me ſæpius vidiſſe rhubarbarum purgare choleram: hinc habeo experientiam, ex qua meus intellectus colligit omne rhubarbarum purgare choleram. Vide 1. Metaphyſ. ca. 1.

38 ¶ Quemadmodum cognitio concluſionis propriè vocatur ſcientia: ita cognitio primorum principiorum appellatur intelligentia, vt latiùs 6. Ethico declaratur.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER VIII.

TOPICORVM PRIMVS.

CAP. I.

Cap. 1. *De ſyllogiſmo, & eius ſpeciebus.*

DIALECTICA eſt facultas probabiliter impugnandi, & defendendi problema propoſitum.

2 ¶ Syllogiſmus dialecticus (quem Græci ἐπιχείρημα vocant 8. Topic. cap. 11. partic. 16.) eſt, qui ex propoſitionibus probabilibus concludit.

3 ¶ Probabile eſt, quod omnibus verum videtur; vel pleriſque

pleriſque,vel ſapientibus omnibus, vel ſapientibus pleriſque vel ſapientibus maximè illuſtribus & claris.

Cap. II.

De vtilitate huius tractationis.

4 Dialectica vtilis eſt I. Ad exercitationem:quia dialecticus facilè de quauis re propoſita diſſerere poteſt. II. Ad congreſſus:quia dialecticus cum quouis ex ſententiis, quæ ei probantur, agere, eúmque non rectè dicentem refellere poteſt. III. Ad philoſophiam & ſcientias: cùm quia diſputatio in vtramque partem inſtituta, efficit vt faciliùs veritas innoteſcat:tum etiam quia prima ſcientiarum principia non poſſunt demonſtrari,ſed dialecticis argumentis confirmari. Cap.2.

Cap. III.

De perfecta dialectica cognitione.

5 Perfectus dialecticus eſt, qui quàm maximè probabiliter fieri poteſt,problema impugnat, vel defendit. Neque enim omnia problemata poſſunt eadem facilitate impugnari,vel defendi: neque bonus dialecticus ſemper in diſputando euincit quod vult, quemadmodum nec bonus orator ſemper perſuadet, nec bonus medicus ſemper ſanat ægrotum.

Cap. IV.

De quibus,& ex quibus diſſeratur.

6 Qvatuor ſunt,de quibus diſputatur,&ex quibus propoſitiones accipiuntur:genus,definitio, proprium, & accidens. Ex his enim fiunt problemata,de quibus & propoſitiones ex quibus diſputatur. Cap.5.

7 ¶ Propoſitio igitur & problema non differunt materia,ſed forma. Propoſitio namque eſt, veluti, *Animal rationale mortale éſtne hominis definitio?* (Intellige propoſitionem interrogantis. nam propoſitio ratiocinantis eſt affirmatio vel negatio.1.Prior.cap.1.partic.6.)Problema autem,veluti,*vtrùm animal rationale mortale ſit hominis definitio.*

ſed poteſt fieri proprium aliquo tempore, vel per relationem ad alterum. vt ſedere ad regis dexteram, eſt proprium Socratis, quando ſic accidit, vt ſolus ad dexteram regis ſedeat. deambulatio verò eſt propria Socratis reſpectu eorum, qui ſtant, aut ſedent.

CAP. VI.

Obiectionis ſolutio.

17 Reliqua problemata communionem aliquam habent cum problemate definitionis. Nam qui probat non ſoli conuenire, non ſolùm euertit proprium, ſed etiam definitionem. Item qui probat non eſſe genus, euertit etiam definitionem, in qua id pro genere ſumptum eſt. Præterea qui probat non ineſſe, non ſolùm euertit accidens, ſed etiam definitionem, immò etiam genus, & proprium. nam hæc omnia attributa debet ſubiecto ineſſe. Sed nihilominùs rectè conſtituuntur quatuor genera problematum: quia fieri poteſt, vt argumentum contra aliquod problematis genus valeat, contra alia non valeat. vtputà ſi probetur non attribui in quæſtione quid eſt, euertitur genus, non accidens. Cap. 5.

CAP. VII.

Idem quot modis dicatur.

18 IDem ſumitur tribus modis. I. Numero: vt Socrates & Sophroniſci filius. II. Specie: vt Socrates & Plato. III. Genere: vt homo & equus ſunt in eodem animalis genere. Cap. 6.

19 ¶ Vnum numero dicitur, I. Quod tantùm nomine differt: vt veſtimentum & indumentum. item definitum & definitio, vt homo, & animal rationale mortale. II. Subiectum, & eius proprium: vt homo, & ſcientiæ capax. III. Subiectum & accidens: vt Ariſtoteles, & docens in Lycio.

CAP. VIII.

Nec plura, nec pauciora eſſe attributa, quàm quatuor ſupra poſita.

20 OMnes diſputationes de quatuor illis, & ex iiſdem inſtitui, videlicèt genere, definitione, proprio & Cap. 7.

accidente,probatur. I. Per inductionem:quicquid enim pro ponatur, ad aliquod ex his quatuor referri poteſt. II. Per ſyllogiſmum.Quicquid enim attribuitur: id vel cum re reciprocatur,vel non reciprocatur.Si reciprocetur: aut ſignificat quid res ſit, & eſt definitio : aut non ſignificat quid res ſit, & eſt proprium. Si non reciprocetur:aut eſt eſſentiale, nempe genus:aut accidentale,& vocatur accidens.

Cap. IX.

De categoriis.

21 QVodlibet ex his quatuor attributis reperitur in vna ex decem categoriis. aut enim ſignificat quid eſt,aut quantum, aut quale, aut ad quid refertur, aut vbi, aut quando,aut ſitum eſſe,aut habere,aut facere,aut pati.

22 ¶ Quæſtio quid eſt, in omnibus categoriis ſpectatur. In ſubſtantia,veluti quid eſt homo,quid eſt animal.In quantitate,veluti quid eſt linea, quid eſt numerus. In qualitate, veluti quid eſt albor,quid eſt color.Similiter in aliis categoriis exempla afferri poſſunt.

Cap. X.

De propoſitione dialectica.

Cap. 8. 23 PRopoſitio dialectica eſt, I. Quæ omnibus aut pleriſque hominibus eſt probabilis,vt matrem diligere liberos. II. Quæ probabilis eſt ſapientibus omnibus,aut pleriſque,aut clariſſimis & nobiliſſimis, vt Platoni, vel Ariſtoteli, niſi à communi ſententia abhorreat. verbi gratiâ, probabile eſt principia naturalia eſſe contraria, quia omnes philoſophi ea contraria ponunt. & mundum eſſe genitum, quia pleriſque philoſophis ſic videtur. & monarchiam eſſe potiorem ariſtocratia & democratia, quia his præfertur ab Ariſtotele.Mulieres autem & bona in repub.communia eſſe debere, non eſt probabile, quamuis Platoni placeat, quia communi omnium hominum ſententiæ omnino repugnat. III. Quæ eſt ſimilis probabili. veluti ſi probabile eſt vnam eſſe grammaticam, etiam probabile eſt vnam eſſe logicam. IV.Quæ

IV. Quæ eſt probabili contraria,contradictoriè vel contrariè enunciata.veluti ſi probabile eſt,de amicis eſſe bene merendum: etiam probabile eſt, de amicis non eſſe malè merendum,& de inimicis non eſſe bene merendum, & de inimicis eſſe malè merendum. V. Quæ in aliqua ſcientiâ vel arte eſt recepta.vt probabile eſt contraria contrariis curari, quia medici ita docent.

CAP. XI.

De problemate dialectico,& theſi.

24 PRoblema dialecticum tribus modis diuidi poteſt. I. Alia ſunt problemata de rebus agendis vel fugiendis, vt problemata ethica, veluti an liceat alicui ſe interficere, ne in poteſtatem hoſtium veniat. Alia ſpectant ad veritatem & cognitionem, non ad actionem, vt problemata phyſica,veluti vtrùm motus ſit in mouente, an in mobili. Alia ſupra dictis inſeruiunt,vt problemata logica, veluti an quidditas demonſtrari poſſit. II. Alia ſunt, de quibus in neutram partem homines ſentiunt, veluti vtrùm in centro mundi ſit terra an aqua. Alia, de quibus vulgus & ſapientes diſſentiunt,veluti an diuitiæ faciant virum beatum. Alia, de quibus vulgus non idem ſentit, veluti vtrùm pro amico ſit mentiendum. Alia, de quibus ſapientes inter ſe diſſentiunt: veluti vtrùm aſpectus fiat per intromiſſionem ſpecierum viſibilium, an per extramiſſionem radiorum viſualium, quos vocant. III. Alia problemata dubia ſunt,quia ſtatim de his occurrunt rationes contrariæ: veluti vtrùm milites, an literati magis proſint reip. Alia,quia nulla ab initio ratio facilè apparet,veluti vtrùm mundus ſit genitus,an ingenitus. Nam & rationum contrarietas,& rationum inopia nos incertos ac dubios reddit. Cap. 2.

25 ¶ Theſis accipitur duobus modis. I. Propriè pro ſententia admirabili & præter hominum opinionem, quæ ſententia vel confirmatur alicuius nobilis philoſophi auctoritate,vt nihil moueri ſecundum Parmenidem & Meliſſum; vel ratione aliqua, vt eſſe nonnulla, quæ nec facta nec æterna ſunt;quia muſicus eſt grammaticus.cùm neq;ſit factus grammaticus,neque ſit æternus. II. Latè pro quouis problemate.

acſi eſſent ſimpliciter vera; veluti matrem liberos ſuos diligere.nam qui exceptiones ignorant,eiuſmodi propoſitiones nobis concedent.

31 ¶ Ex auctoribus,quos legimus,propoſitiones elicere, & colligere debemus,quibus,cùm opus erit,vti poſſimus.

32 ¶ Harum propoſitionum promptuarium conſcribere debemus.inquo conſcribendo hæc præcepta obſeruentur. I. Diuerſa rerum genera ſeparatim ponantur: vtputà aliud ſit caput de bono, aliud de animali:ſub eo capite collocentur propoſitiones ad bonum pertinentes: ſub hoc colligantur, quæ ad animal ſpectant. II. Rei definitio primo loco ponatur. III.Adſcribatur nomen auctoris,ex quo propoſitio ſumpta eſt, veluti, *Quatuor ſunt elementa ſecundum Empedoclem.* IV. Tria propoſitionum genera potiſſimùm notanda videntur: ethica,phyſica,& logica.His quilibet addat ea,quibus maximè ſe vſurum intelligit, vt theologica, vel iuridica. V. Sumendæ ſunt propoſitiones maximè vniuerſales, & his ſubiiciendæ particulares.vtputà primo loco ponatur hæc generalis propoſitio,*Oppoſitorum eadem eſt ſcientia.*huic ſubiiciẽdà ſpecialis,*Contrariorum eadem eſt ſcientia.*rurſus huic alia magis ſpecialis,*ſanitatis & morbi eadem eſt ars medica.*

Cap. XV.

De iis,quæ multifariam dicuntur, diſtinguendis.

33 NOn ſolùm ambigua ſunt diſtinguenda, ſed etiam eorum differentia eſt explananda. verbi gratiâ, *candidum homonymωs dicitur de colore & de voce:color enim dicitur candidus,quia diſſipat aſpectum:vox autem candida,quia facilè auditur.* Cap.13.

34 Multiplicia ſiue ambigua hæc ſunt. I. Quod aliâs aliud contrarium habet.vt acutum homonymωs attribuitur voci, & magnitudini: quoniam in voce eſt contrarium graui, in magnitudine obtuſo.id eſt,vox acuta opponitur voci graui, angulus autem acutus eſt contrarius angulo obtuſo.II. Quod aliâs habet contrarium, aliâs non habet. vt voluptas ex cibo & potu eſt dolori contraria:voluptas autem,quæ ex contemplatione percipitur,nihil contrarium habet,ergo voluptas eſt vocabulum homonymum. III. Contraria,quæ aliâs medium habent,aliâs non habent:vel aliâs aliud medium habent. vt

colori candido & fuſco interiectus eſt color pallidus: voci autem candidæ & voci fuſcæ non interiicitur vox pallida, ſed aut nihil eſt interiectum, aut vox rauca. candidum igitur & fuſcum homonymωs attribuitur colori & voci. IV. Contraria, quæ aliàs vnum medium habent, aliàs plura media, vt candidi & fuſci in voce vnum eſt medium, nempe raucum: in colore multa media, vt pallidum, rubrum, viride. V. Quod multiplici contradicit. veluti ſi non videre accipitur duobus modis, nempe actu & habitu: quia non videre aliquis dicitur, aut quia oculos clauſit, ſiue eſt in tenebris, aut quia eſt cęcus: etiam videre totidem modis accipitur, & dicitur aliquis videre, vel quia actu videt, vel quia videre poteſt. VI. Habitus, cuius priuatio multis modis accipitur: nec non priuatio, cuius habitus multis modis ſumitur. nam ſi horum alterum eſt multiplex, alterum quoque multiplex eſſe neceſſe eſt. veluti ſi ſentire, aliter attribuitur animæ, aliter corpori: etiam ſenſu carere, ſimiliter diſtinguetur. VII. Id, cuius coniugatum eſt multiplex. veluti ſi iuſtus multis modis accipitur, iuſtitia quoque totidem modis capitur. 5. Eth. cap. 1. VIII. Id, cuius ſignificata referuntur ad diuerſas categorias, vt bonitas animæ eſt qualitas: bonitas eius quod moderatum eſt, ad quantitatem refertur: bonitas pharmaci reducitur ad Actionē, quia pharmacum bonum dicitur, quatenus efficit ſanitatem: bonitas occaſionis eſt in categoria Quando. IX. Id, cuius ſignificata referuntur ad diuerſa proxima genera, licet omnia ſint in eadem categoria. vt canis eſt vocabulum homonymum: quia tria ſubſtantiarum genera ſignificat: quarum vna eſt ſpecies quadrupedis, altera eſt ſpecies piſcis, tertia eſt ſpecies ſyderis. X. Id, cuius contrarium refertur ad diuerſa genera non ſubalterna. veluti ſi bonum eſt homonymum, quia refertur ad diuerſa genera, etiam malum ſimiliter eſt homonymum. XI. Quod cum alio ſubiecto coniunctum, aliter definitur: vt candidum. nam corpus candidum definitur, cuius color diſſipat aſpectum: vox autem candida definitur, quæ facilè audiri poteſt. XII. Id, cuius definitio eſt multiplex, veluti ſi ſalubre definiatur, quod ad ſanitatem affectum eſt. nam aliter ad ſanitatem affectum eſt, quod eam indicat, vt pulſus: aliter quod eam efficit, vt pharmacum. XIII. Quæ inter ſe conferri non poſſunt. vt ſapor nec magis nec minùs quàm vox, nec æquè

acutus

acutus dici poteſt: ergo acutum de voce & ſapore dicitur homonymως. XIV. Differentia diuerſorum generum non ſubalternorum, vt acutum eſt differentia vocis & anguli: quandoquidem vox acuta differt à non acuta, & angulus acutus à non acuto: atqui vox & angulus ſunt diuerſa genera non ſubalterna: ergo acutum homonymως dicitur de voce & de angulo. XV. Quod in alio ſubiecto per alias differentias diuiditur, vt color corporis aliter diuiditur, quàm color rethoricus. XVI. Quod modò eſt ſpecies, modò differentia, vt candidum, quod eſt in corpore, eſt ſpecies coloris: candidum autem, quod voci attribuitur, eſt vocis differentia.

CAP. XVI.

De differentiis inueniendis.

35 Differentiæ ſunt inueſtigandæ I. Eorum, quæ continentur eodem genere, vt fortitudinis & temperantiæ. II. Eorum, quæ cùm ſint in diuerſis generibus, tamen inter ſe ſimilia ſunt, vt ſenſus & ſcientiæ. Cap. 14.

CAP. XVII.

De ſimilitudine conſideranda.

36 IN diuerſis generibus conſideranda eſt ſimilitudo, quam analogia facit: veluti, *vt ſe habet ſcientia ad ſcibile, ita ſenſus ad ſenſibile.* Item: *vt eſt tranquillitas in mari, ita ſerenitas in aëre.*

37 ¶ Maximè laborandum eſt in quærendis ſimilitudinibus rerum maximè inter ſe diſtantium. quærendæ tamen ſunt etiam in iis rebus, quæ ſub eodem genere continentur: veluti quid ſit commune homini, equo, & boui.

CAP. XVIII.

De vtilitate dictorum inſtrumentorum.

38 COgnitio eius quod multis modis accipitur, I. Valet ad perſpicuitatem. II. Ad hoc, vt ſyllogiſmi fiant de re ipſa, non de vocabulo. III. Ad diſſoluendos paralogiſmos ex ambiguitate ductos. IV. Ad fallendum eum, qui neſcit diſtinguere, cùm ſcilicèt ambiguitas latet. ſed hoc eſt potiùs ſophiſtæ, quàm dialectici.

40 ¶ Differentiarum inuentio. I. Confert ad quæſtionem, vtrùm aliqua ſint eadem, an diuerſa. Nam ſi differunt, ſunt diuerſa. ſi non differunt, idem ſunt. II. Ad quæſtionem quid eſt: quandoquidem res ex genere & differentiis definitur.

41 ¶ Similitudinis conſideratio vtilis eſt. I. Ad conficiendam inductionem, quæ fit ex multis particularibus ſimilibus. II. Ad ſyllogiſmos hypotheticos: quia probabilis hypotheſis eſt, quod in vna re ſimili valet, id in aliis quoque rebus ſimilibus obtinere. III. Ad definitiones, id eſt, ad inueniendum genus, quod in definitione ponere oportet. nam inter ea, quæ multis communia ſunt, id, quod maximè attribuitur in quæſtione quid eſt, pro genere accipi debet. vtputà vnitas & punctum ſimilia ſunt, quatenus vtrumque eſt principium. hoc igitur pro genere ſumpto, vnitatem definiam principium numeri: & punctum, principium lineæ.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER IX.

TOPICORVM SECVNDVS.

CAP. I.

Protheoria.

Cap.I. PROBLEMATVM alia ſunt vniuerſalia, vt omnem voluptatem eſſe bonam, nullam voluptatem eſſe bonam: alia particularia, vt aliquam voluptatem eſſe bonam, aliquam voluptatem non eſſe bonam.

2 ¶ Si probetur omni ineſſe, ſimul probatum erit alicui ineſſe: & ſi probetur nulli ineſſe, ſimul probatum erit alicui non ineſſe.

3 ¶ Pro-

3 ¶ Problemata plerumque affirmantia proponuntur. itaque dialecticus potiſſimùm tenere debet axiomata vniuerſalia negantia,quibus affirmantia problemata refelluntur tam vniuerſalia,quàm particularia.

4 ¶ Notandum eſt diſcrimen inter accidens & alia attributa. nam reliquæ attributiones conuerti poſſunt:veluti, *Animal homini ineſt, ergo homo eſt animal.* in accidente ſecus eſt: quia conſequentia non valet, *Albor ineſt Aethiopi, ergo Aethiops eſt albus.* ratio eſt: quia albor Æthiopi non ineſt ſimpliciter, ſed κατά τι,id eſt, ratione dentium: reliqua verò attributa præter accidens,non inſunt ex parte, ſed vel omnino inſunt, vel omnino non inſunt.

5 ¶ Duo ſunt problematum vitia. I. Falſitas:veluti,omnem voluptatem eſſe bonam. II. Locutio non vſitata: veluti ſi quis ponat non omne animal ſentire, quia appellatione animalis complectatur etiam plantam.

6 ¶ Dialecticus potiſſimùm locos noſſe debet,ex quibus abundet propoſitionib. ad differendum contra quoduis problema.vnde hi libri,Topici conſcribuntur.

7 ¶ Locus accipitur tribus modis. I. Pro axiomate dialectico,quod vulgò vocant maximam: veluti, *genus non accidit ſpeciei.* II. Pro nota, qua axioma ab axiomate diſtinguitur:veluti à genere, à coniugatis. vulgò differentiam maximæ appellant. III. Pro præcepto,veluti, *Problema conuertatur in propoſitionem, & contra eam obiectio quæratur.* capite ſeq. partic. 4.

Cap. II.

Varij loci problematum de accidente.

8 SEquentes loci referuntur ad problema accidentis: Cap.2. quorum alij pertinent ad quæſtionem an inſit,veluti, *Quod nulli ſpeciei ineſt,generi non ineſt:* alij ad quæſtionem an accidat,veluti, *Genus non accidit ſpeciei.* Ideóque illi poſſunt etiam ad alia problemata transferri:nam omnia attributa(id eſt,genera, propria, definitiones, accidentia) debent ineſſe ſubiectis:hi verò ſunt proprij problematis de accidente.

9 ¶ I. Genus non accidit ſpeciei: vt virtus iuſtitiæ. II. Proprium nó accidit ſubiecto, vt homini aptitudo ad riden-

dum. III. Definitio non accidit definito, vt homini animal rationale mortale.

10 ¶ I. Quod omnibus ſpeciebus ineſt, de genere vniuerſaliter eſt affirmandum. II. Quod pleriſque ſpeciebus ineſt, de toto genere eſt concedendum, niſi afferatur obiectio. III. Quod nulli ſpeciei ineſt, de toto genere vniuerſaliter eſt negandum. IV. Quod pleriſque ſpeciebus non ineſt, de genere vniuerſaliter eſt negandum, aut afferenda obiectio.

11 ¶ Valet argumentum à definitione ad definitum, & contra. Nam cui horum alterum conuenit, neceſſe eſt vt alterum quoque conueniat: item cui alterum non conuenit, neceſſe eſt vt alterum quoque non conueniat. veluti ſi ſcientiæ definitio attribuitur grammaticæ, grammatica eſt ſcientia: & ſi definitio ſcientiæ non poteſt attribui iuſtitiæ, iuſtitia non eſt ſcientia.

12 ¶ Si problema conuertatur in propoſitionem, & contra hanc inueniatur obiectio, hinc habebitur argumentum contra problema. Quod enim contra propoſitionem eſt obiectio, id contra problema eſt argumentum.

13 ¶ Loquendum vt multi: ſentiendum cum ſapientibus.

Cap. III.

De locis pertinentibus ad ea, quæ multis modis dicuntur.

14 SI ambiguitas lateat, ac theſis non poſſit in quacumque ſignificatione confirmari, vel impugnari: confirmetur vel impugnetur in ea ſignificatione, de qua ſuppetunt argumenta.

15 ¶ Si homonymia non lateat: afferantur argumenta de ea ſignificatione, de qua ſuppetunt: & indicetur, aliarum ſignificationum aliam eſſe rationem.

16 ¶ Reſpiciendum eſt etiam ad ea, quæ multis modis non homonymως dicuntur: &, ſi multiplicitas lateat, eatenus diſtinguendum, quatenus nobis vtile eſt: ea verò ſunt omittenda, de quibus non habemus argumenta.

Cap. IV.

Varij loci.

17 VOcabula obſcura cum perſpicuis commutentur.

18 ¶ I. Quod non accidit generi, non accidit ſpeciei:

ſpeciei:veluti,ſi animal non poteſt eſſe æternum, homo non poteſt eſſe æternus. II. Quod accidit ſpeciei,accidit generi :veluti, ſi grammatica accidit homini, accidit etiam animali. III. Quædam accidunt generi,non cuiuis ſpeciei: vt grammatica accidit animali.non tamen equo,aut boui.

19 ¶ I. Cui genus attribuitur,ei aliqua eius generis ſpecies attribuitur. II. Quod habet genus,habet aliquam eius ſpeciem. III. Quod denominatur à genere,denominatur ab aliqua ſpecie.

20 ¶ Cui non ſuppetunt argumenta contra theſim, is partes theſis definiat,& definitiones examinet:quia faciliùs inueniuntur argumenta contra definitionem, quàm contra rem definitam.

21 ¶ I Si verum eſt antecedens,verum eſt etiam conſequens.veluti ſi eſt homo,eſt animal. II. Si falſum eſt conſequens, falſum eſt etiam antecedens: veluti ſi non eſt animal,non eſt homo.

22 ¶ Quod aliquando non ineſt, id nec neceſſariò nec ſimpliciter ineſt. veluti neceſſariò augeri, non eſt proprium animalis,quia non ſemper animal augetur.

Cap. V.

Loci à tranſlatione diſputationis.

23 SI aduerſus theſim argumenta non ſuppetant ad propoſitionem,quæ ad theſim aut pertinet,aut pertinere videtur,diſputatio transferatur.

Cap. VI.

Alij loci.

24 DVorum oppoſitorum medio carentium,vno poſito alterum tollitur: & vno ſublato alterum ponitur.veluti ſi homo bene valet,non ægrotat.etſi non bene valet,ægrotat.

25 ¶ Vocabuli ſignificatio debet conuenire etymologię. vtputà cùm philoſophia ſignificet amorem ſapientiæ: nō eſt philoſophus nominandus, qui ſapientia ad quæſtum abutitur,quia lucrum potiùs amat,quàm ſapientiam.

26 ¶ Tria ſunt accidentium diſtincta genera,quæ de eodem ſimul vera eſſe non poſſunt. Vnū eſt,quod ſemper accidit, vt cycnum eſſe album: alterum, quod in vnam partem

ſæpius accidit, vt virum barbam emittere. tertium, quod vtrolibet modo contingit, vt hominem deambulare, aut non deambulare.

27 ¶ Idem non poteſt ſibi accidere, quamuis pluribus nominibus ſignificetur, vt lætitia & gaudium. Peccat igitur, qui gaudium lætitiæ accidere ponit.

Cap. VII.

Loci à contrariis.

Cap. 3. 28 SI duæ ſint contrariorum ſyzygiæ: vt amici & inimici, necnon bene & malè mereri: ſex modis connecti poſſunt. aut enim duo duobus attribuuntur, aut duo vni, aut vnum duobus: quæ omnia trifariam contingunt; vt in ſequentibus exemplis. I. De amicis bene, de inimicis malè merendum. II. De amicis malè, de inimicis bene merendum. III. De amicis bene & malè merendum. IV. De inimicis bene & malè merendũ. V. De amicis & inimicis bene merendum. VI. De amicis & inimicis malè merendum. Ex his pronunciatis, prima duo non continent in ſe contrarietatem: ac primum quidem eſt verum, ſecundum eſt falſum: reliqua verò contrarietatem in ſe continent: proinde ſunt omnino falſa ſecundum Ariſtotelem ad id quod prima ſpecie videtur, vt dialecticum decet, reſpicientem. Sunt igitur hæc accipienda κτ̀ δόξας. nam κατ' ἀλήθειαν in dicto exemplo ſolum quintum pronunciatum eſſe verum conſtat ex c. 5. Matth. ver. 44.

29 ¶ Contraria in eodem ſubiecto ſimul eſſe nõ poſſunt.

30 ¶ Quod poteſt vnum contrarium ſuſcipere, poteſt etiam alterum ſuſcipere. Vt homo poteſt bene vel malè valere. ſicut autem in animæ facultate iraſcibili non eſt amor, ita nec odium. Si obiicias cygnum recipere alborem, non nigrorem: coruum autem recipere nigrorem, non alborem: reſpondebo, etſi non reipſa, tamen per intellectum poſſe cygnum ſuſcipere nigrorem, & coruum alborem, vt cap. 5. Porphyrij expoſitum fuit.

Cap. VIII.

Loci ab oppoſitorum conſecutione.

31 SI vera eſt affirmatio, vera eſt etiã negatio vniuerſa. veluti ſi quod eſt homo, eſt animal: quod non eſt animal, non

non eſt homo. Si vera eſt negatio, vera eſt etiã affirmatio inuerſa: veluti ſi quod non eſt animal, non eſt homo: certè quod eſt homo, eſt animal.

32 ¶ Contrarium contrario plerumque directò eſt conſequens: vt fortitudo eſt virtus, ignauia eſt vitium. interdum ordine inuerſo, vt firmam corporis conſtitutionem ſequitur bona valetudo, & aduerſam valetudinem ſequitur infirma corporis conſtitutio.

33 ¶ Priuantibus priuantia recto ordine conſequuntur: vt aſpectus eſt ſenſus, cæcitas eſt priuatio ſenſus.

34 ¶ Relata quoque relatis directò conſequentia ſunt: vt triplum eſt multiplex, & ſubtriplum eſt ſubmultiplex.

CAP. IX.

Loci à coniugatis, & ab ortu, vel interitu, vel efficiente, vel interimente.

35 Coniugata attributa coniugatis ſubiectis ſimul eodem caſu inſunt, vel ſimul non inſunt. veluti ſi iuſtitia eſt laudabilis, iuſtè agere eſt laudabiliter agere. & ſi iniuſtitia nõ eſt laudabilis, iniuſtè agere nõ eſt laudabiliter agere.

36 ¶ Res, ortus eius, & efficiens, ſunt ſimul bona, aut ſimul mala. veluti ſi ſcientia eſt bona, etiam diſcere eſt bonum: & ſi ars magica eſt mala, diſcere artem magicam eſt malum. Contraria ratio eſt rei & interitus vel interimentis. veluti ſi ſcientia eſt bona, obliuio eſt mala. & ſi obliuio eſt mala, ſcientia eſt bona.

CAP. X.

Loci à proportione, & à comparatione.

36 Quorum eadem eſt ratio, his idem proportione attribuitur. veluti ſi eadem eſt ratio ſenſus ad ſenſibilia, & ſcientiæ ad ſcibilia: certè ſi contrariorum ſenſibilium idem eſt ſenſus, vt albi & nigri idem eſt adſpectus, etiam contrariorum ſcibilium eadem eſt ſcientia, vt ſanitatis & morbi medicina. Si verò multa ſcire, non eſt multa cogitare: profectò ſcire non eſt cogitare. Cap. 4.

37 ¶ Si ſubiectum intendatur, etiam accidens intenditur: veluti ſi iniuria eſt mala, maior iniuria eſt peior.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER X.

TOPICORVM TERTIVS.

Cap. I.

Loci, ex quibus probatur melius eſſe, vel optabilius.

QVÆSTIO vtrùm ſeu quod ſit melius, ſiue optabilius, de iis tractatur, in quibus exiguũ eſt diſcrimen: adeo vt quod aliqua ratione ceteris præſtare probatur, ſimpliciter præſtare videri poſſit. Cap. I.

2 ¶ Optabilius & melius eſt. I. Quod eſt diuturnius & conſtantius. II. Quòd potiùs eligeretur à viro prudẽte, aut à viro bono, aut à bono legiſlatore, aut à ſtudioſo, qui in re, qua de agitur, verſatur, aut à perito, aut ab omnibus, aut à pluribus. III. Quod pertinet ad meliorem ſciẽtiam, vt inſtrumenta mathematica præſtant inſtrumentis fabrilibus. Excipe, niſi ſpectetur perſona, quæ in deteriori ſcientia verſatur. vt fabro optabilior eſt malleus, quàm ſphæra. IV. Quod eſt in genere boni, eo quod nõ eſt in hoc genere. vt iuſtitia præſtat homini iuſto. V. Quod eſt propter ſe optabile, eo quod eſt optabile propter aliud. vt beatitudo eſt optabilior virtute: & ſanitas deambulatione. VI. Quod eſt per ſe optabile, eo quod eſt optabile per accidẽs. vt habere iuſtos amicos eſt optabilius, quam habere iuſtos inimicos: quoniã illud eſt optabile per ſe: hoc autem per accidens, ne inimici nobis noceant. VII. Quod per ſe eſt cauſa boni, eo quod eſt cauſa per accidens. hac ratione virtus fortunæ præſtat. VIII. Quod eſt ſimpliciter bonum, eo quod eſt alicui bonũ: vt præſtat bene valere, quàm aperire venam, aut ſumere pharmacũ. IX. Quod eſt naturaliter bonum, eo quod eſt bonum ad ſcitiẽ. vt iuſtitia præſtat viro iuſto. X. Quod præſtantiori ſub-

XXVI. Quod eſt ſimilius meliori quaten⁹ melius eſt. XXVII. Quod eſt magis inſigne: vt triumphus eſt optabilior quàm oratio. XXVIII. Quod eſt difficilius. XXIX. Quod eſt magis proprium. hoc argumento vtitur Ariſtoteles contra Platonem ad impugnandam vxorum & liberorum cõmunionem. 2. Politic. cap. 1. partic. 14. vulg. cap. 2. XXX. Quod magis eſt à malis ſeiunctum. XXXI. Quod eſt optimum in genere meliori, vt optimus iuriſconſultus præſtat optimo medico. XXXII. Quod poteſt cum amicis communicari, eo quod nõ poteſt communicari. vt ſcientia communicari poteſt: nobilitas non poteſt. XXXIII. Quod malumus erga amicos agere, eo quod erga quemlibet. hac ratione melius eſt bene mereri, quam videri bene mereri. XXXIV. Quod eſt ex abundanti, eo quod eſt neceſſarium, vt philoſophia eſt optabilior quæſtu. Excipe, niſi quis egeat; huic enim potius neceſſaria ſunt paranda, quam philoſophandum. XXXV. Quod ab alio ſuppeditari non poteſt, eo quod ſuppeditari poteſt. hac ratione pulchritudo præſtat diuitiis. XXXVI. Quod ſine altero eſt eligendum, eo quod ſine hoc non eſt eligendum. hoc argumẽto iuſtitia robori præſtat. XXXVII. Quod vt nobis ineſſe videatur, alterum negamus. vt ſatius eſt eſſe ingenioſum, quam laborioſum: quia negamus nobis aliquam doctrinam eſſe difficilem, vt videamur ingenio valere. XXXVIII. Id, cuius abſentiam moleſtè ferentes, minùs reprehenduntur. vt minus reprehenditur, qui moleſtè fert amiſſionem liberorum, quam diuitiarum: ergo liberi ſunt optabiliores diuitiis. XXXIX. Id, cuius abſentiam ægrè non ferentes, magis reprehenduntur. vtputà magis reprehenduntur, qui ſanitatis, quam qui diuitiarum curam non habent: ergo ſanitas diuitiis præſtat.

Cap. III.

Alij loci.

XL. QVod propriam virtutẽ habet, eo quod nõ habet. vt medic⁹ perit⁹ pręſtat medico imperito. XLI. Quod magis habet propriã virtutẽ. vt medicus quò eſt peritior, eò eſt præſtãtior. XLII. Quod bonũ rẽ efficit, eo quod nõ efficit. vt virt⁹ facit virũ bonũ, diuitię nõ faciũt bonũ, ſed diuitẽ: ergo

virtus diuitiis præſtat. XLIII. Quod facit rem meliorem, quàm alterum. vt iuſtitia facit virum meliorem, quàm fortitudo. XLIV. Quod rei meliori bonitatem tribuit: vt iuſtitia tribuit bonitatẽ animæ, ſanitas corpori: iuſtitia igitur ſanitati præſtat. XLV. Id, cuius coniugatum, vel vſus, vel actio, vel opus eſt melius. veluti ſi iuſtitia eſt optabilior fortitudine, iuſtus eſt optabilior forti. XLVI. Quod aliqua re eſt melius, eo quod eâdem re eſt deterius. veluti ſi ſanitas diuitiis, diuitiæ pulchritudini, etiã ſanitas pulchritudini præſtat. XLVII. Quod maiori bono præſtat. veluti ſi honor eſt maius bonũ, quàm diuitiæ: ſi virtus honori, amicitia diuitiis præſtat, certè virt⁹ eſt optabilior quàm amicitia. XLVIII. Quod eidem rei magis præſtat. veluti ſi virtus magis ſuppetat diuitias, quàm ſanitas, ſanitati virtus præſtat. XLIX. Id, cuius exſuperantia eſt optabilior. vtputà exſuperantia amicitię eſt optabilior, quàm diuitiarũ: ergo amicitia eſt diuitiis optabilior. L. Quod quiſq; ſibi mauult parare per ſe, eo quod mauult comparare per aliũ. hoc quoque argumento amicitia diuitiis præponi poteſt. LI. Id, cũ quo res eſt optabilior, quàm cum altero. veluti ſi diuitiæ ſunt optabiliores cum nobilitate, quàm cum mercatura. nobilitas mercaturæ præſtat. Excipe, niſi alterũ rei inſeruiat cui adiungitur, alterum nõ inſeruiat. vt miles eſt optabilior cum gladio, quàm cum libro: nec propterea gladius eſt ſimpliciter optabilior libro. nam & è contrario philoſophus eſt optabilior cũ libro, quàm cũ gladio. LII. Quod minori bono adiunctum, facit illud melius. veluti ſi virtus cũ paruis opibus eſt optabilior, quàm pulchritudo cum magnis opibus, virtus pulchritudini eſt anteponẽda. LIII. Id, quod ab eadem re ablato relinquitur minus bonum. veluti ſi Ariſtotelis organũ minus vtile eſt demptis libris Analyticis, quàm Topicis, libri Analytici ſunt Topicis meliores. LIV. Quod eligitur per ſe, eo quod eligitur glorię cauſa: vt ſanitas pulchritudine. LV. Quod eligitur tam per ſe quàm gloriæ cauſa, eo quod eligitur tantùm per ſe, vel gloriæ tantùm cauſa. vt patriæ defenſio eſt optabilior, quàm vita, aut triumphus. LVI. Quod magis per ſe eligitur, vt beatitudo eſt optabilior ſanitate. LVII. Quod ad plura valet. veluti quod eſt honeſtũ & vtile vel iucundũ, ei præſtat quod eſt tantùm honeſtũ, vel tantùm vtile, vel tantùm iucundũ. vt pro

patria vincentẽ triumphare,melius eſt quàm pro patria mortem oppetere. LVIII. Quod ad eundem finem magis valet: veluti quod eſt honeſtius, vel vtilius, vel iucundius. LIX. Quod melioris rei cauſa eligitur.vt medicina mercaturæ eſt anteponenda:quia illa ſanitatis gratiâ: hæc diuitiarum causâ eligitur. E contrario id quod magis eſt impedimento, quominùs ea conſequamur,quæ ſunt eligenda,eſt deterius. hac ratione morbus eſt deterior deformitate. LX. Quod eſt ſemper & indiſtinctè eligendum, eo quod vocatur ἀδιάφορον. vt virtus diuitiis præſtat.

Cap. IV.

De abſolutè eligendis,aut fugiendis.

3 EXpoſiti ſunt loci cõparationis bonorum &malorum: qui leui commutatione facta valebũt etiam ad quæſtionem abſolutam, an ſit eligendum an fugiendum, detracta ſcilicèt excellentia,qua alterum alteri præſtat.veluti ſi vtilius minus vtili eſt optabilius, vtile eſt optabile. & ſi bonum per ſe, eſt optabilius eo quod eſt bonum per accidens; bonum per ſe eſt optabile. Cap. 4.

Cap. V.

De quorumcumque accidentium comparatione loci generales.

4 IIdem loci poſſunt reddi magis vniuerſales, vt pertineant ad quorumcumque accidentium comparationem.veluti cum partic.2. memb.43. dictũ ſit,quod facit rem meliorẽ,eſſe melius:generaliter dicere poſſumus,Quod rem facit magis talem,id eſſe magis tale: & hoc ad alia accidentia transferre,veluti, Quod cibum dulciorẽ facit,dulcius eſt.

Cap. VI.

De problemate accidentis particulari.

5 NOn tantùm ad problema accidentis vniuerſale dicti loci valent,ſed etiam ad particulare.quia ſi probetur omni ineſſe, ſimul probetur alicui ineſſe: & ſi probetur nulli ineſſe,ſimul probatur alicui non ineſſe.

6 ¶ Problema particulare poteſt ex hypotheſi fieri vniuerſale.veluti ſi ſupponatur,ſi muſica ſit vtilis, omnes ſcientias eſſe vtiles: &, ſi muſica non ſit vtilis, nullam ſcientiam eſſe vtilem.nam diſputatio de muſica pertinebit ad omnem ſcientiam:& quod de muſica concludetur, de omni ſcientia erit concedendum.

7 ¶ Problematum particularium quatuor ſunt genera. I. Indefinitum: veluti, *Aliqua voluptas eſt bona.* non enim definitio vtrum aliqua tantùm, an omnis bona ſit. Similiter hoc problema. *Aliqua voluptas non eſt bona*, eſt indefinitum: quia nō definit, vtrùm aliqua tantùm non ſit bona, an nulla ſit bona. II. Definitum: veluti, *Quædam voluptas eſt bona, quædam nō bona.* III. Magis definitum: veluti, *Vna voluptas eſt bona.* IV. Maximè definitum: veluti, *ſola voluptas muſica eſt bona.*

8 ¶ Problema definitum impugnatur vno modo, ſi probetur concluſio vniuerſalis contradicens. veluti ſi problema ſit, aliquam voluptatem eſſe bonam, probandum eſt nullam eſſe bonam. & ſi problema ſit, aliquam voluptatem non eſſe bonam, probandum eſt omnem eſſe bonam.

9 ¶ Idem problema confirmari poteſt duobus modis. I. Si concludatur in parte: veluti ſi problema ſit aliquam voluptatem eſſe bonam, & probetur hoc ipſum, id eſt, aliquā voluptatem eſſe bonam. II. Si probetur vniuerſale, ſub quo illud particulare continetur, vt omnem voluptatem eſſe bonam.

10 ¶ Problema definitum infirmatur duobus modis. I. Si probetur vniuerſalis affirmatio. II. Si probetur vniuerſalis negatio. Nam ſiue omnis voluptas ſit bona, ſiue nulla ſit bona: falſum eſt, aliquam eſſe bonam, & aliquam non eſſe bonam.

11 ¶ Problema magis definitum refellitur tribus modis. I. Si probetur vniuerſalis affirmatio. II. Si probetur vniuerſalis negatio. III. Si probentur multa particularia. Siue enim omnis, ſiue nulla voluptas ſit bona, ſiue multæ voluptates ſint bonæ, falſum eſt vnam voluptatem eſſe bonam.

12 ¶ Problema maximè definitum reprehenditur quatuor modis. I. Si probetur vniuerſalis affirmatio. II. Si probetur vniuerſalis negatio. III. Si probetur aliquod aliud particulare. IV. Si refutetur hoc ipſum particulare, quod in problemate poſitum eſt. Siue enim omnis voluptas ſit bona, ſiue nulla ſit bona, ſiue multæ ſint bonæ, ſiue muſica voluptas non ſit bona: falſum eſt problema, ſolam voluptatem muſicam eſſe bonam.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XI.

TOPICORVM QVARTVS.

CAP. I.

Loci pertinentes ad problema generis.

SEQVVNTVR axiomata de genere, ex quibus Cap.1.
probari poteſt aliquid eſſe vel non eſſe alterius genus. Superuacuum eſt monere, eodem argumento confirmari vel infirmari genus & ſpeciem. nam ſi ſcientia (exempli gratiâ) eſt genus iuſtitiæ, iuſtitia eſt ſpecies ſcientiæ. & ſi ſcientia non eſt genus iuſtitiæ, iuſtitia non eſt ſpecies ſcientiæ.

2 ¶ Genus attribuitur omnibus ſpeciebus ſub ſe cõtentis.

3 ¶ Genus attribuitur in quæſtione quid eſt.

4 ¶ Quod poteſt ineſſe & non ineſſe, non eſt genus.

5 ¶ Genus & ſpecies ſunt in eadem categoria.

6 ¶ Species eſt particeps generis: ſed genus non eſt particeps ſpeciei, id eſt, ſpecies recipit definitionem generis, genus autem non recipit definitionem ſpeciei.

7 ¶ Cui ſpecies attribuitur, eidẽ genus quoque attribuitur.

8 ¶ Quod in genere ponitur: id aut prima, id eſt, proxima ſpecies eſt, aut ſub aliqua ex primis ſpeciebus continetur.

9 ¶ Genus latiùs patet, quàm ſpecies.

10 ¶ Quæ ſpecie non differunt, ſub vno genere continẽtur.

CAP. II.

Alij loci.

11 EAdem ſpecies non continetur ſub duobus generibus heterogeneis. Cap.2.

12 ¶ Omnia ſuperiora genera attribuuntur ſpeciei, &

ſpeciebus ſpeciei, in quæſtione quid eſt.

13 ¶ Si duo genera eidem ſpeciei attribuantur, horum alterum eſt alterius ſpecies.

14 ¶ Generum definitiones attribuuntur ſpeciebus, & ſpecierum ſpeciebus.

15 ¶ Differentia non eſt genus, nec attribuitur in quæſtione quid eſt, ſed in quæſtione quale quid eſt, vt iam ex Porphyrio didicimus.

16 ¶ Differentia non eſt ſpecies, nec eſt particeps generis.

17 ¶ Genus non ſubiicitur ſpeciei.

18 ¶ Differentia non ſubiicitur ſpeciei.

19 ¶ Genus non ſubiicitur differentiæ diuiſiuæ.

20 ¶ Genus non eſt differentia.

21 ¶ Genus pluribus attribuitur, quàm differentia diuiſa.

22 ¶ Genus non eſt particeps differentiæ.

23 ¶ Cui ſpeciei attribuitur genus, eidem attribuitur aliqua huius generis differentia.

24 ¶ Genus eſt natura prius ſpecie.

25 ¶ Genus non deſerit ſpeciem.

26 ¶ Differentia non deſerit ſpeciem.

Cap. III.

Alij loci.

Cap. 3. 27. EAdem ſpecies non collocatur ſub duobus contrariis generibus.

28 ¶ Si quid toti generi repugnet, & ſpeciei inſit, hæc non eſt illius generis ſpecies. vt anima non eſt ſpecies numeri: quia vita animæ conuenit, nulli autem numero conuenit.

29 ¶ Genus & ſpecies non ſunt homonyma.

30 ¶ Omne genus multas ſpecies complectitur:

31 ¶ Genus ſpeciei propriè attribuitur, vt animal homini: non metaphoricè, vt concentus temperantiæ,

32 ¶ Si generi nihil ſit contrarium, ſpecies contrariæ ſunt in eodem genere.

33 ¶ Si generi ſit aliquid contrarium, ſpecies contrariæ ſunt in contrariis generibus.

34 ¶ Duorum contrariorum, ſi alterum ſit genus, non ſpecies: alterum quoque eſt genus, non ſpecies.

35 ¶ Si contrariis generibus ſit aliquid interiectum, etiam contrariis

contrariis ſpeciebus eſt aliquid interiectum. & ſi ſpeciebus, etiam generibus. Excipitur: quia inter bonum & malum eſt aliquid interiectum, quod nec bonum eſt nec malum: inter ſanitatem autem & morbum nihil eſt interiectum.

36 ¶ Contrariis generibus & contrariis ſpeciebus eodem modo medium eſt interiectum, id eſt, vtrobique ſecundum affirmationem, vel vtrobique ſecundum negationem. Hæc duo mediorum genera ſunt expoſita Categor. cap. 10.

37 ¶ In eodem genere ſunt ſpecies contrariæ, & ſpecies mediæ. Excipitur: quia exſuperãtia & defectio, cùm ſint contraria, ſunt in genere mali: mediocritas autem, quæ iis interiecta eſt, in boni genere eſt.

38 ¶ Si genus habet contrarium, etiam ſpecies habet contrarium. Excipitur: quia morbo contraria eſt ſanitas: ſpeciei autem morbi, vt febri aut ophthalmiæ, nihil eſt contrarium.

Cap. IV.

Alij loci.

39 Coniugatorum genera ſunt coniugata.

40 ¶ Si eadem ſit ratio primi ad ſecundum, & tertij ad quartum: ſi primum genus tertij, etiam ſecundum eſt genus quarti.

41 ¶ Habitus & priuatio, vt aſpectus & cæcitas, non ſunt in eõdem proximo genere, ſed in oppoſitis generibus.

42 ¶ Negationem generis ſequitur negatio ſpeciei. veluti quod non eſt animal, non eſt homo.

43 ¶ Si ſpecies ſit ad aliquid, etiam genus eſt ad aliquid. Hoc axioma non eſt ſemper verum. nam virtus eſt ad aliquid, id eſt, verbo tenus ſeu ſecundum dici, refertur ad eũ, qui virtute præditus eſt. Categor. cap. 7. part. 5. honeſtum autem, quod eſt genus virtutis, non eſt ad aliquid. Contrà quoque (quia de iis loquimur, quæ verbo tenus ad aliquid referuntur) non eſt neceſſe, ſi genus ad aliquid referatur, vt etiam ſpecies ad aliquid referatur. nam ſciẽtia eſt ad aliquid, id eſt, ad ſcibile refertur: grammatica verò, quæ eſt ſcientiæ ſpecies, non eſt ad aliquid. Categor. cap. 8. partic. 32.

44 ¶ Species ad idem refertur per ſe, & ratione omnium ſuperiorum generum. vt duplum eſt ſpecies multipli-

quare duplum dicitur dimidij duplũ, & dimidij multiplum. Excipitur. quia ſcientia eſt ſpecies affectionis & habitus: & ſcientia quidem refertur ad rem ſcibilem: affectio autem & habitus refertur ad animam.

45 ¶ Genus & ſpecies in eodem caſu referuntur. vt habitus & ſcientia referuntur in patrio caſu. nam ſcientia dicitur rei ſcibilis ſcientia: & habitus, animæ habitus. Excipitur: quia diuerſum ab aliquo dicitur. præſtans autem & contrarium dicitur alicui: cùm præſtans & contrarium ſint ſpecies diuerſi.

46 ¶ In relatione generis & relatione ſpeciei reciprocatio ſimilis eſt, id eſt, in eodem caſu. vt duplum & dimidium inter ſe referuntur in patrio caſu: itidémq; multiplum & ſubmultiplum.

47 ¶ Genus & ſpecies ad totidem referuntur. vt datio dicitur alicuius, & alicui: & ſimiliter donatio alicuius & alicui. Excipitur: quia duplum tantùm refertur in genitiuo, ac dicitur dimidij duplum: exſuperans autem refertur in accuſatiuo, & in ablatiuo: quia rem aliquam aliquo exſuperat.

48 ¶ Species relatæ ſub relatis generibus collocantur. vt dupli & dimidij genera ſunt multiplum & ſubmultiplum.

49 ¶ Cùm relata ſint in triplici differentia (quædam enim neceſſariò inſunt in iis, ad quę referuntur: vt habitus neceſſariò eſt in eo cuius eſt habitus, putà in anima. alia poſſũt eſſe & non eſſe in iis, ad quæ referuntur: vt cognitio mei intellectus poteſt eſſe vel in meo intellectu, vel nõ in meo, ſed in alio. alia non poſſunt eſſe in iis, ad quæ referuntur: vt contrarium non eſt in cõtrario) quale relatum eſt genus, tale eſt etiam ſpecies: veluti cùm contrarium ſit ſpecies oppoſiti, ſicut oppoſitum non poteſt eſſe in oppoſito, ita contrarium non poteſt eſſe in contrario.

CAP. V.

Alij loci.

Cpa. 5. 50 Actus non eſt genus habitus. vt metus non eſt genus ſenſus. Item habitus non eſt genus alicuius actus, veluti memoriæ.

51 ¶ Facultas conſequens habitum non eſt genus habitus, vt continẽtia non eſt genus iuſtitiæ; ſed eſt facultas conſequens

ſequens habitum : quia continens ſuperat perturbationem, quâ afficitur:iuſtus autem non afficitur perturbatione,ſed ita eſt comparatus,vt poſſet abſtinere,& perturbationem vincere,ſi ab ea afficeretur.

52 ¶ Genus eſt ſimul cum ſpecie.Ideo conſequens,quod non eſt ſimul cum antecedente, non eſt eius genus : veluti ſi quis iraſcitur,dolet:poſita igitur ira, ponitur dolor: atque ita dolor eſt iræ conſequens.non tamen eſt genus iræ,ſed dolorem ira ſequitur. Cùm enim duo ſint conſequentium genera, quorum alterum priùs, alterum poſteriùs conſequitur. 3. Topic. cap.2. partic. 1. dolor ita eſt iræ conſequens , vt eam præcedat.

53 ¶ In quo eſt ſpecies, in eo etiam eſt genus. veluti in quo eſt albor,in eo eſt color.Hoc axioma producitur ad problema accidentis:túncque ita concipiatur, *Accidens eſt in eo,in quo eſt id cui accidit.* vt ſcientia quæ accidit animæ,eſt in homine,in quo eſt anima.

54 ¶ Species non quadamtenus, ſed ſimpliciter eſt generis particeps. vt homo non eſt quadamtenus animal, ſed omnino & ſimpliciter.

55 ¶ Pars non eſt genus totius: vt corpus non eſt genus animalis cõſtantis ex anima & corpore.Obiter obſerua corpus accipi tribus modis. I. Pro genere corporis animati , vt apud Porphyrium cap.2.partic.24. II. Pro eius parte,vt hîc. III. Pro ſpecie quantitatis,Categor.cap.6.

56 ¶ Facultas, vel id quod poteſt,non eſt genus rei vituperandæ ſeu fugiẽdæ:(vt fur non eſt,qui poteſt ſurripere.non enim facultas,ſed progreſſis facit furẽ)nec rei per ſe honorabilis & eligendę:vt iuſtus non eſt,qui poteſt iuſtè agere.quid enim,ſi,cùm poſſit,tamen nolit ſuum cuique tribuere.

58 ¶ Quod in duobus generibus continetur, non debet ad vnum referri.vt fur eſt,qui poteſt & præeligit furari.

58 ¶ Genus & differentia non debent vice verſa poni: veluti ſi quis dicat fidem eſſe vehementiam exiſtimationis. nam exiſtimatio eſt genus;vehementia eſt differentia.

59 ¶ Affectio nec eſt ſpecies, nec genus eius quod eſt affectum. vt immortalitas nec eſt ſpecies,nec genus, ſed affectio vitæ.

CAP. VI.

Alij loci.

Cap.6. 60 OMne genus ſub ſe continet multas ſpecies. 61 ¶ Tranſcendens,vt ens & vnum,nullius rei eſt genus,vel differentia.

62 ¶ Accidens non eſt genus ſubiecti in quo eſt, vt album niuis.

63 ¶ Genus omnibus ſpeciebus attribuitur ſynonymως.

64 ¶ Melior ſpecies in meliori genere:deterior in deteriori eſt collocanda.

65 ¶ Quod poteſt referri ad melius genus,non debet referri ad deterius.

66 ¶ Si genus intentionem recipit : ſpecies quoque, & quod à ſpecie denominatur, intentionem ſuſcipiunt : veluti ſi dicitur magis & minùs virtus,etiam dicitur magis vel minus iuſtitia,item magis vel minùs iuſtus.

67 ¶ Si quod magis vel æquè videtur eſſe genus,non eſt genus:certè quod minùs vel æquè videtur eſſe genus , nó eſt genus.Et ſi quod magis vel æquè videtur eſſe ſpecies,non eſt ſpecies : profectò id quoque quod minùs vel æquè videtur eſſe ſpecies,non eſt ſpecies.

68 ¶ Si quod minùs vel æquè videtur eſſe genus,eſt genus:etiã id quod magis vel æquè videtur eſſe genus , eſt genus. Et ſi quod minùs vel æquè videtur eſſe ſpecies , non eſt ſpecies , etiam id quod magis vel æquè videtur eſſe ſpecies, non eſt ſpecies.

69 ¶ Quicquid multis ſpecie differentibus attribuitur in quæſtione quid eſt,genus eſt,niſi ſit differentia.Genus autẽ à differentia diſtinguitur: quia genus de plurib. dicitur,quàm differentia. Quod intelligendum eſt de differentia diuiſiua, Porphyr.c.7.part.4.Item genus aptiùs attribuitur in quæſtione quid eſt,quàm differẽtia,immò genus attribuitur in quæſtione quid eſt: differentia verò in quæſtione quale quid eſt. Porphyr.cap.2.partic.13.

70 ¶ Si concretũ ſit concreti genus, etiã abſtractũ eſt abſtracti genus.veluti ſi muſicus eſt ſciens,muſica eſt ſcientia.

71 ¶ Quod ſemper eſt rei conſequens. ſi non reciprocetur, plerumque eius genus eſſe videtur : vt quies videtur genus tranquillitatis.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XII.

TOPICORVM QVINTVS.

Cap. I.

De proprio, & problemate proprij.

PROPRIVM vel ſimpliciter accipitur, id eſt, quod per ſe & ſemper conuenit: vel limitatè, id eſt, per comparationem cum altero, vel quod aliquando conuenit, vt dictum eſt lib. 1. partic. 11. Cap. 1.

2 ¶ Proprium, quod in comparatione ſpectatur, modò efficit duo problemata, modò quatuor. Nam ſi vnum proprium de altero ſubiecto affirmetur, de altero negetur, veluti Hominis cum equo comparati proprium eſt eſſe bipedem: duo ſunt problemata, videlicèt, *Homo eſt bipes, Equus non eſt bipes.* Si verò duo propria cum duobus ſubiectis conferantur, ita vt vtrumque proprium de altero ſubiecto affirmetur, de altero negetur: veluti, Hominis per comparationem cum equo proprium eſt, quod ille eſt bipes, hic quadrupes: quatuor ſunt problemata, videlicèt, *Homo eſt bipes, Homo non eſt quadrupes, Equus eſt quadrupes, Equus non eſt bipes.*

3 ¶ Proprium per comparationem explicare, nihil aliud eſt, quàm differentiam explicare. quæ vel in omnibus & ſemper obtinet, vt homo ſemper eſt bipes, & equus quadrupes: vel plerumque & in pluribus, vt plerumque animæ facultas rationalis imperat, & concupiſcibilis obtemperat.

4 ¶ Quod aliquando proprium eſt, quia tantùm in præſenti tempore ſpectatur, minimè omnium in diſputationem cadit. De eo verò, quod ſemper & per ſe proprium dicitur, facilè diſſeritur: quia ſiue alicui ſubiecto, ſiue aliquo tempore conuenire non probetur, problema euertetur. Item de eo, quod in comparatione ſpectatur: quia (vt iam notaui)

plura problemata conficit, ſed hoc ad problema accidentis referri debet.ſupr.lib.1.partic.16. Illius autem, quod per ſe & ſemper conuenit, loci deinceps ſunt explicandi.

Cap. II.

De quæſtione vtrùm bene an malè proprium expoſitum ſit, loci aliquot.

Cap. 2. 5 Vitioſè expoſitum eſt proprium. I. Niſi tam proprium, quàm proprij inhærentia, notius ſit quàm ſubiectum. II. Si homonymia vel ambiguitas inſit ſiue in ipſo proprio, ſiue in eius ſubiecto. III. Si tautologiam contineat, id eſt, ſi idem ſæpius repetatur. IV. Si contineat vocabulum tranſcendens: vt ens, aut vnum. V. Si plura propria ſumantur pro vno.

3.

Cap. III.

Alij loci de eadem quæſtione.

VI. Si ſubiectum, aut ſpecies ſubiecti ponatur in proprio explicando. veluti ſi quis dicat animalis proprium eſſe ſubſtantiam generantem animal: aut, ſubſtantiam, cuius ſpecies eſt homo. VII. Si proprium ex oppoſito ſumatur. veluti ſi quis dicat boni proprium eſſe, maximè contrarium malo. nam contraria ſunt æquè nota, vel ignota, quare eiuſmodi proprium non facit rem notiorem: quod quidem munus proprij eſt. VIII. Si proprium ſit poſterius, proinde ignotius ſubiecto. veluti ſi quis dicat terræ propriũ eſſe corpus, quod per vim aſcendit. IX. Si non ſemper ſit conſequens. veluti ſi quis dicat animalis proprium eſſe moueri interdum. X. Si quod nunc eſt propriũ, ſimpliciter ponatur proprium. veluti ſi quis proprium Socratis ſtatuat ſedere ad dexteram Platonis: quia ſcilicet nunc ad eius dexteram ſedet. XI. Si in proprio aliquid ponatur, quod tantùm ſenſu percipi poſſit, neque conſtet id neceſſariò ineſſe. veluti ſi quis ponat Solis proprium eſſe aſtrum lucidum, quod ſupra terram fertur: quia non conſtat, an noctu ſupra terram feratur: cùm ſenſus nos deficiat, quo ſolo hoc poteſt percipi. Sumptum eſt hoc exemplum ex contextu Ariſtotelis, cuius ætate non poterat ſenſu percipi, an noctu Sol ſupra terram fera-

feratur.ſed patrum noſtrorum ætate hoc ab iis, qui ad antipodas nauigarunt, ſenſu deprehenſum eſt. XII. Si definitio tradatur quaſi proprium. XIII. Si in proprio explicando genus omittatur.vt enim definitio conſtat ex genere & differentiis eſſentialibus,ita proprium,id eſt deſcriptio,conſtat ex genere & differentiis accidentalibus. Expoſui locos, ex quibus cognoſcitur,an rectè ſit expoſitum proprium. nam vitia ſuprà expoſita non obſtant,quominùs ſit proprium, ſed quominùs proprium rectè expoſitum ſit.Sequentes loci pertinebunt ad quęſtionem an ſit proprium,nécne.

CAP. IV.

De quæſtione an ſit proprium,nécne, loci varij.

6 PRoprium ineſt ſingulis ſub re ſubiecta contentis. Cap.3.
7 ¶ Proprium cùm re reciprocatur.

8 ¶ Subiectum non eſt proprium eius quod ſibi ineſt.

9 ¶ Res non eſt particeps proprij,ſed tantùm eorum quæ eſſentialiter inſunt: proprium autem ſumitur à differentiis accidentalibus.

10 ¶ Proprium eſt ſimul cum re,non prius,nec poſteriùs.

11 ¶ Eiſdem rebus,quatenus eædem ſunt,idem proprium conuenit.

12 ¶ Eorum quæ ſunt eiuſdem generis, propria ſunt eiuſdem generis.& eorum quæ ſunt eiuſdem ſpeciei,propria ſunt eiuſdem ſpeciei.vnde quia(exempli gratiâ)à ſe moueri, non eſt proprium hominis,à ſe ſtare,non eſt proprium equi.

13 ¶ Quod ineſt ſoli ſubiecto,ineſt etiam ſubiecto ſumpto cum accidente: & contrà quod ineſt ſubiecto ſumpto cum accidente,ineſt etiam ſoli ſubiecto. Calumnioſè autem contra proprium arguit,qui ſubiectum ſolum, & ſubiectum cum accidente,ſumit tanquàm res diuerſas:& inquit(exempli gratiâ) animal diſciplinæ capax,nō eſſe proprium hominis, quia ineſt etiam homini albo,homo autem & albus homo differunt.Verum enimuerò ſubiectum,& accidens ſumptum cum ſubiecto,ratione quidem differunt,ſed re idem ſunt

14 ¶ Quod ineſt concreto,ineſt etiam abſtracto: & contrà.Hinc calumnioſè arguitur contra proprium, ſi quis abſtractū & cōcretū pro diuerſis accipiat:veluti ſi quis dicat nō

eſſe proprium fortitudinis,mortem contemnere,quia vir fortis mortem contemnit.Ceterùm ad euitandam hanc calumniam poteſt aliter concipi proprium abſtracti,aliter concreti vt putà ſi quis dicat fortitudinis proprium eſſe,Quæ mortem contemnit: viri autem fortis proprium eſſe , Qui mortem contemnit.

Cap. V.

Alij loci de eadem quæſtione.

15 QVi proprium ponit,explicare debet,eiuſmodi proprium ponat. I. Vtrùm ſit proprium naturâ,vt hominis,eſſe bipedem:an quod ineſt,vt cuiuſdam hominis,habere quatuor digitos. II. Vtrùm ſit proprium ſpecie,vt ignis, conſtare tenuiſſimis partibus:an ſimpliciter; vt animalis , viuere.Quin immò non ſufficit dicere proprium ſpecie,niſi vna ſpecies ſit.veluti ſi ignis ſunt tres ſpecies, lux, flamma, & pruna:ſubtiliſſimis conſtare partibus, non conuenit omni igni,quia ſubtiliores ſunt partes flammæ,quàm prunæ,nec nō lucis,quàm flammæ. III. Vtrùm tribuatur primo ſubiecto, vt color ſuperficiei:an per aliud, vt color corpori ineſt ratione ſuperficiei. IV. Vtrùm tribuatur rei habenti , an rei quæ habetur,vt mortem contemnere,conuenit homini,quia habet fortitudinem:& fortitudini,quia habetur ab homine. V. Vtrùm tribuatur rei quæ communicatur,an rei quæ participat. veluti ſi quis dicat animalis proprium eſſe ſenſum:nec explicet,vtrùm hoc ſit omnis,an alicuius animalis proprium. nam vniuerſale communicatur particularibus,& particularia participant vniuerſale.

Cap.4. 16 ¶ Idem non eſt ſui ipſius proprium.vt lætitia non eſt propria gaudij:quia lætitia & gaudium non differunt.

17 ¶ Idem eſt proprium totius & partium ſimilarium. vt naturâ ad mundi centrum ferri,eſt proprium terræ, & cuiuſuis glebæ.

Cap. VI.

De eadem quæſtione loci ab oppoſitis.

18 COntrariorum propria ſunt contraria: vt albi proprium eſt diſſipare adſpectū:nigri,congregare adſpectum

adſpectum.

19 ¶ Relatorum propria ſunt relata. veluti ſi dupli proprium eſt,ita ſe habere vt duo ad vnum, dimidij proprium eſt,ita ſe habere,vt vnum ad duo.

20 ¶ Priuantiũ propria ſunt priuantia.veluti ſi auditus proprium eſt vocem percipere, ſurditatis proprium eſt vocem non percipere.

21 ¶ Eiuſdem affirmatio & negatio non ſunt eiuſdem rei propria. veluti ſi animalis proprium eſt ſentire, eiuſdem animalis proprium non eſt non ſentire.

22 ¶ Hæc duo,affirmationem eſſe proprium affirmationis,& negationem eſſe proprium negationis, aut ſunt ſimul vera, aut ſimul falſa. veluti ſi viuere eſt proprium animati, non viuere eſt proprium non animati. item ſi viuere non eſt proprium hominis, etiam non viuere non eſt proprium non hominis.

23 ¶ Idem non eſt proprium affirmationis & negationis,vt viuere non eſt proprium animati,& non animati.

24 ¶ Neque affirmatio eſt proprium negationis: neque negatio eſt proprium affirmationis.vt eſſe quadrupedem, nõ eſt proprium non-hominis: & non eſſe quadrupedem non eſt proprium hominis.

25 ¶ Si duo in eadem diuiſione ponuntur, vt prudentia & temperantia in diuiſione virtutis:etiam eorum propria ad vnam diuiſionem pertinẽt:vt eſſe virtutem rationalis facultatis, & eſſe virtutem concupiſcibilis facultatis: quorum illud prudentiæ,hoc temperantiæ proprium eſt.

Cap. VII.

Alij loci de eadem quæſtione.

26 COniugatorum propria, ſunt cõiugata. veluti ſi philoſophiæ proprium eſt amor ſapientiæ,philoſophi proprium eſt amator ſapientiæ.

27 ¶ Contrariorum propria ſunt in eodem caſu contraria.veluti ſi albi proprium eſt eſſe id quod diſſipat adſpectum:nigri proprium eſt eſſe id quod congregat aſpectum.

28 ¶ Si eodem modo affectum ſit primum erga ſecundum,&tertium erga quartum:ſi primum ſit proprium ſecundi,etiam tertium eſt proprium quarti.ſin autẽ primũ non eſt

proprium ſecundi , ſimiliter tertium non eſt proprium quarti.

29 ¶ Si quid erga duo ſimiliter ſit affectum:ſi horum alterius non eſt proprium,ne alterius quidem proprium erit.

30 ¶ Si iidem termini ſumantur : eodem modo affecta ſunt,id quod eſt,ad id quod eſt:& id quod fit, ad id quod fit: & id quod interit,ad id quod interit. veluti ſi homo eſt diſciplinæ capax:hominem gigni, eſt diſciplinæ capacem gigni.& hominem interire,eſt diſciplinę capacem interire.

31 ¶ Rei proprium conuenire debet etiam ideæ, non quatenus eſt idea ſimpliciter,ſed quatenus eſt illius rei idea. vt conſtare ex anima & corpore,proprium eſt animalis, & ideæ,quam Plato vocat αὐτοζῶον,ipſum-animal.Hoc axiomate vtemur,ſi diſſeramus cum ponentibus ideas.

Cap. VIII.

De eadem quæſtione loci à comparatione.

Cap.5. 32 INtentionem vel remiſſionem ſubiecti ſequitur intentio,vel remiſſio proprij. veluti ſi viuens alitur, & hoc eſt viuentis proprium: certè magis viuens magis alitur, maximè viuens maximè alitur, minùs viuens minùs alitur, minimè viuens minimè alitur.

33 ¶ I. Si primum videtur magis propriũ ſecundi,quàm tertium quarti , primum autem eſt proprium ſecundi , certè tertium non ẻrit proprium quarti. II. Si primum minus eſt proprium ſecundi , quàm tertium quarti , primum autem eſt proprium ſecundi, certè etiam tertium erit proprium quarti.

34 ¶ Si primum ſit magis proprium ſecundi,quàm tertij: ſiue ſit, ſiue non ſit proprium ſecundi, non eſt proprium tertij.

35 ¶ I. Si quod magis videtur proprium, non eſt proprium;ne alterum quidem proprium erit. quod minùs videtur proprium. II. Si id quod minùs videtur proprium, eſt proprium:etiam alterum quod magis proprium videtur,proprium erit.

36 ¶ Hoc ſuppoſito,æquè primum eſſe proprium ſecundi,& tertium quarti:ſi illud eſt proprium, etiam hoc eſt proprium

prium. ſi verò illud non eſt,hoc ſimiliter non eſt.

37 ¶ Si æquè primum & ſecundum ſunt propria tertij: quod de altero dicendum eſt, de altero quoque dici debet: quia vel vtrumque,vel neutrum eſt proprium.

38 ¶ Si primùm æquè ſit proprium ſecundi & tertij: ſiue ſit ſiue non ſit proprium ſecundi, certè non eſt proprium tertij.

Cap. IX.

De eadem quæſtione loci à poteſtate,& hyperbole.

39 Proprium quod in poteſtate cernitur, vt aptum eſſe ad ridendum,eſſe diſciplinæ capax,eſſe reſpirabile, non debet aptari non enti, niſi ei conueniat. vtputà materia prima actu non eſt.vt explicatur primo libro phyſico:rectè tamen ei tribuitur hæc proprietas,poſſe formam recipere.Sed aëris proprium ſtatui non poteſt eſſe reſpirabile:quia cùm ſola animalia reſpirent,ſi ponatur eſſe aër ſine animalibus, (etenim aër eſt naturâ prior,& initio mundi erat ſine animalibus) animalia reſpirabunt, etiamſi non ſint: alioquin aër non eſſet reſpirabilis.

40 ¶ Proprium non debet eſſe gradus ſuperlatiui. vt ignis proprium non eſt corpus leuiſſimum: quia opus eſt, ſi verum proprium ſit, vt ſubiecto ſublato tollatur proprium; ſublato autem igne, erit nihilominùs aliquod corpus leuiſſimum, vt aër.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ
LIBER XIII.
TOPICORVM SEXTVS

Cap. I.

De locis generalibus.

Cap. 1. VT bona definitio ſit, quinque conditiones requiruntur. I. Vt verè dicatur de definito. II. Vt conſtet ex proprio genere & differentiis. III. Vt ſit propria rei definitæ. IV. Vt explicet quid ſit. V Vt ſit rectè concepta. Prima conditio examinatur ex locis accidentis. ſecunda ex locis generis. tertia ex locis proprij. quartę, & quintę locos in præſentia trademus. Quia verò ſæpius in ſextam, quàm in quintam conditionem peccatur, à ſexta incipiemus.

2 ¶ Duo ſunt vitia, quæ faciunt vt definitio nòn ſit rectè concepta: nempe obſcuritas, & ſuperfluitas.

Cap. II.

De obſcuritate definitionis.

Cap. 2. 3 OBſcura definitio eſt, I. Si ambiguitas aliqua ſit vel in ipſa definitione, vel in definito. Idcirco traditur regula, Homonyma eſſe prius diſtinguenda, quàm definienda. II. Si ſit metaphorica. veluti Temperantia eſt animæ concentus. III. Si contineat vocabula inuſitata, vt aranea eſt animal putrimordax. IV. Si contineat vocabula impropria: veluti Lex eſt imago eorum quæ iuſta ſunt. V. Si ex data definitione non appareat rei oppoſitæ definitio. VI. Si ſuppreſſo nomine rei definitæ ſciri non poſſit cuius rei definitio ſit.

Cap.

CAP. III.

De ſuperfluitate.

4 IN definitione poni non debet, &, ſi in ea ponatur, ſuperfluit, I. Verbum tranſcendens: vt ens, aut vnum. II. Id,quo detracto reliqua oratio eſt definiti propria,& eius eſſentiam declarat. III. Quod non conuenit omnibus ſuo definito contentis. IV. Idem vocabulum ſæpius repetitum, ſiue expreſſè,vt homo eſt animal rationale & ratione præditum: ſiue tacitè,vt homo eſt animal viuens rationale. nam omne animal eſt viuens: & qui dicit animal, eo ipſo quòd dicit animal, dicit etiam viuens. quare ſuperuacuo addit vocabulum *viuens*.

CAP. IV.

Si definitum non ſit ex prioribus & notioribus.

5 DEinceps explicandi ſunt loci, quibus quæritur, an ſit definitum,nécne. Cap. 3.

6 ¶ Vera & perfecta definitio ſumitur ex prioribus & notioribus ſimpliciter,id eſt,naturâ. Sed ſæpe cogimur definire per ea,quæ non ſimpliciter, ſed nobis notiora ſunt. Ac tales definitiones plures eiuſdem rei eſſe poſſunt.vera autem cuiuſque rei definitio vna eſt.

7 ¶ Inde colliguntur hæc corollaria, I. Quod eſt in quiete, non eſt definiendum per id quod eſt in motu. II. Definitum non debet definiri per indefinitum. III. Oppoſitum non eſt definiendum per oppoſitum. Excipiuntur relata,qua ex ſe inuicem definiuntur.vt etiam Porphyrius monuit cap.2.partic.20. IV. Definitum in definitione nec expreſſè nec tacitè poni debet. verbi gratiâ, hæc definitio praua eſt,Sol eſt aſtrum die perſpicuum: quia dies definitur Solis latio ſupra terram. quapropter qui diem dicit, vi ipſa Solem dicit. V. Quæ in eadem diuiſione ponuntur,eorum alterum per alterum non definitur. VI. Superius non eſt definiendum per inferiora.

CAP. V.

Loci à genere,& ab iis ad quæ definitum refertur.

8 IN definitione non eſt omittendum genus.

9 ¶ Res definita debet aptari ad omnia, ad

ſpectum non habet, quando ſecundum naturam debet adſpectu eſſe præditum.

17 ¶ Quòd ſi negatio non eſt differentia: certè nec id, cui in diuiſione negatio opponitur, differentia eſſe poteſt: veluti ſi non habere rationem, nõ eſt differentia animalis: certè rationem habere ſimiliter non eſt animalis differentia: quia iam partic. 14. dixi oppoſitas differentias ſimul ad genus pertinere, vel non pertinere.

18 ¶ Species, vt homo, aut genus, vt animal, nullius differentia eſſe poteſt.

19 ¶ Omnis differentia ſignificat quale quid ſit.

20 ¶ Vera differentia non ineſt per accidens.

21 ¶ Neque differentia, neque ſpecies, neque quod ſpeciei ſubiicitur, generi attribui debet: quia inferiora de ſuperioribus non dicuntur, vt & Porphyr. docuit cap. 2. partic. 37.

22 ¶ Neque genus, neque ſpecies, neque indiuiduum attribuitur differentiæ.

23 ¶ Differentia eſt genere poſterior, ſpecie prior.

24 ¶ Eadem differentia duorum generum eſſe non poteſt: niſi aut alterum genus ſub altero, aut vtrumque ſub eodem genere contineatur. Coniunge Categor. cap. 3. partic. 2. & 3.

25 ¶ Eſſe in aliquo, non eſt differentiæ ſubſtantiæ.

26 ¶ Affectio ſeu perturbatio, vt ira, dolor, voluptas, non eſt differentia eius, cuius affectio ſeu perturbatio eſt.

27 ¶ Res ſecundum differentiam non variatur: quia differentia ſemper æquè attribuitur.

28 ¶ Relatorum differentiæ ad aliquid referuntur.

29 ¶ Relatũ per id definiri debet, ad quod naturâ refertur.

30 ¶ Res per id definiri debet, ad quod primò pertinet. vt prudentia definiri debet virtus rationalis facultatis, potiùs quàm animæ, vel hominis.

31 ¶ Id, cuius affectio ſeu perturbatio definitur, naturâ aptum eſt ad eam perturbationem ſiue affectionẽ ſuſcipiendũ.

32 ¶ Differentia non coarctatur ad certum tempus.

CAP. VII.

Loci à comparatione, à diſiunctione, & à definitione.

33 EX duabus orationibus ea non eſt ſumenda pro definitione, quæ minùs rei eſſentiam declarat.

42 ¶ Ad quod refertur genus, ad eius ſpeciem refertur ſpecies.vt ſi ſcientia refertur ad ſcibile, quædam ſcientia refertur ad quoddam ſcibile.

43 ¶ Oppoſitorum definitiones oppoſitæ ſunt.

44 ¶ Priuatio definitur per habitum, non habitus per priuationem.

45 ¶ Contrariorum alterum per alterum non definitur. Coniunge partic.7.memb.3.

46 ¶ In definitione priuationis explicandum eſt cuius ſit priuatio.

47 ¶ Quod non dicitur ſecundum priuationem,non debet definiri per priuationem.vt ignorantia prauę diſpoſitionis malè definitur priuatio ſcientiæ.

Cap. X.

Loci à caſibus,ab idea,& homonymia.

48 Similibus definiti caſibus, ſimiles definitionis caſus conueniunt: veluti ſi vtile eſt aptum ad lucrum faciendum;vtiliter,eſt aptè ad lucrum faciendum.

49 ¶ Definitio conuenire debet ideæ ſecundum eos,qui ponunt ideas.

50 ¶ Homonyma non recipiunt communem definitionem. Cap. 5.

51 ¶ Obiter de homonymis vel ſynonymis hæc notentur in differendo obſeruanda. I. Si homonymia lateat, opponens accipiat pro ſynonymis, reſpondens autem diſtinguat. II. Initio diſputationis opponens interroget reſpondentem,vtrùm ſit homonymum,an ſynonymum. III. Si reſpondens ſoluat argumentum, inquiens definitum eſſe homonymum:opponens allata definitione probet, ſi poteſt,eſſe ſynonymum. IV. Si reſpondens dicat, cui definitio non conuenit,ei nec nomen conuenire,& hac ratione definitionem defendat,quaſi omnibus ſub nomine definito comprehenſis conuenientem:opponens obiiciet receptam vocabuli ſignificationem, à qua non eſt recedendum,niſi neceſſitate cogente ob defectum vocabulorum, vt 4.Meteor. cap. 2. quia plures ſunt res quàm vocabula.Elench.cap.1. partic.5.

Cap. XI.

De verborum coniunctorum definitione.

52 SI compoſitum quidpiam definiatur, opus eſt vt detracta partis definitione reſiduum ſit alterius partis definitio. Exempli causâ, ſi animal rationale mortale, ſanitatis conſeruandæ & reparádæ peritum, proponatur tamquàm definitio hominis medici: certè ſi animal rationale mortale, eſt definitio hominis, oportet, ſanitatis conſeruandæ & reparandæ peritum, eſſe definitionem medici.

53 ¶ Vitioſa definitio eſt, quæ totidem membris conſtat: veluti, Capitis minutio eſt ſtatus permutatio. D. de capi. minu. l. 1. Magis vitioſa eſt, ſi pro vocabulis notioribus ſumantur obſcuriora: veluti ſi quis ita definiat, Status permutatio eſt capitis deminutio. Maximè vitioſa eſt, ſi non ſolùm mutentur vocabula, ſed etiam eorum ſignificationes: veluti, Capitis deminutio eſt dignitatis mutatio. nam caput hic non ſignificat dignitatem, ſed ſtatum: atque inter hæc Iureconſulti diſtinguunt.

Cap. XII.

Varij loci.

54 QVod eſt, malè definitur per id quod non eſt. veluti ſi quis alborem definiat colorem cum igne permixtum. nam eiuſcemodi permixtio fieri nequit.

55 ¶ Definiens rem, quæ ad alium refertur, ſpecialiter id explicare debet, ad quod refertur.

56 ¶ Aliter definitur res nuda & ſimpliciter conſiderata: aliter, ſi ſpectetur vt perfecta, & numeris omnibus abſoluta. Vtputà orator eſt, qui perſuadendi causâ loquitur. bonus autem orator eſt, qui loquitur aptè ad perſuadendum.

57 ¶ Quod eſt per ſe eligendum, non debet definitione explicari quaſi expetendum propter aliud. vt iuſtitia malè definitur legum ſeruatrix. & ſapientia malè definitur effectiua ſanitatis.

Cap. XIII.

Cap. 6. *Si quis in definitione dixerit eſſe hæc, vel ex his, vel hoc cum illo.*

58 DEfinitio à partibus ſumi poteſt quatuor modis. aut enim res dicitur eſſe hæc, aut quod ex his conſtat,

aut

aut hoc cum illo,aut horum compoſitio.

59 ¶ Definitio,qua res dicitur eſſe hæc,(puta domum eſſe ligna,lapides,& cæmenta) praua eſt: quia totum & partes differunt.Nihil enim vetat adeſſe ligna,lapides,& cæmenta, nondum tamen eſſe domum.

60 ¶ Definitio, qua res dicitur eſſe id quod ex his conſtat,(vt domus eſſe id quod conſtat ex lapidibus,lignis,&cæmentis) praua eſt,ſequentibus caſibus. I. Si ex his non fiat vnum.Veluti ſi quis animam definiat id quod conſtat ex numero & motu. nam numerus & motus non coniunguntur. II. Si totum ſit in vno primo ſubiecto, partes autem ſint in diuerſis ſubiectis. vt prudentia eſt in vno primo ſubiecto, id eſt,in intellectu practico: ſcientia verò eſt in intellectu contemplatiuo,appetitus in facultate concupiſcibili. ergo prudentia malè definitur id quod conſtat ex ſcientia & appetitu. III. Si in alio primo ſubiecto ſit totum,in alio partes. vt quia prudentia eſt in intellectu practico, appetitus autem & temperantia in facultate animæ cōcupiſcibili,malè prudentia definietur id quod conſtat ex appetitu & temperantia. IV. Si ſimul cum toto partes intereant.nam opus eſt vt toto ſublato partes manere poſſint, veluti dirutis ædibus manent ligna. V. Si totum ſit bonum, aut malum, partes autem nec bonæ nec malæ. VI. Si totum nec ſit bonum nec malū,partes autem ſint bonæ, vel malæ. VII. Si altera pars ſit magis bona quàm altera mala, totū autē non ſit magis bonū quàm malū. VIII. Si altera pars ſit melior, altera deterior,totū autem non ſit meliori parte deterius,& deteriori melius.Quod quinto,ſexto,ſeptimo,& octauo loco dixi, tū demū neceſſariū eſt,cùm partes ſunt per ſe bonæ,vel per ſe malæ. Alioqui nihil vetat ex partib.bonis cōſtare totū malum, vel ex malis bonū:vt in pharmacorū mixtione perſpicuè apparet. IX. Si totū ſit alteri parti ſynonymū.nam totū differt à partibus, vt ſyllaba à literis, & domus à tignis. X. Si modum compoſitionis definitio non explicet. neque enim quocunque modo tigna,lapides,cæmenta componantur,domus dici poteſt.

61 ¶ Definitio, qua dicitur res eſſe hoc cum illo, praua eſt, I. Si totum ſit alteri parti ſynonymum. II. Si definitio modum cōpoſitionis non declaret. III. Si hoc cum illo non ſit in eodem ſubiecto, neque in eodem loco, neque eodem

tempore:quia ferè tot modis dicitur eſſe hoc cum illo. Quędam tamen aliter dicuntur, vt cùm ira dicitur dolor, cum exiſtimatione contemptus: his verbis nihil aliud ſignificatur quàm dolorem naſci ex contemptus exiſtimatione.

IV. Si vtrumque ſit quidem eodem tempore, ſed ad diuerſa referatur. Exempli gratiâ, fortitudo malè definitur audacia cum recta cognitione: quia fieri poteſt, vt in aliquo ſit audacia ad ſpoliandos viatores, & recta cogitatio de rebus ſalubribus.

Cap. XIV.

Reliqui loci.

62 DEfinitio, qua res dicitur eſſe horum compoſitio, praua eſt: cùm quia non explicat compoſitionis modum: tum etiam quia aliud eſt res compoſita, aliud compoſitio.

63 ¶ Subiectum, quod eſt duorum contrariorum capax, vt anima ſcientiæ & ignorantiæ, non debet per vnum eorum definiri.

64 ¶ Euerſa parte definitionis euertitur tota definitio.

65 ¶ Obſcura definitio declaretur, quò faciliùs contra eam argui poſſit.

66 ¶ Allata meliori definitione, tollitur deterior. Itaque ad prauam definitionem impugnandam maximè aptus eſt, qui veram rei definitionem nouit.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XIV.

TOPICORVM SEPTIMVS.

Cap. I.

Loci pertinentes ad quæſtionem vtrùm ſit idem, an diuerſum.

QVæ ſunt eadem, I. Habent eadem coniugata. II. Habent eadem oppoſita. III. Eundem habent ortum, eundem interitum, idem efficiens, idem interimens. IV. Si quid vni eorum in ſuperlatiuo gradu attribuatur, etiam alteri attribuitur. Hoc argumento non probatur eſſe eadem, niſi vnum numero. veluti ſi Græcorum fortiſſimus eſt Achilles, & æquè eſt fortiſſimus filius Pelei: neceſſe eſt eundem eſſe Achillem & Pelei filium. At ſi Græcorum fortiſſimi ſunt Peloponneſij, & Lacedæmonij, non propterea Lacedæmonij & Peloponneſij ſunt idem; ſed ſub his illi continentur: nam inter Peloponneſios numerantur etiam Lacedæmonij. V. Ab eadem re æquè differunt. VI. Recipiunt eadem accidentia, vel accidunt eidem ſubiecto. VII. Continentur in eadem categoria, & eodem genere, eaſdémque habent differentias. VIII. Si alterum intenditur, vel remittitur: neceſſe eſt, vt etiam alterum intendatur, vel remittatur. IX. Eidem adiecta, faciunt idem totum. X. Si idem ab vtriſque detrahatur: id quod reliquum eſt, idem manet. Quare duplum dimidij & multiplum dimidij non ſunt idem: quia detracto ab vtraque oratione verbo *dimidij*, quod reliquum eſt, non eſt idem: ſed in altera oratione manet *duplum*, in altera *multiplum*. XI. Aliquo poſito, æquè ponuntur, vel tolluntur. Nam ſi alterum tollatur, alterum minimè, non poſſunt eadem dici: vt inane, & aëris plenum. etenim exeunte aëre, eſt inane, ſed Cap. I.

non eſt amplius aëre plenum. XII. Habent eadem attributa, & eadem ſubiecta. XIII. A ſe inuicem non ſeparantur.

2 ¶ Quæ ſunt eadem genere, vel ſpecie, poſſunt numero differre.

CAP. II.

An locis proximè expoſitis vti liceat, cùm de definitione diſſeritur.

Cap. 2.

3 Quia neceſſe eſt vt definitum & definitio idem ſignificent: probans non eſſe idem, definitionem euertit. Non tamen probans eſſe idem, definitionem ſufficienter confirmat: quoniam aliæ quoque conditiones in definitionibus requiruntur.

CAP. III.

De definitione confirmanda.

4 ETſi definitio rarò probatur, tamen ſyllogiſmo probari poteſt ex locis ſequentibus.

5 ¶ Oppoſitorum oppoſitæ ſunt definitiones. Quod tamen ad differentias attinet: notandum eſt, contraria, quę ſũt in eodem genere, eaſdem habere differentias: vt iuſtitia eſt virtus animæ, iniuſtitia vitium animæ. Ergo contrariorum differentiæ, vel contrariæ vel eædem ſunt.

6 ¶ Coniugatorum definitiones ſunt coniugatæ.

7 ¶ Si illius oratio eſt illius rei definitio, etiam hæc oratio eſt huius rei definitio. Hæc conſequentia valet, I. Si ita ſit affecta illa oratio ad illam rem, vt hæc oratio ad hác rem. II. Si æquè illa oratio ſit illius rei definitio, atque hæc oratio huius rei. III. Si hæc oratio magis ſit huius rei definitio, quàm illa oratio illius rei.

8 ¶ Nec vna duarum rerum definitio, nec duæ vnius rei definitiones eſſe poſſunt.

CAP. IV.

De locis præcipuis, & maximè vtilibus.

9 LOci maximè vniuerſales ſunt maximè vtiles, ideóque maximè notandi: vt ab eo quod æquè, vel magis, vel minùs eſt, à caſibus & coniugatis, à ſpeciebus, &c.

CAP.

CAP. V.

De facultate vel difficultate argumentandi.

10 DEfinitio facilius refellitur, quàm confirmatur. I. Quia difficilius eſt ſumere propoſitiones, ex quibus confirmatur: nempe definitionem conſtare ex genere & differentiis, & continere omnia ac ſola attributa in quæſtione quid eſt. II. Quia vnam partem euertere ſufficit, omnes autem probari debent. III. Quia ad definitionem confirmandam probare oportet eam conuenire omni, & ſoli: ad euertendam ſufficit, ſi probetur conuenire nulli, vel non omni, vel non ſoli. Cap.3.

11 ¶ Proprium faciliùs euertitur, quàm probatur. I. Quia cùm plerumque multis verbis conſtet, omnia ſunt cōfirmanda, vnum reprehendere ſufficit. II. Quia confirmatur, ſi probetur ineſſe omni & ſoli: refellitur autem, ſiue probetur nulli ineſſe, ſiue non omni, ſiue non ſoli.

12 ¶ Genus faciliùs euertitur, quàm adſtruitur. I. Quia in confirmatione probandum eſt omni ineſſe: in refutatione probari poteſt vel nulli ineſſe, vel non omni. II. Quia in confirmatione non ſolùm probandum eſt ineſſe, ſed etiam ineſſe vt genus: in refutatione vel probatur non ineſſe, vel, aliter ineſſe quàm genus.

13 ¶ Accidens vniuerſale faciliùs euertitur, quàm confirmatur: quia in confirmatione probandum eſt omnibus ineſſe: in refutatione ſufficit probare vni non ineſſe.

14 ¶ Accidens particulare faciliùs confirmatur, quàm refellitur: quia confirmanti ſufficit, ſi probet alicui ineſſe: refellens autem probare debet nulli ineſſe.

15 ¶ Definitio faciliùs euertitur ac faciliùs confirmatur, quàm alia problemata: quia plures conditiones requirit. Etenim accidens debet ineſſe ſubiecto: genus debet ineſſe omni: proprium omni & ſoli: definitio omni, & ſoli, in quæſtione, quid eſt. Quare loci aliorum problematum ad definitionem impugnandam, non ad eam tuendam transferri poſſunt.

16 ¶ Proprium faciliùs refutatur, ac difficiliùs probatur, quàm genus vel accidens.

17 ¶ Accidens facillimè omnium confirmatur, difficillimè refellitur.

obſeruanda. I. Incipiat à propoſitionibus, quæ ſunt maximè vniuerſales, & à concluſione remotiſſima. II. Omittat propoſitiones ſyllogiſmi principalis, quæ ſunt concluſiones proſyllogiſmorum, & ex proſyllogiſmorum propoſitionibus immediatè colligat concluſionem principalem. III. Omnino det operam, ne appareat, quomodo concluſio ex propoſitionibus efficiatur. IV. Diuerſorum proſyllogiſmorum (vt probantis maiorem, & probantis minorem propoſitionem ſyllogiſmi principalis) propoſitiones commiſceat. V. Ne ſumat definitionem, quâ vti vult, ſed definitionem coniugati. VI. Fingat ſe propoſitiones ſumere, non propter id de quo diſſeritur, ſed propter aliud quidpiam. VII. Ita interroget, ne appareat vtra contradictionis parte vti velit. VIII. Interroget per collationem cum re ſimili: veluti, *Eſtne, vt contrariorum idem eſt ſenſus, ita etiam eadem ſcientia?* IX. Sibi ipſi obiiciat, quò meliori fide agere videatur, & minùs ſuſpectus ſit. X. Dicat ſe id proponere, quod paſſim ab omnibus dici ſolet. ſic enim efficiet, vt reſpondens minùs negare id audeat. XI. Quò magis cupit aliquid ſibi concedi, eò minùs de eo ſe ſollicitum oſtendat. XII. Proponat id, quod per ſe aduerſus theſim facit, non quaſi eo vſurus immediatè contra theſim, ſed quaſi aliud probaturus, quo aduerſus theſim vti velit. XIII. Omiſſo eo, quo vti vult, id proponat, ex quo illud efficitur. nam hoc conceſſo, facilè illud probabit. XIV. Propoſitiones, quæ maximè aduerſus theſim valent, contra proteruos ab initio, contra alios vltimo loco proponat. Nam proterui ab initio facilè omnia præ arrogantia concedunt: mox cùm ſe implicari vident, omnia negant, ceteri reſpondentes magis ab initio ſibi cauent, & ſunt ad negandum propenſi: quia pleroſque reſpondentes initiò meliora argumenta afferre animaduertunt. XV. Orationem producat, & ea, quæ ad rem non faciunt, interiiciat.

7 ¶ Ad ornatum valet. I. Inductio, veluti, *Salubris & inſalubris, virtutis & vitij, albi & nigri, denique omnium contrariorum eſt eadem ſcientia.* II. Diuiſio: veluti, *Oppoſitorum alia ſunt contraria, alia priuantia, alia relata, alia contradicentia.* Cap. 2.

8 ¶ Perſpicuam orationem efficiunt exempla, ſi propria & elegantia ſint, vt Homerica, ſimilitudinúmque collationes.

Cap. II.

De argumentatione.

9 Diſſerens cum dialecticis, vtatur potiſſimùm ſyllogiſmis, cum imperitis autem vtatur potiùs inductionibus.

10 ¶ Si vniuerſale nomine vacet:is,qui inductionem facit,ei nomen imponat.

11 ¶ Propoſitio, ſi nullo modo probata ſit, ſimpliciter negari poteſt. ſin autem quorumdam inductione ſit confirmata. non licet eam negare, niſi allata obiectione. Atque hæc obiectio non eſt afferenda in eo ipſo, de quo diſſeritur, niſi hoc ſolum ſit eiuſmodi. verbi gratiâ,ſit theſis, *Anima rationalis eſt immortalis*.Si opponens ſumat hanc propoſitionem, *Omnis anima eſt mortalis*, neganda eſt. At ſi illam probarit inductione imperfecta,quia anima equi,bouis,leonis, canis,aſini,eſt mortalis:tunc obiicienda eſt aliqua anima immortalis.& ſi alia non eſt talis, obiicienda eſt ipſa anima rationalis,de qua diſſeritur:ac dicendum, alias quidem eſſe mortales, ſed nihilominùs hanc, quæ ceteris eſt præſtantior, eſſe immortalem.

12 ¶ Vt vitetur obiectio, quæ in aliquo particulari fieri poteſt,diſtinctione adhibitâ excludendum eſt illud particulare. Hoc præcepto vtendum eſt tam in homonymis, quàm in ſynonymis: & ſiue obiectio allata ſit ab aduerſario, ſiue nōdum ſit allata. Verbi gratiâ, ſi proponatur omnem canem latrare,obiici poterunt canis cæleſtis,& canis piſcis, qui non latrant:coanguſtetur igitur propoſitio,& dicatur omnem canem terreſtrem ſeu quadrupedem latrare: ſic obiectio vitabitur. Rurſus ne dicatur, *omne animal reſpirat*, ſed, *omne animal pulmone præditum reſpirat.*

13 ¶ Arguendum eſt potiùs categoricè,quàm per deductionem ad impoſſibile.

14 ¶ Interrogentur propoſitiones,contra quas,obiectio, vel nulla eſt,vel ſaltem non apparet,ſed latet.

15 ¶ Concluſio ne interrogetur, ſed ex propoſitionibus inferatur.

16 ¶ Ne interrogetur quid ſit, vel quot modis dicatur, ſed an ſit hoc,an tot modis dicatur. Quòd ſi reſpondens negarit

garit eſſe hoc,vel tot modis dici; tunc licebit cum ita interrogare.quid igitur eſt:vel,quot modis dicitur?

17 ¶ In vno argumento non eſt diu immorandum.

Cap. III.

De facilitate aut difficultate argumentandi,vel defendendi.

18 FAcilè defenduntur, ac difficulter impugnantur, I. Prima principia: quia non poſſunt probari per alia, ſed tantùm definitione innoteſcunt. II. Vltimæ concluſiones: quia multa ſunt probanda, priuſquàm ad eas perueniatur. III. Quæ ſunt proxima primis principiis,quia paucæ rationes de his ſuppetunt. IV. Definitio, cuius nomina vtrum vno an multis modis dicantur, & vtrùm ſimpliciter, an metaphoricè accipiantur non conſtat.

19 ¶ Cauſæ,illius difficultatis,id eſt, propter quas problema difficulter impugnatur, hæ ſunt I. Quia res definitione eget. II. Homonymia. III. Metaphora. IV. Quia problema eſt propinquum primis principiis. V. Quia cauſa difficultatis obſcura eſt.

20 ¶ Definitione maximè egent principia,& quæ principiis proxima ſunt.

21 ¶ Propoſitio probabilis à differentibus concedenda eſt, non habita ratione an ſit notior concluſione: hoc enim tantùm in ſcientiis ſpectatur.

TRACTATVS II.

De reſponſione.

Cap. IV.

De officio interrogantis,& reſpondentis.

22 OFficium opponentis eſt, ex iis, quæ theſim conſequuntur,reſpondentem cogere vt theſi abſurdiora concedat. Officium reſpondentis eſt, ab eiuſmodi abſurditatibus ſibi cauere. Cap. 3.

CAP. V.

Si theſis ſit abſolutè vel cum adiunctione probabilis,aut improbabilis, aut neutra.

23 CVm docendi ac diſcendi causâ diſſeritur,ex propoſitiones ſunt concedendæ,quæ veræ videntur.Cùm autem,certandi ac vincendi gratiâ diſputatur: opponens det operam,vt aliquid efficiat:reſpondens verò ei reſiſtat, quantum poteſt, ac det operam,ne ille efficere aliquid poſſit. At cùm exercitij causâ diſputatio inſtituitur, obſeruanda ſunt ſequentia præcepta.

24 ¶ In primis videndum eſt, qualis ſit theſis poſita, aut enim eſt probabilis,aut improbabilis, aut neutra:probabilis, (inquam)vel improbabilis,aut ſimpliciter,aut certæ perſonę, vt ipſi reſpondenti,vel alij cuipiam.

25 ¶ Aduerſus theſim probabilem probanda eſt concluſio improbabilis:aduerſus improbabilem probabilis: aduerſus neutram neutra.

26 ¶ Cùm theſis eſt ſimpliciter improbabilis:reſpõdens concedat ea tantùm,quæ ſunt cõcluſione probabiliora.Cùm autem theſis eſt probabilis ſimpliciter, vel neutra: concedat propoſitiones probabiles,& eas,quæ minùs ſunt improbabiles,quàm concluſio.

27 ¶ Reſpondens defendit theſim vel ſimpliciter, vel ſibi,vel alteri probabilem aut improbabilem. Primo caſu ad id,quod eſt ſimpliciter:ſecundo ad id,quod ſibi videtur:tertio ad alterius ſententiam reſpiciat.

CAP. VI.

Si propoſitio pertineat ad rem propoſitam,vel non.

28 QVia propoſitio vel eſt probabilis, vel improbabilis,vel neutra:& vel aduerſus theſim facit, vel non facit: hinc notanda ſunt ſequentia præcepta. I. Propoſitio probabilis,quæ aduerſus theſim non facit, concedatur, tamquàm probabilis. II. Improbabilis, quæ theſi non nocet, concedatur, non quaſi vera aut probabilis, ſed quaſi ad rem non faciens. III. Si probabilis aduerſus theſim faciat, reſpondeatur,ſic quidem videri, ſed hoc eſſe coniunctum cum theſi, adeo vt qui eam proponit, quæſitum petere videatur.

IV.

IV. Improbabilis,quæ theſi officit,negetur. V. Neutra,quę ad rem non facit, concedatur ſimpliciter. VI. Cùm propoſitio neutra aduerſus theſim facit: reſpondeatur eam non poſſe concedi,quin euertatur theſis.

CAP. VII.

Si propoſitio ſit obſcura, vel multiplex,vel perſpicua & ſimplex.

29 CVm propoſitio vel ſit ſimplex vel multiplex, & vel perſpicua,vel obſcura: I. Si obſcura ſit,reſpondens ſine cunctatione dicat ſe eam non intelligere. II. Si ſit multiplex,& in omnibus vera,ſimpliciter concedatur. III. Si ſit multiplex,& in omnibus falſa,ſimpliciter negetur. IV. Si ſit multiplex, & partim vera, partim falſa: ab initio diſtinguatur,& explicetur, in quo ſit vera,in quo falſa. quòd ſi ab initio hoc prætermiſſum ſit,ſaltem poſt argumentationem perfectam reſpondens dicat ſe, dum propoſitionem conceſſit, ad ea tantùm reſpexiſſe,in quibus vera eſt. V. Si ſit dilucida & ſimplex,ſimpliciter concedatur,vel negetur.

CAP. VIII.

De reſponſione ad inductionem.

30 CVm opponens inductione vtitur: reſpondens concedat particularia,ſi ſint probabilia, ſed tollat vniuerſale per obiectionem aliquam. Quòd ſi abſque obiectione id neget, tergiuerſari dicetur, & multò magis ſi ne quidem contrariam argumentationem habeat, qua id falſum eſſe oſtendat.

CAP. IX.

De præexercitatione,& de theſi improbabili non defendenda.

31 REſpondens ne accedat ad diſputationem imparatus, ſed priùs ſibi ipſe argumenta opponat, & ea ſoluat.

32 ¶ Theſis perſpicuè falſa, quæve pietati, aut bonis moribus repugnat, ne diſputandi quidem gratiâ deffendi debet.

Cap. X.

De ſolutione argumentorum, & de concluſione impedienda.

33 CVm argumentatio falſum concludit, neganda eſt ea propoſitio, quæ eſt prima cauſa falſitatis. Vt huius ſyllogiſmi, *Quicumque ſedet, ſcribit, Socrates ſedet, ergo Socrates ſcribit,* licent vtraque propoſitio ſit falſa, tamen neganda eſt potiùs maior, quam minor.

Cap. 4. 34 ¶ Concluſio impeditur quatuor modis. I. Si tollatur ea propoſitio, quæ eſt cauſa falſæ concluſionis, vt modò dixi. II. Si afferatur obiectio aduerſus opponentem, per quam impediatur vlteriùs progredi licet argumentatio non ſit ſoluta. III. Si obiiciatur aduerſus propoſitiones, quia malè conceptæ ſint. IV. Si afferatur obiectio, cuius exâmen requirat multum temporis, adeo vt præſẽti diſputatione abſolui nequeat. Primo modo argumentatio ſoluitur: reliquis modis tantùm impeditur, non ſoluitur.

Cap. XI.

De reprehendenda ratione, vel eo qui ratiocinatur.

35 ARgumentatio interdum vitioſa eſt non opponentis cauſâ, ſed reſpondentis: quia reſpondens tergiuerſatur, & calumnioſè agit, vel quia propoſitiones falſæ ſunt ei probabiles (nam falſis propoſitionibus tum demum vtendum eſt, cùm probabiles ſunt) vel quia neganda concedit, concedenda negat: non debet autem opponenti imputari culpa reſpondentis.

36 ¶ Vitioſa argumentatio eſt. I. Si nihil concludat, & conſtet ex omnibus aut pleriſque propoſitionibus falſis, vel improbabilibus. II. Si ex talibus propoſitionibus concludat quidem, non tamen contra theſim concludat. III. Si concluderet additis quibuſdam, quæ ſunt expreſſis propoſitionibus deteriora, & minùs probabilia quàm concluſio. IV. Si quibuſdam detractis nihilominùs concludat. V. Si propoſitiones minùs ſint probabiles, aut difficiliùs probari poſſint, quàm concluſio.

37 ¶ Tole-

37 ¶ Toleranda eſt argumentatio qualis qualis, ſi melior afferri nequeat.

38 ¶ Argumentatio concludens, interdum deterior eſt non concludente: nimirum ſi illa ex futilibus concludat, hæc quibuſdam aſſumptis, quæ probabilia ſunt, nec ſunt potiſſima pars argumentationis, perfici poſſit.

39 ¶ Ex falſis verum concludi poteſt, non ex veris falſum vide 2. Prior. cap. 2. 3. & 4.

40 ¶ Eadem demonſtratio eſſe non poteſt duarum concluſionum heterogenearum.

41 ¶ De probabilitate concluſionis notentur tres regulæ. I. Cùm vtraque propoſitio eſt probabilis, ſed altera magis, altera minùs: concluſio poteſt eſſe vtrâque propoſitione probabilior. II. Cùm æqualiter altera propoſitio eſt probabilis, altera neutra vel improbabilis: concluſio vtrique propoſitioni ſimilis eſt. III. Cùm inæqualiter altera propoſitio eſt probabilis, altera neutra vel improbabilis: concluſio eſt ſimilis ei propoſitioni, quę eſt magis talis.

42 ¶ Non debet probari per plura quod poteſt probari per pauciora contenta in eadem argumentatione.

CAP. XII.

De perſpicua, & de falſa ratione.

43 Argumentatio perſpicua eſt tribus modis. I. Si ex propoſitionibus per ſe manifeſtis concludat. II. Si ex probatis concludat. III. Si quid deſit, quod facilè ſuppleri poſſit, & valde probabile ſit.

44 Falſa ratio dicitur quatuor modis, I. Si videatur concludere, ſed non concludat. II. Si concluſio non aduerſetur theſi. *III.* Si talis non ſit, qualis videtur & eſſe debet: videlicet ſi falsò videatur eſſe medica, aut dialectica. IV. Si ex falſis quiduis concludat. Cap. 5.

45 ¶ Reſpondens primò conſideret, an argumentatio concludat. Secundò vtrùm, verum an falſum concludat. Tertiò ex quibus concludat. Hîc potius requirimus, vt propoſitiones ſint probabiles, quàm vt ſint verę.

CAP. XIII.

De petitione quæſiti, vel contrariorum.

44 QVæſitum petitur quinque modis. I. Si id ipſum petatur, quod eſt probandum, ſiue retentis iiſdem vocabulis, ſiue ſumptis alijs idem ſignificantibus. veluti ſi probandum ſit omne veſtimentum eſſe album, & ſumatur omne indumentum eſſe album. II. Si id quod in parte eſt probandum, petatur vniuerſaliter. veluti ſi probandum ſit artem medicam eſſe vtilem, & ſumatur omnem artem eſſe vtilem. III. Si petatur de particulari, quod eſt probandum vniuerſaliter. veluti ſi probandum ſit omnem artem eſſe vtilem, & ſumatur medicinam eſſe vtilem. IV. Si quod eſt coniunctim probandum, petatur ſeparatim. veluti ſi probandum ſit medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium & inſalubrium: & ſeorſum petatur vtrumque. V. Si cùm duo æquè ignota reciprocentur, alterum ſumatur ad alterum probandum. veluti ſi ad probandum triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; ſumatur duos rectos tribus angulis trianguli æquales eſſe.

47 ¶ Contraria petuntur quinque modis. I. Si petantur affirmatio & negatio contraria: veluti, omnem hominem eſſe iuſtum, & omnem hominem eſſe iniuſtum. III. Si petantur propoſitiones contradicentes: vt, omnem hominem eſſe iuſtum, & aliquem hominem eſſe iuſtum. VI. Si petatur contrarium ei quod ex propoſitionibus colligitur. nam qui propoſitiones concedit, etiam concluſionem concedere cogitur. quare qui contrarium concluſioni ſumit, vel concedit, ſine dubio duo contraria ſumit vel concedit. V. Si duo petantur, quibus contradictio eſt conſequens. nam qui ponit antecedentia, cogitur etiam ponere conſequentia.

48 ¶ Vitium petiti quæſiti ad concluſionem pertinet. vitium autem contrarietatis in propoſitionibus ſpectatur quoniam altera eſt alteri contraria.

TRAC-

Cap. XIV.

De exercitatione.

49 EXerceri oportet in conuertendis ſyllogiſmis. Intellige conuerſionem, de qua dictum fuit 2. Prior. cap.8.9.& 10.

50 ¶ De quacumque theſi conſiderentur argumenta in vtramque partem,& quæratur argumentorum ſolutio.

51 ¶ Ad dignoſcendum verum à falſo opus eſt naturæ bonitate quam Græci εὐφυΐαν appellant.

62 ¶ Tenendæ ſunt argumentationes I. De problematis, de quibus ſæpe diſputarij ſolet. II. De primis theſibus,id eſt, quas reſpondentes primo loco ponere ſolent:hæ verò ferè ſunt etiam naturâ primæ,ſi theſes recto ordine ſint diſpoſitæ.

53 ¶ Paranda eſt definitionum copia.

54 ¶ Memoriæ mandentur loci,qui plerumque in diſputationibus vſui ſunt,vt àconiugatis,à genere,à ſpeciebus,&c.

55 ¶ Memoriæ mandetur potiùs generalis propoſitio, quàm integra argumentatio: quia facilius eſt propoſitionem memoriâ tenere,quàm argumentationem.

56 ¶ Illa quoque exercitatio non eſt contemnenda, quâ vna argumẽtatio generalis in multas particulares tribuitur.

57 ¶ In commentarium referantur argumentationes quàm maximè vniuerſales. ſed cùm ad vſum & diſputationẽ traducuntur, efficiantur particulares & propriæ. Nam quò magis vniuerſales ſunt, eò pluribus diſputationibus conueniunt,& eò faciliùs ſoluuntur.

58 ¶ Inſtituatur exercitatio cum iunioribus per inductiones,cum peritioribus per ſyllogiſmos.ſupr.partic.9.

59 ¶ Ab iis qui ſunt apti ad conficiendos ſyllogiſmos,accipiendæ ſunt propoſitiones:ab iis autem,qui inductionibus valent,ſumendæ ſunt ſimilitudines.

60 ¶ Ex omni diſputatione aliquid colligendum,quod in poſterum vſui eſſe poſſit.

61 ¶ Non eſt diſputandum cum hominibus proteruis.

62 ¶ In promptu habeantur diſputationes vniuerſales aduerſus ea problemata,de quibus paucę argumentationes ſuppetunt.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XIV.

LOGICORVM VLTIMVS DE SOPHISTICIS ELENCHIS,

TRACTATVS I.

Cap. I.

An ſint argumentationes ſophiſticæ.

Cap. I. ALII ſunt veri ſyllogiſmi, & veri elenchi: alij videntur eſſe. atque his ſophiſta vtitur, vt ex ficta
Cap. 2. & ſimulata ſapientia quæſtum faciat. Syllogiſmum definiui 1. Prior. partic. 10.

TRACTATVS II.

Cap. II.

De ſcopis ſophiſtarum.

2 ARgumentationmu genera quatuor ſunt. I. Didaſcalicæ, quę ex propriis cuiuſque ſcientiæ principiis concludunt. II. Dialecticæ, quæ ex probabilibus concludunt id, quod theſi, contra quam diſputatur, contradicit. III. Tentatiuæ, ex iis concludentes, quæ reſpondenti vera eſſe videntur, & quæ neceſſe eſt eum ſcire, qui ſibi ſcientiam arrogat. IV. Litigioſæ, quæ ex iis, quæ videntur nec ſunt probabilia, concludunt, aut concludere videntur. De didaſcalicis dictum eſt in Poſterioribus Analyticis: de dialecticis & tentatiuis in Topicis: nunc de litigioſis ſeu contentioſis dicendum ſupereſt.

Cap.

CAP. III.

Scopi ſophiſtarum.

3 SCopi ſophiſtarũ ſunt quinque, I. Elenchus. II. Falſum. III. Inopinabile: IV. Solœciſmus, id eſt, barbara locutio. V. Tautologia ſeu nugatio, id eſt, inanis repetitio eiuſdem vocabuli, vt duplum dimidij dimidij. Cap. 3.

TRACTATVS III.

De inuentione.

CAP. IV.

De fallaciis in dictione conſiſtentibus.

4 LOci ſophiſticorum elenchorum partim in dictione ſpectantur, partim extra dictionem.

5 ¶ In dictione conſiſtunt ſex. I. Homonymia: veluti, *Omnis canis latrat, aliquis piſcis eſt canis, ergo aliquis canis latrat.* Nam *canis* aliter accipitur in maiore propoſitione, aliter in minore. II. Amphibolia: veluti, *Quod quis videt, hoc videt: atqui columnam videt: ergo columna videt.* Differt autem amphibolia ab homonymia, vt oratio à vocabulo. nam vocabuli ambiguitas vocatur homonymia: orationis, amphibolia. III. Compoſitio: veluti, *Poteſt ſedens currere.* nam hoc verum eſt diſiunctim, non coniunctim, id eſt, non poteſt ſedendo currere: ſed qui ſedet, poteſt ſurgere & currere. IV. Diuiſio: veluti, *Quinque ſunt duo & tria: ergo ſunt paria & imparia.* nam quinque ſunt duo & tria coniunctim, non ſeparatim. V. Accentus: veluti, *Non omne malum eſt malum.* Nam *malum* primâ productâ ſignificat pomum, eâdem correptâ opponitur bono. neque hæc eſt homonymia, quia non eſt omnino idem vocabulum, cùm alias primam ſyllabam productam, alias correptam habeat. VI. Figura dictionis, cùm ſimilitudo vocabuli fallit, & facit vt res ſimilis videatur. veluti *valere, ſentire, vapulare,* videntur ſignificare actionem aliquam, quia ita inclinantur, vt verba actiua, veluti, *facere, ſecare, vrere.*

Cap. V.

De fallaciis extra dictionem.

Cap. 4. 6 Extra dictionem ſunt loci ſeptem. I. Ex accidenti: cùm idcirco aliquid rei attribuitur, quia eius accidenti ineſt. Accidens hîc latè accipe, vt complectatur tam attributa eſſentialia, quàm accidentaria. Verbi gratiâ, ſi dicatur Socrates non eſſe homo, quia non eſt Plato, cui Platoni accidit vt ſit homo. Nam ſi Plato eſt homo: diſtinguens Socratem à Platone, videtur diſtinguere Socratem ab homine. II. Ex eo quod dicitur ſimpliciter, vel quadamtenus: cùm id, quod eſt ex parte verum, ſumitur quaſi omnino & ſimpliciter verum: vtputà Æthiopem eſſe album, quia eſt albus dẽtes. III. Ignorantia elenchi: cùm non probatur vera contradictio. nam elenchus eſt ſyllogiſmus contradictionis: non eſt autem contradictio, ſi aliter res accipiatur in theſi, aliter in concluſione oppoſita. Exempli causâ, non eſt contradictio, ſi dicatur idem eſſe duplum & non duplum, vel reſpectu diuerſarum rerum, vel ratione longitudinis & latitudinis, vel alio atque alio tempore. IV. Petitio quæſiti, de qua dictum eſt Prior. lib. 2. c. 16. & Topic. lib. 8. cap. 13 V. Ex conſequente: cùm ſcilicet ex conſequente colligitur antecedens, veluti pluiſſe, quia terra eſt madefacta. nam ſi pluit, terra madefit: non tamen reciprocatur: nec ſi terra madefit, propterea neceſſe eſt, vt pluat. VI. Non cauſæ pro cauſa. id eſt, ſi per deductionem ad impoſſibile colligatur aliquam propoſitionem eſſe falſam, ex qua illud impoſſibile non ſequitur. vide 2. Prior. cap. 7. VII. Ex eo quòd duæ interrogationes pro vna accipiũtur. veluti, *iuſtitia & morbus, ſúntne bona, an mala?* Nam ſiue vna reſponſione dicantur eſſe bona, ſiue mala, peccatur, cùm alterum ſit bonum, alterum malum. quare ſeparatim reſpondendum eſt, tamquàm ad duas interrogationes.

Cap. VI.

Reductio omnium fallaciarum ad ignorationem elenchi.

Cap. 5. 7 Omnes fallaciæ, quas reduximus ad tredecim genera, nempe ſex in dictione, & ſeptem extra dictionem conſiſtentes, ad ignorantiam elenchi referri poſſunt: quia vel nihil concludunt, vel ſaltem non id concludunt, quod

quod debent ac videntur concludere. alioqui ſi eſſent veri elenchi, fallaces & captioſi non eſſent.

Cap. VII.

Rationes deceptionum.

8 ARgumentationes ſophiſticæ ob ſequẽtes cauſas fallunt. I. Ex homonymia, vel amphibolia: quia neſcimus diſtinguere, quod eſt multiplex. II. Ex compoſitione, & diuiſione: quia nihil putamus intereſſe, vtrùm aliqua ſumantur coniunctim, an diſiunctim. III. Ex accentu: quia videtur eſſe idem vocabulum ſub diuerſis accentibus. IV. Ex figura dictionis: quia putamus, vbi eſt eadẽ figura loquendi, ibi eandem eſſe rationem ſignificandi. V. Ex accidente, & ex conſequente: quia non diſtinguimus inter accidens, & id cui accidit: & quia putamus, ſi hoc ab illo non ſeparatur, etiam illud ab hoc non ſeparari. VI. Ex ignorantia elenchi, & ex eo quod dicitur ſimpliciter aut quadamtenus, & petitio quæſiti, & ex non cauſa, & ex multis interrogationibus: quia non obſeruamus diſcrimen, quod eſt exiguum, ſed id quod parùm differt, putamus nihil differre. Cap. 6.

Cap. VIII.

Ex locis ſuprà expoſitis colligi, non ſolùm eos qui videntur ſyllogiſmi & elenchi, ſed etiam falſos, & ſophiſticos.

9 SOphiſticus elenchus peccat vel in materia, vel in forma. Peccatum in materia eſt, cùm propoſitiones ſunt falſæ. Peccatum in forma eſt, cùm non obſeruantur regulæ ſyllogiſmorum, ideóque nihil concluditur. Cap. 7.

10 ¶ Elenchus ſophiſticus, quia non eſt rei proprius, diſtinguitur à demonſtratiuo. & quia non oſtendit aduerſarium eſſe indoctum, (ſæpe enim etiam viri docti ſophiſticis captionib. implicantur) diſtinguitur à tentatiuo, qui eſt dialectici ſpecies.

11 ¶ Ex iiſdem locis ſumuntur, qui videntur ſyllogiſmi, & qui videntur elenchi. nam vna & eadem argumentatio reſpectu reſpondentis qui tuetur theſim, vocatur elenchus, & reſpectu auditorum appellatur tantùm ſyllogiſmus, non elenchus.

12 ¶ Videtur nec eſt elenchus, cùm prætermittitur aliquid,quod ex definitione elenchi requiritur. Nam elenchus eſt ſyllogiſmus contradictionis:contradictio autem non eſt, niſi ſit eiuſdem de eodem, reſpectu eiuſdem,eodem modo, & eodem tempore. quare ſi quid horum deſideretur: neque contradictio,neque elenchus dici poteſt.

13 ¶ Sophiſticus ſyllogiſmus & elenchus non eſt ſyllogiſmus & elenchus ſimpliciter ,ſed alicui. vtputà ſi laboret homonymiâ,nihil concludit,niſi aduerſus eum,qui vocabulum homonymum concedit vno modo dici. alioqui repeꝛiuntur in eo quatuor termini contra regulam ſyllogiſmorum.

Cap. IX.

De numero elenchorum,& de eorum locis.

Cap. 8. 14 OMnis demonſtratio vt veram concluſionem,ita falſam theſim concluſioni contrariam, ſi fortè ab aliquo defendatur,redarguit. Tot igitur poſſunt eſſe veri & demonſtratiui elenchi,quot ſunt demonſtrationes.

15 ¶ Similiter tot poſſunt eſſe falſi elenchi, quot ſunt falſi ſyllogiſmi.

16 ¶ Veri aut falſi elenchi cuiuſuis ſcientiæ proprij ad eam ſcientiam pertinent. Dialecticus autem conſiderat elenchos dialecticos, id eſt, communes omnibus ſcientiis, & eos qui ex communibus videntur elenchi, & eos qui videntur dialectici,& tentatiuos,& eos qui videntur tentatiui.

17 ¶ Loci ſyllogiſmorum probabilium expoſiti in Topicis, ſunt etiam loci elenchorum dialecticorum: quoniam omnis elenchus dialecticus eſt ſyllogiſmus ex probabilibus.

18 ¶ Obiectiones aduerſus locos dialecticos in Topicis traditæ,valent ad ſoluendos elenchos dialecticos.

Cap. X.

Malè argumentationes diuidi in eas quæ ad nomen,& eas quæ ad ſententiam pertinent.

Cap. 9. 19 QVidam argumentationes in duo genera diuiſerunt:quaſi aliæ pertineant ad nomen, aliæ ad ſententiam. Ad nomen pertinere dicuntur, id eſt, non ad ſententiam

tentiam, cùm vocabula aliter accipiuntur ab opponente, aliter à reſpondente. Ad ſententiam verò, cùm ab vtroque diſputante accipiuntur in eadem ſignificatione.

20 ¶ Hæc diuiſio reprobatur ab Ariſtotele multis argumentis. I. Namque non eſt communis omnibus argumentationibus, ſed earum propria, quæ multas habent ſignificationes, vt cótingit in homonymis, & amphibologicis. II. Hęc diſtinctio potius ſpectatur in perſonis diſputantibus, quàm in ipſa argumentatione. nam eadem argumentatio aliis diſputantibus erit ad ſententiam, qui ſcilicet eodem modo accipiant vocabula: aliis non ad ſententiam, ſed ad nomen, qui diuerſimodè ipſam argumentationem accipiant. III. Omnes fallaciæ poſſunt ad hanc vnam referri, quam hi dicunt eſſe ad nomen: quia in omnibus poteſt contingere, vt aliter verba accipiantur ab opponente, aliter à reſpondente. IV. Huius diuiſionis auctores malè pro eodem acceperunt fallaciam pertinentem ad nomen, & fallaciam in dictione conſiſtentem: quia in dictione conſiſtit fallacia per ſe, id eſt, quia in ipſa argumentatione eſt vitium, puta propter homonymiam ſunt quatuor termini, ad nomen autem fallacia dicitur, eò quòd reſpondens certo modo affectus eſt, id eſt, aliter argumentationem accipit, quàm opponens. V. Cùm elenchus ſit ſyllogiſmus contradictionis: rectiùs fallacia dicitur in eo conſiſtere, quòd non eſt ſyllogiſmus, vel non eſt contradictio, id eſt, quòd vel nihil concluditur, vel concluſione non euertitur theſis, vt nos ſuprà diuiſimus partic. 7. VI. Hæc veterum diuiſio non eſt propria argumentationum communium, ſed aptari poteſt etiam argumentationibus ſcientiarum propriis, vt mathematicis. omnibus enim poteſt hoc contingere, aliter & aliter accipiantur. VII. Fallacia in dictione conſiſtens, ſecundum auctores dictæ diuiſionis eſt ad nomen: atqui poteſt eſſe ad ſententiam, veluti ſi verbum homonymum ab vtroque differente pro ſynonymo habeatur.

21 ¶ Si reſpondens non animaduertat dictionem vel orationem eſſe ambiguam, oppones non debet diſtinguere, niſi velit officio docentis potius fúgi, quàm differẽtis. Adde, quòd fieri poteſt, vt ipſe quoq. opponẽs ambiguitatẽ in argumẽtatione ineſſe neſciat. cur igitur diſtinguẽdi onus ei oponem⁹

nam diſtinctio ad ſoluendum valet:ſoluendi autem onus reſpondenti incumbit,non opponenti.

CAP. XI.

Collatio dialectici,piraſtici,ſophiſtici,litigioſi, demonſtrantis,& pſeudographi.

Cap.10. 22 DEmonſtrator vtitur principiis propriis,piraſticus communibus,quia piraſtica eſt pars dialecticæ.

23 ¶ Dialecticus conſiderat communia:ſophiſta hoc facere videtur.

24 ¶ Syllogiſmus captioſus ex communibus fallit, vel quia falsò videtur ſyllogiſmus,vel quia falsò videtur demonſtratio:ſyllogiſmus autem pſeudographus ex propriis principiis malè acceptis ignorantiam parit.

25 ¶ Syllogiſmus captioſus,ſi gloriæ cauſâ fiat,propriè vocatur litigioſus:ſi lucri cauſâ,ſophiſticus.

26 ¶ Ita ſe habet ſyllogiſmus captioſus ad dialecticum,vt pſeudographus ad demonſtratiuum.

Cap. 11. 27 ¶ Cùm omnes ſcientiæ ſint adſtrictæ ſuis ſubiectis,extra quæ vagari nòn debent. (nam & metaphyſicus tantùm conſiderat entia quatenus ſunt entia,non quatenus mobilia, vel ſub alia ratione) tamen dialecticus per omnes ſcientias vagatur, & de omnibus rebus diſſerit. Coniunge 1. Poſter. partic. 41.

28 ¶ Dialecticus interrogat, vt principia ſumat ex reſponſione aduerſarij: demonſtrator autem non interrrogat, niſi vt propoſitiones auditori euidentiores reddat.vide 1.Poſter.partic.42.

29 ¶ Piraſticus poteſt alicuius ignorántiam arguere. non ſcientiam.Nam qui ea ignorat,quæ à piraſtico interrogantur doctus eſſe nequit:ſed qui ea ſcit,nihilominùs alicuius ſcientiæ ignarus eſſe poteſt.

30 ¶ Omnes aliquo modo vtuntur dialectica, piraſtica, & rethorica.vide 1.Rethor.cap.1.

31 ¶ Dialectici eſt cognoſcere elenchos ſophiſticos: nam hi quoque ex communibus ſunt:dialectica autem latè accepta continet omnes argumentationes ex propoſitionibus communibus vt piraſticas ſeu tentatiuas,& ſophiſticas. Hactenus de ſophiſticis elenchis.

CAP.

CAP. XII.

Loci ad probandum falſum, vel paradoxum.

32 VT aliquis ad falſum vel ad inopinabile deducatur, tria valent. I. Omiſſio certi problematis. nam in diſputatione incerta, non ad certum problema coarctata, ſophiſta quiduis interrogare poteſt, nec videbitur extra rem loqui. II. Multitudo interrogationum. nam etiamſi certum problema ſit propoſitum, tamen multitudine interrogationum ſophiſta rem obſcurabit. III. Simulatum ſtudium diſcendi. nam ei, qui vt diſcat, non vt opponat, interrogare videtur, faciliùs omnia conceduntur. Cap. 12.

33 ¶ Præterea vt reſpondens mendacij coarguatur, tranſlatio diſputationis ad ea, de quibus argumentorum copia ſuppetit, vtilis eſt. Hæc tranſlatio interdum rectè fit, quandoque eſt vitioſa & ſophiſtica. 2. Topic. cap. 5.

34 ¶ Inſuper ad probandum inopinabile valent ſequentia præcepta. I. Opponens obſeruet, quam philoſophorum ſectam reſpondens ſequatur, & ea obiiciat, quæ ab illius ſectæ philoſophis præter aliorum opinionem dicuntur, vt Platonici aiunt bona & mulieres communia eſſe debere. Aduerſus hæc facilè reſpondens ſe tuebitur, inquiens paradoxum non colligi ex argumentatione aduerſarij, ſed ſponte poni ab auctoribus, quos ipſe ſequitur. II. Quoniam homines alia dicunt, alia volunt: (nam honeſtatem laudant, & vtilitatem ſequuntur. vnde Horatius, *virtus laudatur & alget*) idcirco ſi theſis ſit hominum dictis conſentanea, opponatur quod factis eorum congruit. & ſi theſis factis conueniat, opponantur vulgati ſermones. ita aduerſarius quicquid in theſi afferat, ducitur ad paradoxum. III. Theſi ex rerum naturæ deſumptæ opponatur lex: theſi ex lege deſumptæ opponatur natura. Lex enim eſt multorum opinio: ſed viri ſapientes ſecundum naturam & ſecundum veritatem loquuntur.

CAP. XIII.

De tautologia ſeu nugatione.

35 TAutologia concluditur, hoc ſuppoſito, quòd nomen (vt duplum) & oratio (vt duplum dimidij) Cap. 13.

idem ſignificent. nam ſi dicens duplum, dicit duplum dimidij: certè qui dicit duplum dimidij, dicit duplum dimidij dimidij: atque ita bis ponit verbum *dimidij*: primò tacitè, dum ait *duplum*, ſecundò expreſſè, dum addit *dimidij*.

36 ¶ Huiuſmodi argumentationes cernuntur. I. In veris relatis, vt in dicto exemplo. II. In propriis affectionibus, quæ per ſubiectum definiuntur. nam ſimitas eſt curuitas naſi. qui ergo dicit ſimum, dicit naſum. ergo qui dicit naſum ſimum, dicit naſum naſum ſimum: atque ita bis naſum dicit; primò expreſſè, dum dicit *naſum*, ſecundò tacitè, dum dicit *ſimum*.

Cap. XIV.

De ſolæciſmo.

38 Solœciſmus potiſſimùm committitur propter pronomen *Hoc*, neutri generis, quod refertur ad vocabula diuerſi generis, & ad diuerſos caſus; veluti, *Quid eſt hoc?* mulier, vel lignum, vel Socrates. *Quid dicis eſſe hoc?* mulierem, vel lignum, vel Socratem.

39 ¶ Solœciſmus eſt ſimilis fallaciæ ex figura dictionis. in hac enim fallacia ſumuntur res diſſimiles pro ſimilibus, vt agere & valere: in ſolœciſmo autem vocabula diſſimilia accipiuntur pro ſimilibus, & hoc & hunc. veluti, *Quod dicis currere, hoc currit: atqui dicis currere Socratem: ergo Socratem currit.*

TRACTATVS IV.

Cap. XV.

De diſpoſitione, & interrogandi ratione.

Cap.14. 40 Ad facilè redarguendum elencho, valent, quæ ſequuntur. I. Prolixitas orationis: quia difficiliùs multa percipiuntur, quàm pauca. II. Celeritas. nam qui tardo ingenio ſunt, minùs aſſequi poſſunt, quæ celeriter proferuntur. III. Ira, & altercatio. Nam

Ira impedit animum, ne poſſit cernere verum.

Iraſci autem ſolent reſpondentes, ſi opponentes calumniandi ſtu-

di ſtudium impudenter præ ſe ferant. IV. Confuſio & permixtio diuerſarum propoſitionum, non cohærentium. & cetera occultationis præcepta tradita 8. Topic partic. 6. V. Interrogatio eius, quo opponens vti non vult, vel per ſe, vel vnà cum membro oppoſito: vt reſpondentem lateat, quid ſibi concedi opponens cupiat. Vtputà ſi opponens vſurus ſit hac propoſitione, *aliqua voluptas non eſt bona*, ſic interroget, *éſtne omnis voluptas bona?* vel ſic, *éſtne omnis voluptas bona, an non?*

VI. Si vtens inductione, poſt ſingularia prolata, vtatur vniuerſali quaſi per inductionem probato, nec tamen illud ex particularibus expreſſè concludat; ne fortè aduerſarius neget conſequentiam, ac quærat obiectionem, quâ eam probet. VII. Si vniuerſale nomine careat, veluti quod oſſi, ſpinæ, & ſepio commune eſt, & opponens ad vniuerſale illud ſignificandum vtatur ſimilitudine, in qua particularia conueniunt, quatenus ea ſimilitudo ſibi vtilis eſt. VIII. Interrogatio per collationem, cum contrario. veluti, *éſtne in omnibus patri obtemperandum, an repugnandum?* IX. Illatio concluſionis, licèt ex præmiſſis reuerâ non ſequatur. X. Interrogatio, ad quam reſponderi non poteſt, quin reſpondens vel communi opinioni aduerſetur, vel ſibi contradicat. veluti ſi reſpondens dixerit improbum non poſſe dici beatum: & opponens interroget, an tyrannus ſit beatus. XI. Obſeruatio eorum, quæ repugnant dictis à reſpondente, vel ab iis quorum doctrinam ſequitur reſpondens. XII. Diſtinctio coanguſtans argumentationem, ad illud membrum, in qbo non valet obiectio reſpondentis. XIII. Tranſitio ad alias propoſitiones, omiſſis iis, quæ probari non poſſunt. XIV. Tranſlatio diſputationis à theſi, contra quam non occurrunt argumenta, ad aliud, contra quod argumenta ſuppetunt. XV. Si ſophiſta non explicet ſpecialiter quid probare velit: ſed tantùm generaliter dicat ſe id velle probare, quod repugnat ſententiæ reſpondentis. XVI. Si omiſſa interrogatione, quibuſdam vtatur quaſi conceſſis.

TRACTATVS V.

De ſolutione ſophiſmatum.

Cap. XVI.

De vtilitate huius tractatus,ac de ratione reſpondendi.

Lib.2.c.1. 41 RAtio diſſoluendi ſophiſmata vtilis eſt. I. Ad rerum & vocabulorum diſtinctionem. II. Ad vitandos errores in veritate inquirenda.nam etiã per noſmetipſos veritatem inquirentes, poſſumus incidere in argumentationes captioſas. III. Ad gloriam ex victoria in diſputationibus comparandam.

42 ¶ Captio ſoluitur,ſi oſtendatur in quo captio conſiſtat: veluti ſi dicatur eſſe fallaciam accidentis, vel non cauſæ,&c.

43 ¶ Interdum difficilis eſt ſolutio:quia non apparet in quo fallacia conſiſtat. Atque hæc difficultas in diſputationibus augetur: quia citò reſpondere oportet, nec licet diu cogitare,& ſolutionem quærere.

Cap. XVII.

De ea quæ videtur ſolutio.

Cap. 2. 44 ALia eſt vera ſolutio,alia videtur eſſe ſolutio,quam licet vocare quaſi ſolutionem. hac interdum vti oportet, quia ſophiſtæ non redarguunt, ſed videntur redarguere. quare non tam debemus laborare ne redarguamur à ſophiſta,quàm ne videamur redargui.

45 ¶ De quaſi ſolutione dantur hæc præcepta. I.Quamuis ſi ſcitè interrogaretur, reſpondendum ſimpliciter eſſet, *Etiam*,vel *Non:* tamẽ ad captiones vitandas ſæpe diſtinguendum eſt, & quidem ab initio, ne ſi poſt factam argumentationem diſtinguamus, id initiò ignoraſſe, ideóque conuicti videamur. Adde, quòd ſi ad multiplicem interrogationem reſpondeamus ſimpliciter, peccamus multas interrogationes pro vna accipientes. Denique reſpondens ad vniuerſale homonymum,non de re reſpondet, ſed de nomine, quia vniuerſale homonymum eſt merum vocabulum, res autem commu-

communis nulla eſt. II. Ad ea quæ vera videntur, reſpondendum, *Eſto*. III. Qui ducitur ad paradoxum, reſpondeat, *Videtur*. IV. Ad id, quod eſt theſi propinquũ, & euertit theſim, reſpondeatur, *petis quæſitum*. V. In iis, quæ communi nomine carent, aduerſus inducentem reſpondeatur, eum aliter concludere ſimilitudinem, quàm à nobis fuerit conceſſum, & quàm ipſe in propoſitionibus ſumpſerit. VI. Qui aliqua ex dictis reſponſionibus vti non poteſt, ſaltem dicat aduerſarium non probaſſe, quod erat probandum. VII. Si improprietas ab interrogatione abſit: oportet reſpondentem vel concedere, vel negare, vel diſtinguere. VIII. Cùm aliquid in interrogatione ſubauditur, non eſt ſimpliciter reſpondendum, ſed adhibenda eſt diſtinctio ſeu limitatio, ne ſequatur abſurditas. veluti, *Eſtne hoc organum Ariſtotelis*? nam eſt Ariſtotelis vt auctoris, non vt domini. IX. Faciliùs concedatur propoſitio particularis, quàm vniuerſalis. X. Si opponens, argumentatus inde ſit, quòd alteri rei ſit aliquid cõtrarium, alteri nihil: reſpondeatur, huic quoque aliquid contrarium eſſe, ſed non apparere, quia nomine vacat: XI. In rebus dubiis, de quibus opiniones contrariæ celebrantur, ſi opponens concluſit, argumentatio mutatis nominibus eludatur. veluti ſi probauit mundum eſſe æternum, dicamus nos cœlum eſſe genitum. Nam quia verba diuerſa ſunt, non eſt contradictio, nec elenchus: & quia veritas eſt obſcura, non videmur cauillari: & quia de ea quæſtione ſunt opiniones contrariæ, nihil dicimus inopinabile. XII. Si reſpondens animaduertat, quibus propoſitionibus ſophiſta ſit vſurus, priùs eas neget, quàm ab eo proponantur: ſic enim maximè eum impediet, ac bona fide non ſophiſticæ argumentationis metu negare videbitur.

CAP. XVIII.

De vera ſolutione.

46 Vera ſolutio eſt, quæ cauſã patefacit, propter quam Cap. 3.
falſa eſt argumentatio. Eſt autem argumentatio falſa, vel quia non concludit: vel quia falſum concludit: quarum illa per negationem, hęc per diſtinctionem ſolui debet. Ac primò videndum, an argumentatio concludat: deinde, vtrùm verum, an falſum concludat.

147 ¶ Argumentationes concludentes poſſunt falſitatem continere vel in propoſitionibus tantùm, vel in propoſitionibus & concluſione, non in ſola concluſione: quia ex falſis verum, non ex veris falſum colligi poteſt. Quæ propoſitionem aut propoſitiones falſas habent, hæ vno modo ſolui poſſunt, nimirùm falſæ propoſitionis negatione. Quæ verò etiam falſum concludunt, duobus modis ſolui poſſunt, nempe aut falſam propoſitionem negando, aut concluſionem euertendo.

48 ¶ Longè difficilius & præſtantius eſt habere ſtatim ſolutionem in promptu, quàm dato ſpatio poſt longam cogitationem ſoluere.

CAP. XIX.

De ſolutione captionum, quæ ex homonymiâ, aut amphibolià ducuntur.

49 CVm elenchus ex homonymia vel amphibolia ſumitur: multiplicitas vel in concluſione ineſt, vel in propoſitione. Si in concluſione inſit, non eſt elenchus, niſi eadem ſignificatio ſumatur ab opponente & à reſpondente. Si in propoſitione inſit, non eſt opus negare in omni ſignificatione, ſed in ea, quæ ad rem facit. Siue autem in concluſione, ſiue in propoſitione inſit, diſtinguendum eſt ab initio. ſi tamen ab initio diſtinctio omiſſa fuerit, corrigenda eſt oratio per adiectionem, quæ falſitatem excludat. vtputà ſi ſophiſta concludat, vel proponat omnem canem latrare, reſpondens dicat non omnem canem latrare, ſed omnem quadrupedem. nam adiectione huius verbi *quadrupedem*, diluet ſophiſma.

CAP. XX.

De ſolutione captionum ex compoſitione & diuiſione.

50 FAllacia ex compoſitione ſoluitur per diuiſionem: & fallacia ex diuiſione ſoluitur per compoſitionem. nam diuidenda ſunt, quæ ſophiſta compoſuit, & cóponenda, quæ diuiſit. vtputà cùm ſophiſta ait aliquẽ videre oculis vapulanté: fallacia in eo cóſiſtit, quòd ſeparát nomẽ *oculis*, à verbo *vapulantẽ*, & cóiũgit cũ verbo *videre*. nos igitur è contrariò coniũgamus cũ verbo *videre*, & ſeparemus à verbo *vapulãtem*.

Vtra-

Vtraque ſolutio in diſtinctione conſiſtit: nam aliud eſt, oculis vapulantem videre, &, oculis vapulantem videre: adeo vt hæ duæ ſint diuerſæ orationes. Quocirca hæc fallacia differt ab ea, quæ ex amphiboliâ ſumitur. nam oratio amphibologica eſt vna, licet multas ſignificationes habeat, ſicut vocabulum homonymum eſt vnum, etſi plura ſignificat: ſed coniunctio & diuiſio diuerſas orationes efficiunt, quemadmodum ara & hara ſunt diuerſa vocabula.

CAP. XXI.

De ſolutione captionum ex accentu.

51 Fallacia ex accentu rarò accidit. ſimiliter autem ſoluitur per diſtinctionem. nam mālum & mălum re & verbo differunt.

CAP. XXII.

De ſolutione captionum, quæ ducuntur ex figura dictionis.

52 Fallacia ex figura dictionis in eo conſiſtit, quòd ſumitur res eſſe ſimiles, quia figura loquendi eſt ſimilis. quocirca reſpondens non redarguitur, niſi rerum ſimilitudinem concedat. Verbi gratiâ, poſſumúſne eandem rem ſimul facere & feciſſe? nequaquam. atqui poſſumus eandem rem ſimul videre & vidiſſe? vtique: quia videre, non eſt facere, ſed pati, licet verbum *videre* ita inflectatur, vt verba actiua inflecti ſolent.

CAP. XXIII.

Communia de ſolutione captionum in dictione conſiſtentium.

53 Generaliter notandum eſt, fallacias in dictione conſiſtentes ſolui, ſi ſumatur oppoſitum ei, ex quo ſophiſta eſt argumentatus: veluti ſi ea quæ ſophiſta coniunxit, ſeiungantur: ſi quæ ſeiunxit, coniungantur: ſi ſophiſta accentu acuto ſit vſus, nos graui: aut ſi ille graui, nos acuto: ſi in homonymia vel amphibolia vocabulum aut orationem ſumamus in aliâ ſignificatione, quàm ſophiſta: ſi in fallacia ex figura dictionis accipiamus oppoſitum, veluti

ſi ſophiſta concludant, *Ergo quod quis non habet, dare poteſt*, nos autem reſpondeamus, *Immò non quod non habet, dare poteſt, ſed quomodo non habet:* vt habens plures talos, vnum tantùm dare poteſt.

CAP. XXIV.

De ſolutione captionum ductarum ex accidente.

Cap. 4. 54 FAllaciam ex accidente ſumptam ſoluemus, negantes neceſſe eſſe, vt id quod accidenti ineſt, etiam ſubiecto inſit: vtputà Coriſco accidit, vt aduenıat: & Coriſcum noui, quamuis aduenientem non norim: quia non eſt idem, Coriſcus, & aduenıens, ſed Coriſco accidit, vt aduenıat.

CAP. XXV.

De ſo lutione captionum ex eo ductarum, quod eſt ſimpliciter, vel κατά τι.

Cap. 5. 55 FAllaciam ex eo ſumptam, quod dicitur ſimpliciter vel quadamtenus, ſoluemus negantes concluſionem ſophiſtæ contradicere noſtræ theſi: quia ſimpliciter altera eſt vera, altera quadamtenus: vt Æthiops eſt albus, & non albus, id eſt, albus dentes, non albus ſimpliciter: vel ambæ veræ ſunt ſecundum aliud, atque aliud, vt res aliqua eſt alia re maior ſecundum longitudinem, non eſt maior ſecundum latitudinem.

CAP. XXVI.

De ſolutione captionum ex definitione elenchi.

56 Fallacia ex definitione elenchi ſoluitur, quia ſophiſta reuerà non probauit concluſionem contradicentem theſi, vt quia vtraque diuerſo reſpectu vera eſt.

CAP. XXVII.

De ſolutione captionum, quibus petitur quæſitum.

57 Fallacia ex petitione quæſiti ſoluitur tribus modis. I. Si ab initio negetur propoſitio, in qua petitur quæſitum

quæſitum. quod debet reſpondens facere, ſi vitium cum non lateat. II. Si poſt concluſam argumentationem reſpondens dicat opponentem petere quæſitum. III. Si dicat ſe admiſiſſe propoſitionem illam, quâ petebatur quæſitum, non quaſi principium, ex quo aduerſarius argumentaretur, ſed quaſi problema ab aduerſario probandum.

Cap. XXVIII.

De ſolutione captionum, quæ ducuntur ex conſequentibus.

58 FAllaciam conſequentis ſoluemus negantes conſequentiam: quia non valet argumentum à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis, nec ab euerſione antecedentis ad euerſionem conſequentis.

Cap. XXIX.

De ſolutione captionum, quæ non cauſam accipiunt pro cauſa.

59 FAllaciam non cauſæ ſoluemus, ſi dicemus, eo dempto, quod à nobis ſophiſta accepit, nihilominùs eandem concluſionem impoſſibilem ex reliquis ipſius ſophiſtæ propoſitionibus effici.

Cap. XXX.

De ſolutione captionum, quæ plures interrogationes pro vna accipiunt.

60 CAptionem, quæ ex eo ducitur, quòd interrogatio multiplex pro vna accipitur, vitare poterimus non dantes vnam reſponſionem: quia quot ſunt interrogationes, tot debent eſſe reſponſiones. Hoc potiſſimùm obſeruare oportet, cùm altera ſignificatio eſt vera, altera falſa: tunc enim neceſſe eſt, vt ſimplex reſponſio falſitatem in ſe contineat.

61 ¶ Eadem argumentatio poteſt laborare pluribus vitiis, & continere in ſe plures fallacias: túncque multis modis ſolui poteſt.

Cap. XXXI.

De ſolutione paralogiſmorum colligentium nugationem.

62 TAutologia vitatur, ſi negetur idem ſignificari nomine per ſe accepto, & coniunctο cũ alio. Vt enim Cap. 6.

dd

vocabulum *decem*, aliud ſignificat per ſe prolatum, aliud in oratione, *vno minus decem*: (quandoquidem ſi ſunt vno minus decem, non ſunt decem) ita non ſignificatur idem nomine, *dominus*, per ſe accepto, & oratione, *dominus ſerui*: quia dominus per ſe, aut nihil ſignificat, áut aliud ſignificat, quàm in oratione *dominus ſerui*, vt quia eſt titulus honoris. Præterea dici poteſt non eſſe tautologiam, cùm idem vocabulum in diuerſis caſibus ponitur: veluti ſi dicatur ſimum eſſe naſum habentem curuitatem naſi.

Cap. XXXII.

De vitandis ſolœciſmis.

63 AD argumentationes, quibus ſophiſta dicere conatur ad ſolœciſmum, reſpōdendum eſt, concluſionem ex præmiſſis non ſequi: veluti, *Quod verè eſſe dicis, eſt hoc: atqui verè dicis eſſe lapidem: ergo eſt lapidem.* Concluſio non efficitur ex propoſitionibus: quia pronomen, *hoc*, in maiore propoſitione ſumitur in recto, non in accuſandi caſu: quare concludendum eſt in eodem caſu, ac dicendum, *lapis*, non, *lapidem.*

Cap. XXXIII.

De facilitate vel difficultate cognoſcendi genus captionis, & reſpondendi.

Cap. 7. 64 CAptionum ſeu fallaciarum ſophiſticarum aliæ facilè ſoluuntur, aliæ, quæ acutæ vocantur, difficilè ſoluuntur.

65 ¶ Acuta argumentatio ſpectatur vel in diſputationibus dialecticis, vel in ſophiſticis.

66 ¶ Acuta argumentatio dialectica eſt, I. Si ex propoſitionibus probabilibus refutet theſim probabilem. veluti, *omnis mater amat liberos, atqui Medea eſt mater, ergo Medea amat liberos.* nam æquè probabiliter in contrarium argui poteſt: *Quæ liberos interficit, non amat liberos: atqui Medea liberos interfecit, ergo Medea non amat liberos.* II. Cùm neganda eſt alterutra propoſitio, & vtraque eſt probabilis.

67 ¶ Acutum ſophiſma eſt, I. Si non appareat, an concludat. II. Si non appareat, verùm ſit reſpondendum per nega-

negationem, an per diſtinctionem. III. Si non appareat, quę propoſitio ſit neganda. IV. Si non appareat, quid ſit diſtinguendum.

68 ¶ Argumentatio, quæ non concludit, ſi id prætermittat, quod facilè ſuppleri poteſt, non eſt contemnenda, aliâs eſt contemnenda.

69 ¶ Tam argumentatio, quàm ſolutio, vel pertinet ad rem, vel ad perſonam, vel ad tempus. Ad rem pertinet argumentatio, quæ eſt aduerſus theſim: & ſolutio, quæ indicat vitium argumentationis. Ad perſonam ſpectat, quæ patefacit peccatum reſpondentis, vel argumentantis: nam bona argumentatio vel ſolutio poteſt malè proponi. Ad tempus refertur, quæ plus temporis requirit, quàm vt poſſit præſenti diſputatione ſufficienter examinari.

Cap. XXXIV.

Epilogus, & peroratio.

70 Expoſita ſunt præcepta artis dialecticæ, quam Ariſtoteles primus inuenit, & perfecit. Cap. 8.

Organi Logici Finis.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ TOMVS II.

LIBER XVII.

NATVRALIS AVSCVLTATIONIS PRIMVS.

Prolegomena.

HVMANÆ ſapientiæ, quam philoſophiam vocamus, partes duæ ſunt: metaphyſica, quam etiam primam philoſophiam, & theologiam cum Ariſt. appellare licet: & Phyſica. Metaphyſ. lib. 3. cap. 2.

2 ¶ Hæc naturæ ordine & præſtantiâ eſt poſterior, nobis autem ac doctrinæ ordine prior. Metaphyſ. lib. 3. cap. 3. & lib. 5. cap. 1. ad eam ducens, Phyſ. lib. 8. & Metaphyſ. lib. 11. cap. 6. eiq; inſeruiens, vt ancilla dominæ. Poſter. lib. 1. c. 9. partic. 5. prout ea particula vulgò ab interpretibus accipitur.

3 ¶ Illa namque in prima ſubſtantia immateriali & immobili, conſequenter in ente quatenus eſt ens, verſatur: hæc autem in ſubſtantia materiali, quæ in ſe habet principium motus & quietis. Metaphyſ. lib. 5. cap. 1.

4 ¶ Vtraque perficit intellectum contemplatiuum, vt prudentia politica practicum. Ethic. lib. 6. cap. 13.

5 ¶ Phyſica igitur eſt ſcientia corporis naturalis, quatenus naturale eſt, id eſt, quatenus in ſe habet principium motus & quietis. Themiſtius paulò aliter phyſicam definit ſciẽtiam naturæ, & eorum quæ à natura fiunt.

6 ¶ Phyſicam cum Ariſt. Phyſic. 3. cap. 4. partic. 1. & de part. anim. libr. 1. cap. 1. ſcientiam appello, ſcientiam accipiens propriè, quatenus ab arte & prudentia diſtinguitur, atque eſt ſapientiæ pars ex intelligẽtia, quaſi ex fonte deducta: vt

vt explicatur 6. Ethic. Valeat enim Pyrrhoniorum & nouorum Academicorum ſententia, non eſſe ſcientiam vllius rei exiſtimantium,quorum opinio refutatur ab Ariſt. Metaphyſ. lib.3.cap.5.à Ianduno,& Tolet.hîc, à Thoma parte 1.diſtinct.84.à Scoto parte 1. diſtinct.3. quæſt.4. ab Auguſtino de ciuitate Dei lib.19. cap. 18.& libr. de vera religione,& libr.2. contra Academ.& à Damaſceno dialecticæ cap. 3. & ab Epiphanio lib.1.tomo 1.& lib.3. tomo 2. & à Tertulliano in libr. de anima.

7 ¶ Phyſicæ ſubiectum eſt corpus naturale, quatenus naturale, id eſt, quatenus in ſe habet principium motus & quietis.Metaphyſ.lib. 5. cap.1. huius enim principia, & affectiones,ac ſpecies in hac ſcientia declarátur:ex quo cognoſcitur,hoc eſſe ſcientiæ ſubiectum.Poſter.lib.1.cap.7.partic.2. & cap.28.part.1.Qui verò res ſenſiles,vt Auerroës hic,aut materiales,vt Simplicius, aut ens mobile, vt Thomas hîc, & Auerroës 4.Metaphyſ.comm.1.aut ens naturale,vt Toletus hîc, aut corpus mobile,vt Egidius,& Albertus tract.1.cap.2.dicũt eſſe Phyſicæ ſubiectum , aliis appellationibus id ſignificant, quod nos corpus naturale commodiùs vocauimus:nam mobile accipiunt, non quatenus hac affectione præditum eſt, quam appellamus motum, ſed quatenus in ſe habet principium motus,id eſt naturam : eiuſmodi autem res nihil aliud eſt,quàm corpus.

8 ¶ Nec propterea metaphyſicæ ſubalternatur phyſica, quòd illa de ente communiter pertractat,hæc in entis certo genere verſatur. Metaphyſ.lib.3.cap.1.& lib.5.cap.1.etenim ipſum ens non eſt genus ſynonymum.Topic.lib.6.cap.4.partic.2.Porphyrius c.2.partic.32.&modi conſiderandi,Phyſicus & Metaphyſicus,diuerſi ſunt: ſiquidem phyſica conſideratio motum includit,metaphyſica excludit.Phyſ.lib. 2. cap.3.

9 ¶ Corpus naturale,ab Ariſtotele conſideratur. I. Generaliter in octo libris naturalis auſcultationis,in quibus explicantur communia & prima principia, & communes affectiones rerum naturalium. II. Specialiter in libris ſequentibus,in quibus ſpecies corporis naturalis, & earum ſpecierum ſpecies exponuntur.

10 ¶ Principia communia ſunt,materia,forma,efficiens, & finis.Principia prima intellige, primam materiam, & pri-

mum motorem. nam prima forma, & vltimus finis non cognoſcuntur à phyſico, ſed à metaphyſico, vt Auerroës notat in præfatione Phyſic.

11 ¶ Communes affectiones ſunt, motus, finitas vel infinitas, locum, quem nonnulli putarunt nihil aliud eſſe quàm inane, & tempus.

12 ¶ De principiis agitur lib.1.& 2.de motu,& finito vel infinito, lib.3. de reliquis lib.4. ſequentibus autem libris reſumitur tractatus de motu, eiúſque proprietates enarrantur, cùm lib.3.tantùm expoſitum fuerit quid ſit.

13 ¶ Communis huius operis inſcriptio eſt, non *de naturali auſcultatione*, ſed, vt ferè omnes Græci codices habent, & vt Simplicius legit, *φυσικὴ ἀκρόασις, naturalis auſcultatio:* quoniá hoc opere continentur phyſicæ Ariſtotelis prælectiones de rebus naturalibus, auditoribus ſuis dictatæ.

14 ¶ Præterea quatuor priores libri, *de principiis* inſcribuntur: quatuor poſteriores, *de motu*. placet enim Porphyrij, & Philoponi ſententia: non Adraſti, & Simplicij, qui priores quinque libros inſcribunt *de principiis*: tres vltimos, *de motu*.

15 ¶ Atqui ſuprà diximus principia rerum naturalium explicari libr. 1. & 2. affectiones 3. & 4. nunc autem videmur hæc omnia vocare principia. nimirùm quia ſi hoc opus per ſe ſpectetur, motus, locus, &c. nō ſunt principia, ſed affectiones corporum naturalium. ſi verò hic liber cum ſequentibus comparetur: quæcumque hîc traduntur, ſequentium principia ſunt, vt conſtat ex lib.8. Phyſ.cap.1.partic.6.& aliis locis. quis enim neſcit concluſionem primæ demonſtrationis eſſe principium ſequentium demonſtrationum? Poſter.lib.1.cap.12.partic.14.

CAP. I.

De ſcopo, & methodo huius libri.

Cap. 1. 16 PHyſicæ igitur initium ſumendum eſt à primis principiis ſiue elementis rerum naturalium: quorum cognitio inueſtiganda eſt ordine nobis conuenienti, id eſt, à toto ad partes.

17 ¶ Hæc methodus duplex eſt, videlicèt reſolutiua, & diuiſi-

diuiſiua. per illam reſoluitur totum in ſuas partes eſſentiales, vt compoſitum in materiam & formam, ex quibus conſtat: per hanc diuiditur genus, quod eſt totum attributiuum, in partes ſubiectiuas,id eſt ſpecies.atque illius methodi in demonſtrationibus:huius autem in digerendis ſcientiæ partibus vſus potiſſimùm cernitur.

18 ¶ Totum enim eſt nobis notius,quàm partes : vt definitum eſt notius definitione:quia totius confuſa,partium verò diſtincta cognitio eſt:in nobis autem cognitionem confuſam præcedere,ac diſtinctam conſequi, vel ex eo apparet, quòd pueri omnes homines ab initio vocant parentes, poſteà verò perfectiorem notitiam adepti, ſingulíſque partibus ac delineamētis obſeruatis,ſecernūt parētes ab aliis hominibus.eadē ratio eſt eorū,qui eminus rem aliquā aſpiciūt: nam primò vident (exempli gratiâ) eſſe corpus,tum eſſe viuens, poſteà eſſe animal,deinde eſſe hominem,tádem eſſe Socratem.eodem modo is ,cui Dominus aſpectum reſtituit,primò cernebat homines quaſi arbores ambulantes.Marci cap.8.

CAP. II.

Quæſtio quot & quæ ſint principia naturalia.

19 NEceſſe eſt aut vnum eſſe rerū naturaliū principiū, aut multa.ſi eſtvnū:aut eſt immobile,aut mobile: Cap. 2.
& vel finitum,vel infinitum.Vnum immmobile finitum poſuit Parmenides.Vnum immobile infinitum Meliſſus.Vnum mobile finitum,id eſt ignē,Heraclitus Epheſius, & Hippaſus Metapontinus.Qui verò vnū mobile infinitū poſuerūt,in diuerſas abiêre ſententias.Aërem principium rerū naturalium ſtatuêre Anaximenes Mileſius, & Diogenes Apolloniates. quāquàm hic nō aërem purū putū ſpectauit, ſed accedētē ad naturā ignis. vnde Porphyrius & Nicolaus Damaſcenus aiūt eum pro principio ſtatuiſſe mediū quiddā inter aërē & ignē. Aqua eſt principiū ex ſentētia Thaletis,& ſex reliquorū Græciæ ſapientū,& Hipponis& vetuſtiſſimorū:theologorū quinetiā Anaximandri: hic tamē non aquā purā dixit eſſe principium,ſed vergentem ad naturam aëris: ideóque dicitur poſuiſſe mixtum quiddā ſeu mediū inter aërē & aquā.Sin a. multa ſint principia:vel ſunt finita, vel infinita. Si finita ; vel ſunt duo,vel tria,vel quatuor,vel alio quouis numero.Meliſſus,qui ſecūdum rationem poſuit vnū principiū,ſecūdū ſēſū dixi eſſe

duo principia,ignem & terram: quorum illud vocauit ens: hoc,non ens.&,ſi Theophraſto credimus,illud accepit pro efficiente,hoc pro materia.Pythagoras cenſuit principia eſſe numeros,qui referuntur ad par velim par. Plato poſuit magnum & paruum,quæ habent rationem materiæ, & ideam, quæ eſt forma. Empedocles quatuor elementa. Si ſint infinita:vel ſint eiuſdem generis,figurâ verò,ordine,& poſitione differunt:vel ſunt inter ſe contraria.prior ſententia eſt Democriti Abderitæ,& Leucippi,& Epicuri conſtituentium infinitas atomos.poſterior eſt Anaxagoræ Clazomenij ponentis homœomerias,id eſt partes ſimilares infinitas in qualibet re commixtas,quarum ſecretione Mens diuina efficit omnia.Hæ ſint diuerſæ philoſophorum ſententiæ:de quibus vide Phyſ. lib.1.cap. 2.5.6.& 10.& lib.3. cap. 4.& de Cælo lib. 3. cap.4.5.& Metaphyſ.lib.1.cap.3.& ſequētibus,& lib.11.cap.2.& de Xenophane,cap.2.& Philaponum,& Simplicium hic.Prætereà Heſiodus ſolam terram exiſtimauit eſſe principium, Metaphyſ.lib.1.cap.7.Sed hic inter poëtas,non inter philoſophos connumeratur.Phyſ.lib.1.cap.5.partic.2.

20 ¶ Porrò cùm quæſtio de numero principiorum partim ſit metaphyſica,partim phyſica (nam quæſtio quot ſint entium principia, eſt metaphyſica: quæſtio verò quot ſint principia rerum naturalium,eſt phyſica)certè diſputatio contra eos,qui vnum principium immobile ſtatuũt, phyſica quidem non eſt,quia tollentes motum,tollunt naturam, quæ eſt principium motus,proinde tollunt principia naturalia: phyſicæ tamen confert,ideóque à nobis non eſt negligenda, vt & ſolutio argumentorum Parmenidis & Meliſſi, qui rerum principia theologicè,non phyſicè expoſuerunt.

21 ¶ Non eſt ignorandum, veteres, cùm numerum entium inueſtigarunt,nihil aliud quàm numerum principiorum inueſtigaſſe. nam de ente & de principio idem ſtatuerunt. vt putà Parmenides & Meliſſus ideo dicebant eſſe vnum ens, quia putabant vnum eſſe principium ex quo res conſtant.quocirca dum contra vnum ens immobile diſputabimus, ita noſtra diſputatio debet accipi, vt contra vnum principium immobile valeat.

CAP. III.

Non eſſe vnum ens, vt Parmenides & Meliſſus cenſuerunt.

22 NOn eſſe vnum ens immobile, vt Parmenides & Meliſſus exiſtimarunt, duobus argumentis probatur. Primò, Aut eſt tantùm ſubſtantia, aut tantùm accidens, aut vtrumque. ſi tantùm ſit ſubſtantia: nec eſt finita, vt dicebat Parmenides: nec infinita, vt aſſerebat Meliſſus. ſi tantùm accidens, quomodo conſiſtet ſine ſubiecto? ſi vtrumque ſit: certè non eſt vnum ens, ſed multa: quoniam aliud eſt ſubſtãtia, aliud accidens. Secundò, cùm vnum ſumatur vel genere, vt homo & equus; vel ſpecie, vt Socrates & Plato, vel numero, vt indumentum & veſtimentum, vel proportione, vt os & ſpina. Metaphyſic. lib. 4. cap. 7. profectò ſi dicatur eſſe vnum ens vel genere, vel ſpecie, vel proportione: ſine dubio multa erunt entia. nam quæ ſunt vnum genere, differunt ſpecie: & quæ ſunt vnum ſpecie, differunt numero: & longè magis differunt, quæ ſunt vnum proportione. Relinquitur vnum numero: quod vel vnum dicitur, quia eſt continuum, vt lignum indiuiſum: vel quia eſt indiuiſibile, vt punctum: vel quia eſt vna definitio, vt temeti & vini. Si eſt vnum continuum, diuidi poteſt in multas partes, quæ ſunt inter ſe diuerſæ, & (vt hoc obiter addam) etiam à toto differunt, quia totum non tantùm ſignificat partes ſimul acceptas, ſed etiam earum vnionem & compoſitionem certam. Phyſ. lib. 4. cap. 5. & de anima lib. 2. cap. 1. & Metaphyſ. lib. 4. cap. 14. & lib. 6. cap. 3. & c. vlt. & lib. 7. cap. 6. ſunt igitur entia multa. Si eſt indiuiſibile, non eſt quantum: proinde nec eſt finitum, vt vult Parmenides, nec infinitum, vt cenſet Meliſſus. Si verò omnia dicantur eſſe vnum definitione: ſequentur multæ abſurditates Heracliteæ. I. Vna & eadem erit eſſentia contrariorum, vt boni & mali. II. Eadem erit eſſentia contradicentium, vt boni & non boni. III. Contradicentia ſimul erunt in eodem ſubiecto: vt idem erit bonum & non bonum. IV. Idem erit res diuerſæ: putà erit homo, & equus. V. Secundum hãc ſententiam nihil erit: quia cùm contradicentia ſint ſimul vera: æquè dici poterit non eſſe, atque eſſe. VI. Confundentur categoriæ, & idem erit quantitas, & qualitas. Errarunt igitur Parmenides & Meliſſus: quia diſtinctionem entis, & vnius ignorarunt.

23 ¶ Ob eandem ignorantiam errarunt alij poſteriores philoſophi in quæſtione de vnitate vel multitudine entium: quia verebantur, ne inciderent in hanc abſurditatem, quòd idem ſit vnum & multa. cùm enim dicitur (exempli gratiâ) *homo eſt albus*, videntur duo dici, eſſe hominem, & eſſe album: & nihilominùs dicitur vnum hominem eſſe album. Quocirca Lycophron ſophiſta non audebat vti verbo *eſt*, nec dicebat, *homo eſt albus*, ſed, *homo albus*, detracta copula *eſt*. Quidam alij malebant dicere, *homo albeſcit*. Atqui cùm ens & vnum dicantur multis modis: nihil abſurdi ponitur, ſi dicatur idem eſſe vnum & multa diuerſo reſpectu: vt homo & albus ſubiecto ſunt vnum, definitione duo, item partes in toto coniunctę, actu vnum, poteſtate multa ſunt.

Cap. IV.

Solutio rationum Parmenidis & Meliſſi.

Cap. 3. 24 PArmenidis & Meliſſi rationes tam in materia peccant, quia ſumunt principia falſa, quàm in forma, quia non concludunt.

25 ¶ Meliſſus duas hypotheſes accepit. Prima eſt, vniuerſum eſſe ingenitum. Altera eſt, quod eſt genitum, habere principium. Priorem hypotheſim ex eo probauit, quòd ex nihilo nihil fit. non poteſt enim vniuerſum fieri ex alio, cùm nihil ſit præter vniuerſum: nec ex ſeipſo. quare ſi factum eſſet, ex nihilo factum eſſet: quod eſt abſurdum. His poſitis, ſic eſt argumentatus: Si vniuerſum non eſt genitum, non habet principium, vt probatur ex poſteriori hypotheſi: atqui nō eſt genitum, vt patet ex priori hypotheſi: ergo nō habet principium: conſequenter non habet finem: proinde eſt infinitum: ideóque eſt vnum, & immobile: quia cùm infinitum omnia occupet, nec aliud præter ipsū eſſe, nec locus, in quē migret, vacare poteſt. Elench. cap. 5. partic. 8. & c. 28. partic. 3.

26 ¶ In hac Meliſſi argumentatione Ariſtoteles notat multos errores. I. In maiore propoſitione per hypotheſim poſteriorem probandam Meliſſus fallaciā cōſequentis commiſit, ſic arguēs ab euerſione antecedentis ad ſubuerſionem cōſequētis: Quod eſt genitum, habet principium: ergo quod nō eſt genitum, nō habet principium. II. Falſa eſt poſterior illa hypotheſis, Quicquid eſt genitū, habet principium. nam Meliſ-

Meliſſus locutus eſt tā de generatione accidentaria,vt variatione,velnti cùm ex calido fit frigidum , quàm de eſſentiali, quæ propriè dicitur generatio , vt cùm fit homo : & tam de principio rei,quàm de principio temporis : quaſi non ſolùm quicquid fit,certo temporis momento fieri incipiat , verùm etiá certa eius pars priùs,aliæ deinceps gignātur:ſicut in generatione hominis primò gignitur cor , deinde aliæ partes. peccauit igitur Meliſſus, dum ita generaliter eá hypotheſim accepit:quia fatemur quidem in generatione ſubſtātię reperiri principium tam rei quàm tēporis , & in generatione accidentis ſemper reperiri principium temporis: ſed negamus in hac ſemper reperiri principiū rei:multa namque fiūt,non per partes,ſed(vt Græci loquuntur)ἀθρόως: vt glacies, & congelatio lactis. III. Non valet ea conſequētia:*Ens eſt infinitum, ergo immobile:*quia poteſt in ſeipſo moueri,vt aqua,quæ in vaſe circūuoluitur,& rota,quæ voluitur,ita vt nō migret in aliū locum,ſed ratione partium moueatur. Præterea moueri poteſt alio genere motus præter localē, putà caleſieri , aut alio modo variari. IV. Dum ex eo,quòd ens infinitum eſt,colligit eſſe vnum ens: vel accipit vnitatē ſecūdum formam , vel ſecundum materiam.Si ſecundū formam:falſum dicit.videmus enim multas res formâ differre,vt hominē,& equum.Si ſecūdum materiā:nihil ſingulare ponit:quia permulti phyſici idem ſtatuerunt : vt Anaximenes aſſerebat omnia eſſe aërem, id eſt , conſtare ex ſolo aëre , tamquàm materia prima: Thales dicebat omnia eſſe aquam,id eſt, conſtare ex aqua.vterque enim habuit rationem materiæ , in quâ ſola putabat eſſentiam rerum conſiſtere.Hæc dicta ſint contra Meliſſum: deinceps diſputandum eſt contra Parmenidem.

27 ¶ Parmenides quoq; duas hypotheſes accepit. Prima eſt,Ens ſignificat vnū.probatur:quia ens & vnum reciprocātur.Topic.4.c.1.partic.10.Altera eſt,Nihil eſt pręter ens.Hinc colligebat eſſe vnū ens.nā ſi multa eſſent,certè vel eſſēt multa entia, vel ens & non ens : quorum illud priori, hoc poſteriori hypotheſi aduerſatur : neutro igitur modo ſunt multa: proinde eſt vnum ens.

28 ¶ Ariſtoteles aduerſus dictā Parmenidis argumētationem quatuor obiicit. I. Falſa eſt prior hypotheſis:quoniam ens accipitur multis modis , nec ſignificat vnum, ſed multa:

putà vel accipitur pro ſubſtantia, vel pro quantitate, vel pro qualitate: & vel eſt ens per ſe, vel per accidens. Metaphyſ. 4. cap. 7. & Ethic. 1. cap. 4. Dicitur autem ens & vnum reciprocari, quatenus quodlibet ens, ſi per ſe ſpectetur, eatenus eſt vnum. ſed ſunt multa entia, & multa vna. II. Non valet conſequentia Parmenidis. aut enim accipitur ens latiſſimè, aut pro ſubſtantia, aut pro accidente, aut pro vtroque. Si latiſſimè accipiat: non valere conſequentiam oſtendi poteſt exemplo cuiuſdam entis, putà albi. Fac enim vnam eſſe albi ſignificationem, & nihil eſſe præter album: nihilominùs tamen erunt multa alba: quia ſaltem erit ſubiectum, & erit accidens in eo ſubiecto conſiſtens, nempe albor: quæ quidem duo, ſubiectum & accidens, neque ſunt vnum continuatione, (quia hoc modo fit vnum ex partibus integrantibus, cuiuſmodi partes non ſunt ſubiectum & accidens) neque definitione, (quoniam alia eſt definitio ſubiecti, alia accidẽtis, vt corporis, & coloris) neque Parmenides accepit vnum pro indiuiſibili, cùm dixit vnum eſſe ens: nec aliis modis ſumitur vnum, quod eſt maximè vnum, id eſt, vnum numero, de quo locuti ſunt Parmenides & Meliſſus. Quòd ſi Parmenides appellatione entis ſignificauit accidens: eius ſententiæ hoc abſurdum erit conſequens, quòd ſubiectum, in quo eſt accidẽs, non ſit: ſiquidem ſecundum eum eſt tantùm accidens, ſubiectum verò accidentis non eſt accidens. At ſi dicat eſſe vnum ens, id eſt vnam ſubſtantiam: certè accidens erit non ens: atqui accidens attribuitur ſubſtãtiæ: vt cùm dicitur corpus album: ergo non ens attribuetur enti, & ens dicetur eſſe non ens: vt cùm corpus dicitur album, ens, id eſt corpus, dicetur eſſe non ens, id eſt album. Denique ſi ſumat ens pro ſubſtantia & accidente: multa entia erunt, id eſt, tã ſubſtantia, quam accidens. III. Parmenides ſibi contradicit. ſtatuit enim ens habere magnitudinem finitam, & nihilominùs eſſe vnum. atqui ſi magnitudinem habet, partes habet: hæ verò ſunt inter ſe diuerſæ: proinde ſunt multa entia. IV. Etiamſi dicatur ens nõ habere magnitudinem, & partes integrantes, neceſſariò tamen habebit partes eſſentiales, quæ ſimiliter ſunt diuerſa entia propriè ſumpta. niſi enim hę partes ſint verè & propriè entia, & (vt Græci loquuntur) ὑπάρχοντα, id eſt ſubſtantiæ, erunt accidentia: quandoquidem inter ſubſtãtiam & accidens

cidens nihil eſt interiectum. Non eſſe accidentia ſic probatur exempli & perſpicuitatis cauſâ de partibus hominis: Si animal & rationale, quæ ſunt partes hominis eſſentiales, eſſēt accidentia: vel acciderent homini, vel alij cuiuis rei: ſed neque homini, neque alij rei poſſunt accidere: non ſunt igitur accidentia. Quòd non accidant homini, probatur: quia neq; ſunt eius accidētia propria, neque communia. Non ſunt accidentia communia, quia nequidem per intellectum poſſūt ab homine ſeparari, cùm omnia accidentia communia ſeparentur à ſubiecto. vtputà intelligere poſſumus coruū album: non tamen intelligere poſſumus hominē ſine ratione. Rurſus non ſunt accidentia propria: quia ponūtur in definitione hominis, conſeqnēter non definiūtur per hominem: propria verò per ſuum ſubiectum definiuntur. Poſter. lib. 1. c. 4. partic. 4. & cap. 6. part. . Quòd alij rei præter hominem non accidāt, patet, quia ſi animal & rationale alij rei acciderent, homo quoque eidem rei accideret, cùm homo nihil aliud ſit, quàm animal rationale: verùm homo, cùm ſit ſubſtantia, alij rei nō accidit: ergò neque eius partes eſſentiales, animal & rationale, alij rei accidunt. Quamobrem ſi vult Parmenides hoc argumentum vitare, neceſſe eſt vt ponat ens cōſtare ex principiis indiuiduis, id eſt, eſſe omnino indiuiſibile, ita vt nec habeat partes integrantes, nec eſſentiales. quæ ſententia falſa eſt. quamuis enim quidam exiſtimarint ens conſtare ex partibus indiuiduis, vt Zeno, & Xenocrates: eorum tamen ſententiam ſexto huius operis refutabimus.

29 ¶ Conſtat etiam eos errasse, qui cōſequentiam illam Parmenidis conceſſerunt: Si ens ſignificat vnum, omnia ſunt vnum: quaſi quod eſt præter vnum, ſit non ens, conſequenter non ſit. nos enim dicimus duplex eſſe non ens. aliud eſt non ens omnino & ſimpliciter, vt Chimæra: aliud non ens quiddam, vt non homo. quicquid igitur eſt, vel eſt homo, vel aliud quoddam ens. & ſicut eſt hoc ens, ita etiam eſt non ens, quod huic enti opponitur. verbi gratiâ ſicut homo eſt, ita etiam non homo eſt, id eſt (exempli cauſâ) equus, qui non eſt homo. Oſtendimus non eſſe vnum ens, ſeu non eſſe vnum principium. nam veteres ens & principium pro eodem acceperunt.

Cap. V.

Phyſicorum opiniones de rerum naturalium principiis,& earum examen.

Cap. 4.

30 HVcuſque dictum eſt de ſentẽtia Parmenidis,&Meliſſi, quæ phyſica non eſt.Phyſici autem in diuerſas abiêre ſententias.Alij ponũt vnam materiam,id eſt ignẽ,vel aërem, vel aquam, vel inter elementa medium quiddam:ex qua materia per rarefactionem & condenſationem dicũt omnia fieri. Plato duplicem facit materiam, magnum & paruum,vnam autem formam. Alij dicũt in vno eſſe contrarietates,quarum ſecretione res fiunt. ſic Anaximander ſtatuit vaporẽ quendam ex multis rerum ſeminibus cõſtãtem : quæ ſemina Mens diuina ſecernens,ſingulas res procreat.ſic Empedocles cenſet omnes res in ſphæro eſſe permixtas : quæ dum per diſcordiam ſeparantur, ex ſphæro fit mundus. ſic Anaxagoras infinitas partes ſimilares,quas ὁμοιομερείας appellat,in Chao collocat : quas abſtrahens Mens diuina, omnia creat.Hanc ſententiam examinare in præſentia libet.

30 ¶ Sumpſit Anaxagoras duas hypotheſes.Prima eſt ab omnibus conceſſa,ex nihilo nihil fieri. Secunda eſt, contraria ex ſe inuicem fieri,vt ex albo nigrum,& ex nigro album. Inde colligebat omnia in omnibus eſſe permixta. vt cùm ex nigro fit album,in eo nigro erant particulæ albæ , ex quibus hoc album fit:alioquin album ex nihilo fieret.

31 ¶ Aduerſus hanc ſententiam duæ ſunt obiectiones, quas ipſe Anaxagoras ſoluit. I. Obiicitur, quòd non videmus aliquid in ſuo contrario.vtputà non videmus partes albi in nigro. Reſpondet Anaxagoras non videri propter nimiam exiguitatem , propter quam fugiunt noſtros oculos, & noſtros ſenſus. II. Obiicitur, quòd res non magis hoc, quàm illo contrario vocabulo appellari poſſent,ſi tam contrarij quàm huius partes infinitas in ſe haberet. verbi cauſâ, ſi in nigro ſint infinitæ partes albi,cur vocatur potiùs nigrum, quàm album? Reſpondet Anaxagoras, rerum appellationem ſumi ab eo, quod exſuperat. vtputà in nigro eſt album & in albo eſt nigrum. ſed quia in illo eſt plus nigri, in hoc eſt plus albi : idcirco illud vocatur nigrum, hoc nominatur album. ceterùm nulla eſt in mundo res ſimplex & impermixta.

33 ¶ Ari-

33 ¶ Ariſtoteles contra Anaxagoram multis modis argumentatur I. Errauit Anaxagoras,ponens principia numero infinita:quia infinitũ cognoſci nequit: principiis autẽ ignoratis neceſſe eſt cetera,quæ ex principiis conſtant,ignorari,ita ſententia Anaxagoræ tollit omnẽ ſcientiam. II. Errauit, dum dixit ex qualibet re ſecretionem fieri in infinitũ, ita vt non detur minima pars. atqui cum totius magnitudo à partium magnitudine pendeat,cúmque non poſſit totũ eſſe maioris vel minoris magnitudinis,quàm ferat eius forma: certè nec partes eius,quantumuis magnæ, aut quantùmuis exiguæ eſſe poſſunt:ſed neceſſariò tantæ ſunt,quantæ poſſunt totum conſtituere. eſt igitur certus totius & partium terminus,vltra quem nec minui nec augeri poſſunt. Si obiicias omne continuum poſſe diuidi in infinitum, vt probabitur ſexto huius operis:reſpondebo, exempli gratiâ, minimam carnem, vel minimum os poſſe quidem diuidi, quatenus continua ſunt, ſed per eam diuiſionem tolli formam carnis,& oſſis.idcirco ea minima carne non dari carnem minorem, & eo minimo oſſe non dari minus os. III. Non eſſe,vt dicebat Anaxagoras, omnia in omnibus,ſic probatur:Ex certa aquæ quantitate ſecernatur caro. cùm igitur per hanc ſecretionem pars aquæ detrahatur.ſine dubio minus aquæ manebit, quàm eſſet ante ſecretionem.finge decimam aquæ partem eſſe adeptam.pergatur autem in ſecernendo,ac ſemper ex aquâ reſiduâ dematur decima eius pars.ita fiet,vt ſemper minor caro ſecernatur, quia cùm totum ſit minus,quota eius pars, puta decima, neceſſariò eſt minor.tandem igitur perueniemus ad minimam carnem,qua minor dari nequit.ſecreta hac minimâ parte carnis,quæro ex Anaxagora, an ex aqua reſidua poſſit caro ſecerni.ſi neget poſſe,habeo quod volo,non eſſe omnia in omnibus:quia non eſt caro in reliqua aqua. ſi dicat poſſe, certè caro,quæ ſecernetur, aut erit maior quàm illa minima nouiſſimè ſecreta, aut æqualis, aut minor. ſed neque maior eſſe poteſt,(quia ſumitur ex minori toto,& ſupponimus ſemper ſumi decimam partem, quî verò fieri poteſt, vt decima pars minoris totius ſit maior, quàm decima maioris toius) neque minor,(quia non datur minor minimâ) erit igitur æqualis. quare ſecretio carnis vel eandem conſiſtet contra ſententiam Anaxagoræ, vel carnes magnitudine finita &

vnū ens immobile, tamē ſecundum opinionem & ſecūdum ſenſum duo illa poſuit.Pleriq; phyſici poſuerunt rarū & denſum.(nam qui dicebāt ignem,vel aërem,vel aquam, vel medium quiddā elementis interiectum,eſſe primum rerū principium,eius rarefactione vel condenſatione omnes res conſtituebant,exempli causâ,aër rarefactus fit ignis, cōdenſatus fit aqua).Democritus(quem poſteà ſecutus eſt Epicurus) poſuit ſolidum,quod habet rationem entis.i.atomos, & inane, quod habet rationē non entis.quinetiā infinitas illas atomos contrarietatib.quibuſdā partim ad figurā,partim ad ſitū,partim ad ordinē pertinentib.diſtinguebat:etenim figurâ differunt,quatenus aliæ ſunt angulis præditæ,aliȩ angulis carent: itē aliæ ſunt rectæ,aliæ obliquæ.ſitu differunt, quatenus aliæ ſunt ſuprà,aliæ infrà:& aliæ antè,aliæ retrò.ordine differunt, quatenꝰ aliæ ſunt priores,aliæ poſteriores.Omnes igitur philoſophi principia contraria ſtatuunt: tam hi, qui vnū principium ponūt,ſiue immobile,vt Parmenides,ſiue mobile, vt Phyſici:quàm hi,qui infinita principia ponūt,vt Democritꝰ.

II.Eadē hypotheſis probatur hoc ſyllogiſmo:Quæ talia ſūt, vt nec ex ſe inuicē fiant,nec ex aliis fiant, cùm omnia fiāt ex ipſis,ea ſunt prima principia:atqui prima contraria nec ex ſe ipſis fiunt,nec ex aliis,& omnia ex ipſis fiunt:ergo prima cōtraria ſunt prima principia. Maior propoſitio manifeſta eſt. Minor probatur per partes.In primis prima contraria nō fiūt ex ſe inuicem:quia contrarium non fit ex cōtrario, vt album ex nigro.ſubaudi, tamquàm ex materia. Rurſus non fiunt ex aliis:quia quod ex alio fit,nō eſt primum,ſed eſt poſteriùs eo, ex quo fit.Deniq;omnia ex ſeipſis fiūt:quia quicquid fit,ſi per ſe non per accidens loqui velimus,ex cōtrario fit,vel ex medio,quod habet rationē contrarij.ſubaudi,tāquàm ex termino à quo.hoc autē per inductionē probatur.fit enim aut ſimplex,vt album,aut compoſitum,vt domus. compoſitum autē vel proportione,vt cōcentus harmonicus conſtat ex proportione ſonorum muſicorum:vel ordine,vt exercitus:vel compoſitione propriè dicta,vt domus.hæc autem omnia fiunt ex cōtrariis: vt ex non albo,id eſt ex nigro,vel medio colore,fit album:ex non harmonico fit harmonicum: ex eo quod non eſt ſtatua,fit ſtatua:ex non ædibus fiunt ædes.

35 ¶ Diximus veteres philoſophos principia cōtraria ſta-

tuiſſe. non tamen omnes reſpexerunt ad eadem cõtraria: ſed alij ſumpſerunt priora, & intellectui notiora, id eſt magis vniuerſalia, vt Pythagoras impar & par, Empedocles diſcordiã & amicitiã, Plato magnũ & paruũ: alij poſteriora, & ſẽſui notiora, id eſt minùs vniuerſalia, vt Parmenides calidũ & frigidũ, Diogenes humidũ & ſiccũ, Thales & Anaximenes rarũ & dẽsũ. apparet igitur, veteres inter ſe diſſẽſiſſe, dũ alij alia principia poſuerũt: quæ tamẽ diuerſa principia, proportione ſunt eadẽ, quatenꝰ omnia ex claſſe cõtrariorũ ſumuntur. quã enim rationẽ habet (exempli gratiâ) impar ad par, & vtrumque ad numerum, qui dicitur par vel impar, eãdem habet calidũ ad frigidũ, & vtrumque ad corpus quod recipit calorẽ & frigus.

36 ¶ Ex dictis oritur dubitatio. nam cap. 1. dictum fuit vniuerſalia eſſe notiora ſecundum ſenſum, nunc autem dicimus vniuerſalia eſſe notiora intellectui. Reſpondeo, cùm totum ſit notius ſenſui, ſicuti eodem c. 1. dictum fuit, vniuerſale autem cum particulari comparatum, partim habeat rationem totius, quatenus multa particularia ſub ſe complectitur, partim habet rationẽ partis, quatenus ſpecies ex genere & differentiis conſtat, vt Porphyr. docet cap. 2. partic. 39. & c. 3. partic. 17. inde fieri, vt vniuerſale priori ratione ſit notius ſenſui, poſteriori autem ratione ſit notius intellectui. Oſtenſum eſt principia eſſe contraria.

Cap. VII.

Principia eſſe duo, vel tria.

Cap. 6. 37 NVnc principiorum numerum ex ſententia Ariſtotelis explicemus. Nõ eſſe vnum principium, ex eo probatur, quod oſtenſum fuit principia eſſe contraria: contraria namque non ſunt vnum.

38 ¶ Principia non eſſe infinita, probatur I. Per deductionem ad abſurditatẽ: quia ſi principia infinita ſint, ſcientia nulla erit, vt dictum fuit initio axiomatis. 33. II. Quia in vno quoque genere eſt vna prima cõtrarietas: atqui ſubſtãtia eſt primum entis genus: ergo in ſubſtãtia eſt vna prima contrarietas, vt forma & priuatio. ſub qua contrarietate reliquæ continentur. III. Quia omnium effectuum naturaliũ cauſę afferri poſſunt ex principiis finitis: proinde non eſt opus infinitis. fruſtrà namq; fit per plura, quod æquè fieri poteſt per pauciora. IV. Si prima principia eſſent infinita, cùm probatũ ſit prin-

ſit principia eſſe contraria,certè omnia contraria eſſent prima principia.quod tamen falſum eſt:quia alia ſunt contraria priora, alia poſteriora, quæ ex prioribus fiunt, vt album & nigrum.

39 ¶ Non ſufficere duo principia, quæ iam oſtendimus eſſe contraria,probatur. I. Quia ſi tantùm eſſent duo contraria: quicquid fieret, cùm non poſſit fieri ex nihilo, fieret ex ſuó contrario: quod eſſe abſurdum, iam notaui axiomate 34. II. Quia principia non ſunt accidentia, ſed rerum eſſentiæ: in ſolis autem contrariis, nullius rei eſſentia reperiri poteſt. Si obiicias colores medios,vt rubrum aut viride,conſtare ex contrariis,id eſt,ex albo & nigro: reſpondebo hæc eſſe accidentia, nos verò loqui de ſubſtantiis. III. Quia in ſubſtãtia non eſt contrarietas,Categ.c.5.partic.18. cõtrariæ igitur non ſunt ſubſtantiæ.quare ſi omnia principia eſſent contraria:ſequerentur hæ abſurditates,ſubſtantiam fieri ex non ſubſtantiis,& non ſubſtantias eſſe priores ſubſtantiis.

40 ¶ Ex dictis conſtat non ſufficere duo contraria principia,ſed inſuper opus eſſe tertio aliquo principio,quod neutri eorum ſit contrarium,ſed modò recipiat vnũ ex illis contrariis,modò alterum. quam veritatem non ſolùm Ariſtoteles,ſed & alij philoſophi nouerunt. omnes enim poſuerũt aliquod ſubiectum,putà aërẽ, vel aquam, quod ſuſcipiat contraria,putà condenſetur,& rareſiat.ſed in eorũ ſententiis duplex diſcrimen notari poteſt. I. Alij poſuerũt ſubiectũ contrariis differentiis magis implicitum,alij minùs.atque hi rectiùs locuti ſunt:quia vt ſubiectũ poſſit ęquè recipere omnia cõtraria,per ſe debet eſſe ab omnib.ſeiunctũ.Itaq;rectiùs pro, principio ponitur aliquid mediũ inter elemẽta,quàm vnum ex elemẽtis: & rectiùs aër, quàm aqua: necnon rectiùs aqua quàm ignis. II. Veteres philoſophi dixerunt vnũ ſubiectum pati,duo contraria efficere. Plato autem duo contraria,id eſt magnum & paruum pati:vnum,id eſt ideam efficere.

41 ¶ Non eſſe plura trib.principiis, probatur:quia cùm iã inuenerimus tria principia,id eſt duo contraria,&vnũ ſubiectũ:ſi nũc velimus plura principia ponere, vel multiplicabimus cõtraria,vel ſubiectũ: quorũ neutrum dicẽdum eſt. non ſũt.e.multiplicãda ſubiecta,cùm vnũ ſufficiat,ne fiat per plura,quod poteſt fieri per pauciora. quid.e.vetat, vnũ ſubiectũ

recipere per vices ambo contraria?vt eadem aqua modò recipit calorem, modò frigus. rurſus non ſunt multiplicanda contraria,quod probatur duobus argumentis. I. Quia ſufficit vna contrarietas,quæ inter duo contraria ſpectatur. nam ſi ponas duas contrarietates,ita vt ſint quatuor contraria:aut vtraque contrarietas habebit proprium ſubiectum,ita vt ſint duo ſubiecta:aut ambæ vnum cõmune ſubiectum habebunt. ſed neque duo ſubiecta ſunt ponenda, quia iam diximus vnum ſufficere:neque vnũ ſubiectum quatuor contrariis,quia ſuprà docui omnia fieri ex ſubiecto & duobus contrariis, adeo.vt reliqua duo contraria ſint ſuperflua. nullo igitur modo ponenda ſunt plura,quàm duo contraria. II. Quia quærimus prima principia,id eſt primi entis, nempe ſubſtantiæ, in quo eſt vna prima contrarietas, vt dictum eſt initio axiomatis 38.Sic probatum eſt ſufficere vnam contrarietatem, id eſt duo cõtraria: & anteà probatum fuit ſufficere vnum ſubiectum:vnde conſtat ſufficere tria principia,neceſſe plura.

Cap. VIII.

Quot & quæ ſint principia rerum naturalium ex ſententia Ariſtotelis.

Cap.7. 42 VT intelligatur quodammodò duo, quodammodò tria principia dici poſſe,quædam ſunt præmunienda. I. Alia eſt generatio eſſentialis, qua fit aliud ex alio, vt homo ex ſemine:alia accidẽtalis, quâ fit diuerſum ex diuerſo,vt albũ ex non albo. II. Termini generationis duo ſunt, videlicèt τὸ γινόμενον, καὶ ὃ γίνεται.Latinè vocemus id quod fit, & id in quod mutatur,ſeu cuius eſt generatio. vt cùm homo fit muſicus,homo eſt τὸ γινόμενον, ſeu id quod fit:muſicus verò eſt ὃ γίνεται,ſeuid in quod mutatur.ſimiliter cùm dicimus ex non muſico fieri muſicum: non muſicus eſt id quod fit, muſicus verò eſt id in quod mutatur. III. Termini generationis aut ſunt ſimplices,aut compoſiti.exempli gratiâ,ſi dicas, *homo fit muſicus*,vel,*ex non muſico fit muſicus*:termini ſimplices ſunt,at ſi dicas,*homo non muſicus fit homo muſicus*:vel ex homine non muſico fit homo muſicus,ſunt termini compoſiti. ſin autem dicas:*homo non muſicus fit muſicus:* alter eſt terminus compoſitus, nempe homo non muſicus: alter ſimplex, nempe muſicus. IV. Id quod fit, modò effertur tam in recto caſu quàm in obliquo:

bliquo: veluti,non muſicum fit muſicum, & ex non muſico fit muſicũ:modò tãtùm in recto, vt, homo fit muſicus,nõ,ex homine fit muſic⁹:modò tãtùm in obliquo, vt,ex ære fit ſtatua,nõ,ęs fit ſtatua. V.Simplex τὸ γινόμενον eſt in duplici differentia:quoddam enim permanet, vt cùm homo fit muſicus, manet homo: aliud non permanet, vt non muſicum perit, cùm ex non muſico fit muſicus.His pręmunitis,iam de principiis dicamus:& primò generationis, ſeu ex quib. res fiunt: poſteà de principiis,ex quibus res conſtant.

43 ¶ In omni generatione neceſſe eſt aliquid ſubiici, quod fiat.atque hoc eſt numero vnum: ratione duo,quia diuiditur in partem permanentem,& partem non permanentem. veluti cùm homo non muſicus fit muſicus: ſubiectum quod fit, eſt homo non muſicus: & homo quidem permanet, etiam poſtquam muſicus factus eſt: non muſicus verò non permanet.

44 ¶ Id quod permanet, tantùm effertur in recto caſu, vt, *homo fit muſicus:* vel tantùm in obliquo, vt, *ex ære fit ſtatua.* quod verò non permanet,vtroque modo dicitur:vt,*non muſicum fit muſicum*,&, *ex non muſico fit muſicum.* Item compoſitum pronunciatur vtroque modo: veluti, *homo non muſicus fit muſicus:*&,*ex homine non muſico fit homo muſicus.*

45 ¶ Quod dixi, in omni generatione requiri aliquod ſubiectum,per inductionem probari poteſt.

46 ¶ Principia igitur generationis ſunt, id quod fit, & id in quod mutatur.Id quod fit, eſt ſubiectum priuatione affectum.id in quod mutatur,eſt forma. Quare tria ſunt generationis principia:id eſt,materia,quæ eſt ſubiectum:& priuatio, quæ eſt terminus à quo:& forma, quæ eſt terminus ad quem.

47 ¶ Principia,ex quibus res per ſe & eſſentialiter conſtant,ſunt materia & forma.nam res ex priuatione non conſtat:ſed priuatio adueniente formâ perit. ac priuatio materiæ accidit,quatenus materia eſt priuata formâ. ſed materia magis ad ens accedit,quàm priuatio.forma verò eſt omnino vnum principium.

48 ¶ Ex dictis conſtat, principia eſſe contraria, & non contraria. nam termini, à quo & ad quem, vt non muſicum & muſicum,ſunt contrarij. materia verò & forma,ex quibus

res conſtant,vt homo & muſicus,non ſunt contraria.

49 ¶ Rurſus conſtat, quodammodò duo, quodammodò tria eſſe principia. numero namque duo ſunt: videlicèt id quod fit,& id in quod mutatur. ſed id quod fit, cùm ſit ſubiecto vnum,ratione ſunt duo,id eſt,materia & priuatio:adeo vt hac ratione tria ſint principia,materia,priuatio,forma.

50 ¶ Materia prima per proportionem cognoſcitur. vt enim ſe habet materia ſecunda, putà æs ad ſtatuam, & lignum ad lecticam: ita etiam ſe habet materia prima ad ſubſtantiam & ens.

Cap. IX.

Erroris,in quem veteres philoſophi ob principiorum ignorationem inciderunt,diſſolutio.

Cap.8. 51 EXpoſita principiorum doctrina valet ad diſſoluendam veterum dubitationem,qui ſic ratiocinabantur: Si quid fit:aut fit ex ente,aut ex non ente. ſed nec fieri poteſt ex ente,quia quod eſt,non fit,& quod fit,nondum eſt: neque ex non ente,quia ex nihilo nihil fieri omnes philoſophi concedunt. nihil igitur fit: conſequenter vnum eſt ens, quod ſemper idem manet, licèt videantur plura eſſe entia, quia variæ formæ in vno illo ente modò occultantur, modò patefiunt. Hæc dubitatio ſoluitur ab Ariſtotele duobus modis.Primò per diſtinctionem eius quod eſt per ſe vel per accidens.Secundò per diſtinctionem potentiæ & actus. Quod ad priorem ſolutionem ſpectat: quemadmodum ens non fit per ſe, quia iam eſt, ſed fit per accidens, quatenus accidit ei quod fit: (vtputà dum fit homo, fit ens, quia homo eſt ens, non tamen fit ens ſimpliciter) ita etiam ex ente vel ex non ente fit per accidens id quod fit.etenim fit ex materia, quæ per accidens non eſt ens, quatenus ſcilicèt ei accidit priuatio,quæ non eſt ens. Rurſus fit ex non ente, id eſt, ex priuatione,non quatenus priuatio eſt non ens, ſed quatenus accidit enti, id eſt materiæ. Quod ad poſteriorem ſolutionem pertinet:id quod fit,ex eo fit quod eſt poteſtate, non actu: id eſt, ex materia, quæ actu priuationem habet, poteſtate verò formam, quoniam eſt apta ad formam, qua priuata eſt, recipiendam.

Cap.

CAP. X.

Reliqua de principiis naturalibus.

52 ALij quoq. philoſophi præter Ariſtotelẽ, materiam primã aliquo modo nouerũt. ſed eorum cognitio eſt imperfecta, & quibuſdam erroribus polluta. I. Namque acceperũt materiã pro ente, vt Parmenidis argumẽtũ vitarẽt: cũ enim Parmenides ſic argumẽtaretur: Quicquid eſt pręter ens, nõ eſt ens: ergo ſi fieret ens, fieret ex nõ ente: hoc cõceſſerũt, tanquàm verũ ſimpliciter, ens fieri ſimpliciter ex nõ ente, id eſt ex materia, quã putarũt eſſe nõ ens. nos verò iã docuim⁹ nihil fieri ſimpliciter ex non ente, ſed per accidens: item materiam habere rationem entis: priuationem verò, non entis. II. Non diſiunxerunt inter vnum numero, & vnum poteſtate: ſed quia ſubiectum eſt numero vnum, putarunt eſſe omnino & ſimpliciter vnum. nos autem oſtendimus ſubiectum, quod eſt vnum numero, eſſe duo ratione ſeu poteſtate: quoniam aliud eſt materia, aliud priuatio, quæ materiæ accidit. Si quis obiiciat Platonem quoque poſuiſſe ſubiectum duplicis rationis ſeu poteſtatis: quoniam id duplici nomine ſignificauit, appellans magnum & paruum: reſpondebo, nihilominùs Platonem erraſſe: quia magni & parui appellatione ſignificauit ſolam materiam, nulla habita ratione priuationis. quapropter tria Platonica principia, magnũ & paruũ, & idea, differũt à tribus principiis Ariſtotelicis, materiâ, priuatione, & formâ. Cap. 9.

53 ¶ Neque verò paruum eſt diſcrimen inter materiam & priuationem. I. Namque materia vnà cum forma eſt cauſa rem perficiens, priuatio verò rem non efficit, ſed potiùs interimit, quippe quæ formam, id eſt, rei eſſentiam tollit. II. Forma eſt res bona, diuina, & expetẽda: priuatio verò eſt ei contraria, quæ eam non appetit, quandoquidẽ nihil appetit ſuum contrarium, à quo perimitur, alioqui ſuum ipſius interitum appeteret, quod non eſt dicendum: materia autem formam expetit, quia per eam perficitur. vt enim fœmina, quò perfectior fit, cupit eſſe maſculus: & quod eſt deforme, cupit eſſe pulchrum: ita materia, quæ ratione priuationis ſibi accidentis eſt deformis, per formam ornari expetit. III. Cùm res gignitur, priuatio interit, materia verò non interit, quia non per ſe, ſed ratione priuationis eſt ortui & interitui obnoxia.

loquimur enim de prima materia,quæ definitur primum cuiuſque rei ſubiectum,ex quo inſito res fit per ſe,non per accidens. Dico *ſubiectum*,vt ſeparem materiam à forma. Dico *primum*,vt ſeiungam materiam primam à ſecunda. Dico *ex quo inſito res fit*,vt diſtinguam materiam à priuatione. Dico *per ſe, non per accidens*, vt ſecernam generationem eſſentialem ab accidentaria. materia namque prima ideo dicitur, quia ſubſtantia ex ea fit.

54 ¶ Dictum eſt de prima materia. prima verò forma non ad phyſicum,ſed ad metaphyſicum pertinet, vt notaui ſup.axiom.10.de naturalibus autē formis poſteriùs agemus.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XVIII,

NATVRALIS AVSCVLTATIONIS SECVNDVS.

CAP. I.

De natura, & eo quod habet naturam, vel eſt ſecundùm naturam.

Cap. 1. CVM natura ſit vocabulum πολύσημον. Metaph. 4. ca.4. Themiſt. & Simplic. hîc,& cap. ſeq. Boët. in lib.de duab.naturis, Auer. in Epit. Metaph. Auicen. 1. ſufficientiæ, cap. 6. hoc loco accipitur pro principio interno,vnde res habet, vt moueatur,vel quieſcat. hanc ſcholaſtici vocant naturam naturatā,quemadmodum Deum appellant naturā naturātem.

2 ¶ Hæc natura ab eſſentia & quidditate,non re, ſed ratione differt. nam propriè loquendo,quatenus facit rem eſſe id quod eſt,vocatur eſſentia: quatenus autem ponitur in definitione

finitione explicante quid res ſit,appellatur quidditas: deni-que quatenus eſt cauſa motionis,dicitur natura.

3 ¶ Cùm autem conſtet quaſdam res moueri, ſuperiori lib.cap.2. partic. 6. conſtat etiam eſſe naturam, quæ eſt illius motus cauſa & principium.

4 ¶ Naturam alij aliter definiunt, teſte M. Tullio lib.2. de nat.Deor.nos,aliorum definitionibus reiectis,(vt Mercurij Triſmegiſti,& Pythagoræ, qui exiſtimarunt naturam eſſe vim quandam, ſeu formam abſolutam à prima cauſa, per omnes mundi partes diffuſam. Auic.1.Suffic.cap.7.Albert.hîc, tract.1.cap.5.& Zenonis qui naturam ita definiuit,vt eam diceret ignem eſſe artificioſum ad gignendum progredientem via,referente Cic.2.de natu.Deor.)Ariſtoteleam definitionem amplectimur, ac dicimus naturam eſſe principium motus internum,primum,& per ſe,non per accidens. Cùm dicimus principium internum,& per ſe: diſtinguimus naturam ab arte,quæ eſt principium externum,(vt cùm faber efficit lecticam)vel eſt internum per accidés, (veluti cùm medicus medetur ſibi ipſi,quoniam accidit medico vt ægrotet) quinetiam ſecernimus naturam à caſu & fortuna, quæ ſunt principia per accidens,vt exponetur c.5. & quidem externa: quandoquidem referuntur ad genus cauſæ efficientis, cap.6. partic.11. II. Denique natura ſeiungitur ab omnibus cauſis externis. Cùm dicimus primum,ſeiungimus naturam à principio ſecundo,id eſt,à qualitate,à qua eſt motus.vt cùm terra deſcendit,natura terræ eſt cauſa prima,grauitas autem eſt principium ſecundum,quia natura terræ eſt cauſa grauitatis.

5 ¶ Ardua quæſtio eſt, quomodo principium accipiatur in hac definitione, id eſt, intelligatúrne principium actiuum,an paſſiuum, an vtrumque. nam omnes hæ ſententiæ ſuos habent auctores.nos poſtremam interpretationem probamus,ac dicimus naturam in viuentibus.eſſe principiú tam actiuum,quàm paſſiuum:in reliquis tantùm paſſiuum: quandoquidem viuentia mouentur à ſeipſis, vitæ expertia mouentur ab aliis.Phyſ.8.cap.4.

6 ¶ Quæritur præterea, num motus cœli ſit naturalis, & qua ratione naturalis dici poſſit. Nos cum Ariſtotele dicimus motum cœli eſſe naturalem.2.de cœlo,c.2.Et ſiquidem cœlú accipiatur pro aggregato ex intelligentia & corpore

cœleſti,vt 2.de cœlo,c.12. habet in ſe principium motus tam actiuum,id eſt,intelligentiam,quàm paſſiuum, id eſt,corpus. ſin autem (vt plerumque) cœlum ſumatur pro ſolo corpore, (quonia intelligentia non eſt forma informans,ſed aſſiſtens, vt nauta naui)tantùm habet principium paſſiuum.

7 ¶ Inſuper quæritur,an hęc naturæ definitio conueniat animæ.Nos aſſerimus animam eſſe naturam:quoniã eſt actiuum principium internum motus,& eſt forma informans,vt alibi demonſtrabitur.Ceterùm formæ aſſiſtenti,vt nautæ, & cœleſti intelligentiæ, hæc definitio non conuenit. Non moueor eo,quòd nauis,cùm habeat in ſe nautã,videtur nautã eſſe internum principium motus: hæc enim eſt per accidens, vt nauta ſit in naui, cùm non ſit pars nauis: nos autem principium internum vocamus,quod eſt internum per ſe,id eſt,quod eſt pars eſſẽtialis rei,vt materia & forma.Excipimus ergo animam intellectiuam,quatenus intellectiua eſt.n.etſi ratione eſſentiæ eſt forma informans,tamen ratione facultatis eſt abiuncta à materia,& à motu 10. de partib.animal. c.1.

8 ¶ Dubitatur cur motus violenti non ſint naturales, vt cùm terra ſurſum fertur: ſiquidẽ habet huius motus principium internum paſſiuum,id eſt,materiam.Reſpondeo,materiam ſpectari debere,non per ſe,ſed vt eſt per formam informata:& quamuis materia terræ,ſi per ſe ſpectetur, æquè poſſit ſurſum ac deorſum ferri:quatenus tamen formã terrę iam recepit,non poteſt vllo modo dici principium aſcenſus, ſed tantùm deſcenſus:quia hæc forma eſt cauſa grauitatis:grauitas autem eſt inſtrumentalis cauſa deſcenſus.

9 ¶ Quod dixi de motibus violentis,idem dicendum de motibus artificioſis.nam hi quoque ſunt violẽti, veluti cum lignum cæditur,vt ex eo fiat ſtatua.Denique vt motus dicatur naturalis, non ſufficit rem poſſe eo motu cieri: ſed opus eſt,vt motus ſit eius naturę,id eſt,formę conſentaneus:quod ita demum eſt,ſi conueniat ei qualitati, quæ eſt inſtrumentalis cauſa motus,vt grauitati,aut leuitati.

10 ¶ Inſuper quæritur, an natura ſit in quacumq; re principium tã motus,quàm quietis.Reſpõdeo,datam naturæ definitionem ſic eſſe intelligendã:vt ſi res moueatur, natura ſit principium motus.ſi quieſcat, ſit principium quietis. ſi verò modò moueatur,modò quieſcat:ſit principiũ motus,& quie-

tis.ſe-

tis.ſecundum hanc expoſitionem natura eſt in cœlo principiū tantùm motus, in animalibus & pleriſque aliis rebus eſt principium motus & quietis. Ergo particula *&* in naturæ definitione poſita, tam diſiunctionis, quàm coniunctionis vim habet.

11 ¶ Adhæc quæritur, vtrùm quies in definitione naturæ ſumatur propriè pro priuatione motus in ſubiecto apto ad recipiendū motū, an etiā includat immobilitatē, quæ cōuenit rei nō recipienti motū. Reſpōdeo, nullā eſſe rem naturalē, quę ſit omnino expers motus: proinde quietem accipio in ſignificatione propria. quod.n. eſt immobile, nō eſt naturale.

12 ¶ Naturam habēt, quæcumque in ſe principium illud motus habent, per quod naturam definiuimus. atque hæc omnia ſunt ſubſtantiæ corporeæ ex materia & forma conſtātes. natura namque dicitur & de materia, quæ eſt ſubiectū: & de forma, quæ eſt in ſubiecto. Ne intelligas hic ſubiectum accidentium, quod eſt ſubſtantia compoſita ex materia & forma: ſed ſubiectum formæ, quod eſt materia.

13 ¶ Hoc, quod naturam habet, eſt ſubiectum, in quo Phyſica verſatur.

14 ¶ Secundum naturam dicuntur tam hæc, quæ naturam habent, quàm eorum propriæ affectiones, quæ eis per ſe inſunt ſecundo modo dicendi per ſe.

15 ¶ Natura in formam & materiam diuiditur. I. Igitur materia eſt natura rei materiatæ: vt probatur veterum auctoritate, qui non ſolùm dixerunt materiam eſſe naturam, ſed etiam ſolam eſſe naturam, quaſi omnes formæ ſint accidentia. Exempli gratiâ, lignum eſt natura lecticæ, forma verò lecticæ eſt accidens. quod quidem Antipho probabat argumento à coniugatis: quia natura dicitur à naſcendo, Græcè φύσις ἀπὸ τοῦ φύεσθαι. quòd ſi lectica ex ligno viridi facta ſit, atque ex ea defoſſa aliquid naſcatur: certè non naſcetur lectica, ſed lignum lecticæ formâ carens. Quocirca qui putarunt vnam eſſe materiam, putà aërem, vel aquā, conſequēter dixerunt vnam eſſe naturā. qui verò multas vel infinitas materias ſtatuerunt, ſimiliter multas vel infinitas naturas poſuerunt. Naturā autem, ſiue vna ſiue multiplex ſit, æternam eſſe pronunciarunt, dicentes eā nec gigni nec interire per ſe, ſed ratione accidētiū mutationē circa ipſa fieri, quoniā accidētia

infinities in materiâ gignuntur,& intereunt. Hanc veterum ſententiam probamus,quatenus dixerunt materiam eſſe naturam,non quatenus ſoli materiæ hoc tribuerunt. Secundò namque natura dicitur de forma. immò ſecundum Ariſtotelem magis forma,quàm materia,eſt natura, quæ ſententia confirmatur tribus argumentis. Primum argumentum eſt: quia ſicuti dicitur aliquid non eſſe ſecundum artem,niſi habeat formam artificioſam : (vtputà non dicitur lectica, niſi habeat formam lecticæ , quamuis adſit materia ; id eſt , lignum) ita non dicitur ſecundum naturam , niſi habeat formam naturalem. vtputà nõn dicitur caro , niſi habeat formam carnis.patet igitur , non ſolùm naturæ nomen cõuenire formæ , ſed etiam magis ei competere , quàm materiæ. Secundum eſt argumentum Antiphontis, quod contra eum retorquetur. etenim ſi lectica non eſt natura, lignum autem eſt natura,quia (vt dicebat Antiphon) ex lignea lectica naſcitur lignum,non lectica: certè forma ligni eſt natura. Itidémque forma hominis eſt natura:ſiquidem ex homine homo naſcitur.Eadem eſt ratio aliarum formarum naturalium. Forma verò lecticæ ideo non eſt lectica, quia non eſt forma naturalis,ſed artificioſa.Tertium argumentum ſumitur a generatione,quæ vocatur natura, Græcè φύσις, eò quòd eſt via ad naturam, id eſt, ad formam. ſi igitur generatio propter formam appellatur natura, multò magis forma dici poteſt natura.

16 Quòd ſi forma eſt natura, etiam priuatio aliquo modo eſt natura, non quatenus eſt priuatio, ſed quatenus accidit formæ. Verbi gratiâ priuatio animæ eſt natura, quatenus accidit formæ ſeminis. Forma namque ſeminis includit priuationem animæ,ac perit adueniente animâ.ſemẽ igitur, quatenus habet formam ſeminis,non habet formam animę, ſed eſt aptum ad eam formam recipiendam.ſic enim accipitur priuatio,id eſt non pro pura negatione,ſed pro aptitudine ad formam recipiendam.nec aliter eſt accipiẽdum,quod ſuprà dictum fuit,materiam,priuſquàm accipiat formam,eſſe affectam priuatione : non enim materia eſt vmquàm per ſe ſine omni forma:ſed dum habet aliquam formam , dicitur eſſe priuata aliâ formâ,ad quam recipiendam apta eſt.

CAP. II.

Quomodo phyſicus diſtinguatur à mathematico, & à primo philoſopho, & circa quid verſetur.

17 EXpoſitis principiis naturalibus, materiâ, formâ, & Cap. 2.
priuatione, diſtinguendus eſt phyſicus à mathematico. cum enim mathematicarum diſciplinarum aliæ ſint ſuperiores, quas vocant ſubalternantes, vt geometria & arithmetica, aliæ inferiores, quas appellant ſubalternatas, vt optica & muſica: dubitatur, quomodò ab vtriſque phyſica ſeparetur. nam puncta, lineæ, ſuperficies, & ſolida, quæ cõſiderantur à geometra, reperiuntur in rebus naturalibus. rurſus aſtrologia tractat de Sole, & Luna, quæ ſunt res naturales. Nec dici poteſt phyſicum explicare Solis & Lunæ eſſentiam, aſtrologum declarare eorundem accidentia: quia phyſicus tam accidentia, quàm eſſentiã conſiderat. Ad propoſitam quæſtionem ſic reſpondemus: Phyſicus cõſiderat lineas, ſuperficies, & cet. quatenus ſunt in materia, id eſt, quatenus ſunt termini corporis naturalis: Geometra verò eadem conſiderat per ſe, & in abſtracto. nec propterea eſt reprehendendus: quoniã hæc per intellectum poſſunt abiũgi à materia. verùm hi potiùs ſunt reprehendendi, qui ideas ponunt, propterea quòd abſtrahunt a materia formas naturales, quæ non poſſunt abſtrahi, vt mathematicæ. Aſtrologus autem lineas, ſuperficies, & cet. ſumit à geometra, eáque accommodat rebus naturalibus, vt Soli, & Lunæ. Quocirca aſtrologia medium locum tenet inter geometriam, & phyſicam: refertur tamen potiùs inter ſcientias mathematicas, quàm ad phyſicam: quia ſemper in ſcientiis maiorem habemus rationem modi conſiderandi, quàm rei conſideratæ: & res quidem, quę in aſtrologia conſideratur, eſt phyſica, ſed modus conſiderandi eſt mathematicus, & demonſtrationes ſumuntur ex geometria. Quod dixi de geometria, generaliter eſt intelligendum de mathematicis ſuperioribus: & quod dixi de aſtrologia, generaliter eſt accipiendum de mathematicis inferioribus.

18 ¶ Ex dictis colligitur, res phyſicas nec ſecundũ materiam eſſe, nec ſine materia, ſed eſſe ſecũdum formam in materia exiſtente. nam forma eſt, quæ (vt vulgò dicitur) dat eſſe rei. ſic ſimum dicitur ratione formæ in materia, id eſt, pro-

pter curuitatem narium. In ſumma phyſicus tractat de compoſito ex materia & forma: proinde tractat de materia, & de forma.

19 Sed hoc ipſum in dubium reuocatur, vtrùm eædem, an diuerſæ ſcientiæ materiam & formam conſiderent. Sanè veteres philoſophi ferè ſolam materiam conſiderarunt. vix enim Empedocles & Democritus formam attigerunt. nos autem non ſolùm materiam, ſed etiam formam ad conſiderationem phyſicam pertinere tribus rationibus probamus. Prima ratio eſt à ſimili: quia tam formæ, quàm materiæ cognitio pertinet ad artificem: quemadmodum ædificator materiam & formam domus noſſe debet. Altera ratio ita concipitur: Ad eandem ſcientiam pertinet finis, & id quod eſt eius finis gratiâ: atqui forma eſt finis, cuius gratiâ eſt materia: ad eandem igitur ſcientiam pertinet forma & materia. quare cùm omnes concedant materiam ad phyſicum pertinere, formam quoque ad eundem ſpectare fatendum eſt. Quòd autem forma ſit finis materiæ, & materia ſit propter formã, patet, cùm quia motio continua eſt à materia ad formam, atque huius motionis extremum & optimum eſt forma, quod extremum & optimum eſt finis: tum etiam quia ſic ſe res habet in artibus, vt ligna dolantur, & lateres coquuntur in gratiam domus. Quapropter non contingit, vt videamus datis à natura oculis: neque contingit, vt audiamus, datis auribus: ſed natura, quæ nihil fruſtrà facit, oculos dedit, vt cernamus: aures, vt audiamus: linguam, vt loquamur, & cet. Tertia ratio eſt: quia materia & forma inter ſe referuntur: relata verò ſpectant ad eandem ſcientiam.

20 ¶ Ex dictis colligitur, phyſicum non conſiderare omnes formas, ſed tantùm materiales. nam quæ ſunt à materia abiunctæ, vt cœleſtes intelligentiæ, ſpectant ad metaphyſicum. Quid igitur dicendum de anima humana? quoniam eſt forma hominis, & eſt coniuncta cum materia, id eſt, cùm corpore, à quo tamen reipſa ſeparatur, adeo vt etiam per ſe conſiſtat: quatenus eſt cauſa naturalis, id eſt forma hominis, in phyſica conſiderari debet. quatenus autem degit ſeparata à corpore, non eſt phyſicæ, ſed metaphyſicæ contemplationis.

CAP. III.

De cauſis per ſe.

Cap. 3.

21 NOn ſolùm materia,& forma (de quibus hactenus dictum fuit) ſunt cauſæ rerum naturalium, ſed etiam efficiens,& finis.

22 ¶ Materia eſt id,ex quo inſito aliquid fit. Cùm dico *ex quo* ſeparo materiam ab aliis cauſis.nam res fit ex materia,per formam,ab efficiente,propter finem.Cùm dico *inſito* ſeiungo materiam a priuatione, vt ſuper. lib. ax. 53. Cùm dico *fit*, intelligo etiam eſſe: quoniam ex quo res fit, ex eodem eſt, & conſtat.

23 ¶ Eſt autem materia duplex:nimirùm proxima, vt æs eſt cauſa ſtatuæ: & remota, vt metallum dicitur cauſa eiuſdem ſtatuæ,propterea quòd æs,ex quo ſtatua conſtat, eſt ſpecies metalli.

24 ¶ Forma,quæ etiam exemplar appellatur,eſt ratio quidditatis:nam quid res ſit,per formam potiùs declaratur,quàm per materiam.

25 ¶ Ad ſimiliter duplex eſt, vt materia: nempe forma proxima,vt anima intellectiua eſt forma hominis: & forma remota,vt anima eſt forma hominis.

26 ¶ Efficiens eſt primum principium, à quo motus vel quies proficiſcitur,vt genitor eſt cauſa liberorum.Ex hac definitione apparet,Ariſtotelem non adgnoſcere efficiẽs,quod vocant per ſimplicem emanationem, vt formam aiunt eſſe cauſam efficientem proprietatum ſubiecti; quoniam eſt earum cauſa,non tamen per motum.itaque ſcholaſtici ſtatuunt formam appellari reſpectu compoſiti ex materia & forma; ſed eandem formam eſſe cauſam efficientem reſpectu proprietatum,quæ per ipſam formam inſunt: vt ratio eſt forma hominis,& cauſa efficiens aptitudinis ad ridendum. Verùm hæc doctrina,quàuis ſuperſtitioſa ſpectetur, facilè defendi poſſit, tamẽ nõ eſt præceptis Ariſtotelis valde cõſentanea: ſed ſecũdũ Ariſtotelẽ dicẽdũ eſt,proprietates fluere & manare à forma,nõ tãquàm ab efficiẽte,ſed tãquàm à forma rei. Apparet etiã,hãc definitionẽ efficiẽtis nõ cõuenire creatori,propterea quòd creatio fit ſine motu,& creator eſt agẽs ſupernaturalis.Ariſtoteles autẽ in præſẽtia loquitur de agente naturali.

27 ¶ Finis eſt, cuius gratiâ reliqua ſunt, ſeu fiunt: vt ſanitas eſt cauſa deambulationis.

28 ¶ Finis autem gratiâ fiunt ea omnia, quæ inter efficiens & finem ſunt intericcta. vt puta ſumimus pharmaca, vt purgemur: & purgamur, vt extenuemur: & extenuamur, vt ſani ſimus. itaque ſanitas eſt finis extenuationis, purgationis, & pharmaci.

29 ¶ Horum autem, quæ efficienti & fini ſunt intericcta, alia ſunt opera, vt extennatio, & purgatio: alia, inſtrumenta quibus efficiens vtitur, vt pharmacum.

30 ¶ Eiuſdem effectus ſunt multæ cauſæ in diuerſo genere cauſarum ſtatuæ cauſa efficiens eſt artifex: cauſa finalis eſt honor eius, cuius figura repræſentatur: materialis eſt æs, formalis eſt figura.

31 ¶ Quædam ſunt ſibi inuicem cauſæ in diuerſo cauſæ genere: vt deambulatio eſt cauſa efficiens ſanitatis: ſanitas autem eſt finis deambulationis.

32 ¶ Idem diuerſimodè acceptum, eſt cauſa contrariorum effectuum: vt Sol præſens eſt cauſa lucis, abſens noctis: item accedens ad noſtrum punctum verticale, eſt cauſa æſtatis: recedens, hyemis.

33 ¶ Diuiſiones cauſarum multæ ſunt. I. Aut eſt materia, aut forma, aut efficiens, aut finis, vt ſup. expoſui. nam exemplar reducitur ad formam, vt ſup. docui: inſtrumentum verò refertur ad efficiens, non quòd per ſe ſit efficiens, (nam per ſe non eſt cauſa.) ſed quia eſt inſtrumentum efficientis, id eſt, quia efficiens per ipſum inſtrumentū operatur & agit, vt manus calamo ſcribit. II. Alia eſt cauſa propinquior, alia remotior, vt expoſui ax. 23. & 25. III. Aliæ ſunt cauſæ per ſe, vt ſtatuarius eſt cauſa ſtatuæ: aliæ per accidens, vt homo eſt cauſa ſtatuæ, quoniam accidit vt homo ſit ſtatuarius. Cauſarum quoque accidentariarum aliæ ſunt propinquiores, aliæ remotiores. cuius diſtinctionis duplex eſt ratio: prior communis cauſis per ſe, & cauſis per accidēs: poſterior propria cauſarum per accidens. Prior ratio eſt, de qua ſup. dictum fuit: quia ſpecies eſt cauſa propinquior, quàm genus: vt ſtatuarius eſt propinquior cauſa ſtatuæ, quàm artifex, quæ quidem ſunt cauſæ per ſe: & Polycletus eſt propinquior cauſa ſtatuæ, quàm homo, quæ ſunt cauſæ per accidens. Poſterior ratio eſt: quoniam

alia

alia propiùs accidunt, alia remotiùs: veluti cùm ſtatuarius per ſe ſit cauſa ſtatuæ, albus & muſicus ſunt cauſæ per accidens, quatenus ſtatuario accidit vt ſit albus, & muſicus: ſed muſica propiùs accedit ad artem ſtatuariam, quàm albor: quoniam muſica, vt ſtatuaria, eſt accidens animi: albor autem accidit corpori. IV. Aliæ dicuntur cauſæ poteſtate, aliæ actu. vt ædificator eſt cauſa domus, quia poteſt domum conſtruere: ædificans autem, quia domum actu conſtruit.

34 ¶ Expoſitæ cauſarum diuiſiones transferri poſſunt etiam ad effectus: nam alij ſunt propinqui, alij remoti: vt ſtatuarij effectus propinquior eſt ſtatua, quàm imago. Rurſus alij ſunt effectus per ſe, alij per accidens: vt ſtatuarij effectus per ſe eſt ſtatua, per accidens eſt magnitudo (exempli gratià) trium cubitorum, quæ accidit ſtatuæ.

35 ¶ Eſt & alia cauſarum diuiſio, quòd vel ſunt ſimplices, vel coniunctæ. vt ſtatuæ cauſa ſimplex eſt Polycletus, vel ſtatuarius: cauſa coniuncta eſt Polycletus ſtatuarius.

36 ¶ Ex dictarum diuiſionum coniunctione oriuntur ſex cauſarum modi: cúmque ſinguli modi bifariam accipiantur, fiũt duodecim modi, quos declarabo exemplis cauſarum ſtatuæ. I. Eſt cauſa ſimplex, per ſe, & proxima, vt ſtatuarius. II. Cauſa ſimplex, per ſe, remota, vt artifex. III. Cauſa ſimplex, per accidens, proxima, vt Polycletus. IV. Cauſa ſimplex, per accidens, remota, vt homo. V. Cauſa compoſita, proxima & remota, vt artifex ſtatuarius. VI. Cauſa compoſita ex cauſa per ſe, & ex cauſa per accidens, vt Polycletus ſtatuarius. Quælibet autem harum cauſarum ſumitur vel poteſtate, vel actu. ita cùm ſint ſex modi bifariam accepti, fiunt duodecim.

37 ¶ Non eſt inutile, diuerſos cauſarum modos noſſe: quandoquidem magnum eſt inter eos diſcrimen. etenim quæ eſt cauſa proxima actu, ſimul eſt cum effectu, vel ſimul non eſt: adeo vt poſitâ causâ ponatur effectus, & ſublatâ causâ tollatur effectus: item poſito effectu ponatur cauſa, & ſublato effectu tollatur cauſa. quod non obtinet, ſi cauſa poteſtate, vel cauſa remota accipiatur. Verbi gratiâ, ſi ſit ædificãs, eſt etiam ædificatio: & niſi ſit ædificans, non eſt ædificatio.

contrà quoque ſi ædificatio eſt, neceſſe eſt vt ędificans ſit:& ſi ædificatio non ſit, fieri non poteſt vt ſit ædificans. ceterùm fieri poteſt, vt ſit ædificator, & nondum ſit ędificium quia ædificator eſt cauſa poteſtate, vt fuit ſup. expoſitum. Similiter poteſt eſſe artifex ſine artificio, & ædificium mortuo artifice: quia artifex eſt cauſa remota.

38 ¶ In cauſis quærendis duo præcepta obſeruentur. I. Quærenda eſt cauſa prima, id eſt, proxima & immediata. Verbi gratiâ, cur homo eſt cauſa ædificij? quia eſt ædificator. cur eſt ædificator? quia tenet artem ædificandi. hæc eſt cauſa prima, id eſt, ars ædificandi: quâ cauſa inuentâ quieſcimus, id eſt, nihil vlteriùs quærimus. II. Quærenda eſt cauſa effectui conueniens. nam qualis eſt cauſa, talis eſt effectus: & ſpecialis effectus cauſa eſt ſpecialis, veluti huius ſtatuæ hic ſtatuarius. generalis autem effectus cauſa eſt generalis, veluti ſtatuę ſtatuarius. Rurſus vtrumque eſt poteſtate, vt ędificator eſt cauſa ædificij: vel vtrumque actu, vt ędificans eſt cauſa ędificationis. Simile eſt, quod Ariſtoteles docet 2. Poſter. c. 12. cauſam & effectum ſumenda eſſe eodem tempore: veluti ſi fuit interpoſitio terræ, fuit eclipſis: & ſi eſt interpoſitio, eſt eclipſis: & ſi erit interpoſitio, erit eclipſis.

Cap. IV.

Aliorum opiniones, de caſu, & fortuna.

Cap. 4. 39 QVia caſus & fortuna à multis in numero cauſarum ponuntur, age de his quoque dicamus.

40 ¶ Caſum & fortunam eſſe alij negant, alij affirmant. Eſt ergo prima opinio eorum, qui hæc eſſe negant, duobus argumentis moti. Primum argumentum eſt: quia quod fortunæ vel caſui tribuitur, poteſt ad aliam cauſam referri: proinde ſuperfluum eſt ponere caſum & fortunam. veluti cur aliquis fortuitò inuenerit in foro debitorem ſuum, cauſa eſt voluntas aliquid emendi in foro. quia propter hanc voluntatem in forum iuit, ac debitorem inuênit. Alterum argumentum eſt: quia veteres philoſophi de cauſis ortus & interitus differentes, de caſu & fortuna non diſſeruerunt: quæ probabile eſt eos non fuiſſe omiſſuros, ſi reuerâ eſſent in numero cauſarum.

41 ¶ Hæc

41 ¶ Hæc argumenta facilè Ariſtoteles diluit. Ad primum reſpondet, ex communi hominum ſententia multa tribui caſui & fortunæ, licèt conſtet ea poſſe referri etiam ad alias cauſas. negat igitur Ariſtoteles eam conſequentiam, Effectus fortuiti poſſunt referri ad alias cauſas, ergo non ſunt à caſu vel fortuna. Ad ſecundum reſpondet, veteres peccaſſe, ſiue putarunt eſſe caſum & fortunam, ſiue non putarunt: non ideo tamen eos prætermiſiſſe tractatum de caſu & fortuna, quòd putarint nihil eſſe fortuitum, quoniam ipſi quoque multa tribuerunt caſui & fortunæ, vt ex ſequentium opinionum expoſitione manifeſtum erit.

42 ¶ Secunda eſt opinio Empedoclis, qui mundi & animalium partes pleraſque fortuitò factas eſſe exiſtimat: vt putà quod äer ſuperiori ſit loco, caſu contigit in huius mundi conſtitutione. cùm autem mundus infinities ſecundum Empedoclem ſit factus, & faciendus: ſæpe contigit, & continget, vt aër alium locum occupet.

43 ¶ Tertia eſt opinio eorum, qui dixerunt mundum fortuitò factum eſſe, non item animalia & plantas. Hæc fuit ſententia Democriti, qui dixit mundum fortuito atomorum concurſu eſſe conſtitutum: animalia verò, & plantas fieri ex certo ſemine.

44 ¶ Hæc tertia ſententia meritò Ariſtoteli diſplicet: I. Quia effectui nobiliori, id eſt cœlo, tribuit cauſam viliorem, id eſt caſum & fortunam: viliori autem effectui, id eſt animalibus & plantis, nobiliorem cauſam, id eſt naturam, vel Deum. II. Quia in cœlo nihil videmus fortuitò accidere, in his autem ſublunaribus patet multa fortuitò fieri.

45 ¶ Quarta opinio eſt, fortunam eſſe præſtantiſſimum quoddam numen, nobis ignotum, quod omnia ratione quadam arcana gubernat.

46 ¶ Hactenus veterum ſententiæ: deinceps ſententiam Ariſtotelis explicemus.

Cap. V.

An ſit fortuna & caſus, quid ſit fortuna, & quid ei accidat.

47 Caſum eſſe & fortunam, probatur ex communi hominum cõſenſu, qui illis cauſis ea adſcribũt, quę nec Cap. 5.

neceſſariò, nec plerumque accidunt,ſed rarò eueniunt. nemo enim caſu aut fortuitò Solem moueri, vel puberem barbam emittere dicet: verùm caſui aut fortunæ tribuet, quòd aliquis terram effodiens, theſaurum inueniat: nimirùm quia Sol ſemper & neceſſario mouetur: pubes plerumque barbam emittit: effodiens autem terram, rarò inuenit theſaurum.

48 ¶ Quò faciliùs intelligatur quid ſit fortuna, priùs videamus quid ſit fortuitum. Vt aliquid fortuitum dicatur, quatuor conditiones requiruntur. I. Fortuitum rarò accidit,vt modò dixi. II. Eſt in earum rerum numero,quæ habent rationem finis. III. Debet eſſe ex accidenti, id eſt, præter ſcopum agentis. IV. Non eſt in earum rerum numero,quæ fiũt à natura,ſed quæ *ἐκ προαιρέσεως*,id eſt ex prælectione. Verbi gratiâ quod effodiens terram, inueniat theſaurum,eſt res fortuita:quia nulla ex dictis conditionibus abeſt. I. Namque hoc rarò contingit. II. Habet rationem finis:quia ſi quis ſperaret ſe inuenturum theſaurum in hunc finem terram foderet. III. Præter ſcopum agentis contingit:quia ſupponimus terram non inueniendi theſaurum,ſed alia de cauſa fuiſſe effoſſam. IV. Sub prælectionem cadit: quia non eſt à natura, ſed ab hominis voluntate. quòd ſi res naturalis eſſet,vt cùm tegula de tecto decidens,ex ſua natura deſcendens, interficit hominem, propriè loquendo non diceretur res fortuita,ſed caſualis.

49 ¶ Fortuna igitur eſt cauſa accidentaria eius quod rarò accidit,quódque ſub prælectionem cadit,ac rationem finis habere poteſt. vt effoſſio terræ,quatenus eſt cauſa inuentionis theſauri præter ſcopum effodientis, appellatur fortuna.

50 ¶ Obſeruandum eſt, cùm cauſa ad effectum referatur, cúmque cauſa accipiatur per accidens duobus modis, id eſt,vel quia aliquid cauſę accidit, (vt muſicus eſt cauſa ſanitatis, quia accidit medico, vt ſit muſicus) vel quia effectui aliquid accidit (vt prælectio, quæ per ſe eſt cauſa eundi in forum, per accidens eſt cauſa inueniendi debitorem, cuius inueniendi causâ itum non eſt) hoc ſecundo modo fortunam dici cauſam per accidens.

51 ¶ Proprietates fortunæ hæ ſunt. I. In iiſdem rebus verſa-

verſatur, in quibus mens ſiue intellectus: ſiquidem res fortuitæ ſub prælectionem cadunt, vt anteà dixi: intellectus autem eſt, qui præeligit. II. Eſt indefinita, incerta, & homini occulta: quoniam eſt cauſa per accidens: accidentia verò ſunt indefinita, adeo vt ſub certam ſcientiam non cadunt. vt ſanitatis ſeu ſanationis certa cauſa per ſe eſt medicus: cauſæ autem per accidens ſunt incertæ, & propemodum indefinitæ, veluti quæcumque medico accidunt. III. Aliquo modo eſt cauſa, aliquo modo non eſt cauſa: nempe eſt cauſa per accidens, non ſimpliciter, & per ſe. IV. Eſt aliena à ratione: quoniam ratio ſpectatur in iis, quæ ſemper, aut plerumque fiunt: fortuna in iis, quæ rarò accidunt.

52 ¶ Fortunæ diuiſiones tres ſunt. I. Alia eſt cauſa propinquior, alia remotior: vt conueniendi debitorem in foro cauſa propinquior eſt profectio in forum, quàm voluntas proficiſcendi. II. Alia eſt ſecunda fortuna, alia aduerſa. III. Aut eſt parua, aut magna: quia vel ſpectatur in rebus parui momenti, vel in rebus magnis. hæc ſi ſit ſecunda, vocatur *ἀτυχία*, id eſt felicitas, ſeu fortuna proſpera. ſi verò ſit aduerſa, appellatur *δυστυχία*, infortunium, ſeu calamitas.

53 ¶ Non eſt igitur mirum, ſi proſpera fortuna ſeu felicitas ſit res inconſtans: quia & ipſa fortuna inconſtans eſt, quippe quæ in rarò contingentibus cernitur.

Cap. VI.

Collatio fortunæ & caſus cùm inter ſe, tum etiam cum cauſis per ſe.

54 Caſui & fortunæ communia hæc ſunt. I. Vtrumque eſt cauſa per accidens. II. Vtrumque in iis cernitur, quæ rarò accidunt. III. Vtrumque in iis ſpectatur, quæ ſunt alicuius finis gratiâ.

55 ¶ Caſus & fortuna differunt: quia caſus latiùs patet: Cap.6.
& quicquid eſt à fortuna, dici poteſt caſu contingere: ſed non quicquid eſt à caſu, etiam eſt à fortuna. nam fortuna iis tantùm tribuitur, quæ ſub actionem & prælectionem cadunt: ſiquidem fortunæ proſperitas, & infortunium in iis tantùm reperiuntur. Quocirca res inanimatæ, bruta ani-

mẽtia,&infãtes nõ dicũtur fortuitò agere, quẽadmodũ nec felicitatis,nec infortunij capacia sũt. quod .n. Protarch⁹ dixit,lapides eſſe fortunatos,ex quibus aræ extruũtũr,vel idola fiũt,quia honorantur,cùm alij eiuſdẽ generis lapides cõculcẽtur pedibus:per metaphorã dictũ eſt. propriè verò loquẽdo,fortuna iis non conuenit actiuè,ſed paſſiuè,vt cum ſcholaſticis loquar.non enim fortuitò agunt,ſed fortuitò patiuntur, quatenus fortuitò agens, in ipſa agit. caſus verò etiam brutis,& rebus anima carentibus tribuitur: vt equus dicitur caſu veniſſe: quia veniens, ſeruatus eſt,non tamen venit, vt ſeruaretur.item tegula dicitur caſu intere miſſe: quia nõ cecidit,vt interimeret, ſed vt inferiori loco quieſceret. denique quæcumque fruſtra & temerè fiunt, caſu fieri dicuntur, vt verbi etymologia oſtendit:quia caſus Græcè vocatur αὐτόματον ἀπὸ τοῦ μάτην,quod eſt fruſtra.itaque etiam ea,quæ præter ſcopum naturæ fiunt,vt monſtra,non dicuntur à fortuna fieri,ſed caſu.

56 ¶ Quæritur ad quod genus cauſæ referatur caſus & fortuna.nos referimus ad cauſam efficientem,id eſt,ad mentem & naturam. quatenus enim mens per actionem aſſequitur ſuum finem,eſt cauſa per ſe: quatenus autem præter finem ſibi propoſitum eſt cauſa alicuius rei, reſpectu huius effectus eſt cauſa per accidens, & vocatur fortuna.ſic natura, quatenus efficit quod intendit,eſt cauſa per ſe: quatenus autem præter ſuum ſcopum aliquid efficit, eſt cauſa per accidens,& vocatur caſus.

57 ¶ Ex dictis tria colligi poſſunt. I. Caſus & fortuna ſunt cauſæ poſteriores mente, & naturâ: quia cùm in iiſdem rebus ſpectentur,illa duo ſunt cauſæ per accidens,hæc duo ſunt cauſę per ſe:quæ verò ſunt per accidens,ſunt poſteriora iis quæ ſunt per ſe. II. Etiamſi Democtito concederemus mundum caſu eſſe factum:tamen,quia caſus non poteſt eſſe prima cauſa,cùm ſit cauſa per accidens,fatendũ omnino eſſet,pręter caſum eſſe aliã mundi cauſam,nempe Deum,aut naturam. III. Quia fortuna dicitur,cùm mens præter ſcopũ ſuũ agit,caſus autẽ, cùm natura præter ſcopũ aliquid efficit: conſequens eſt,vt caſus & fortuna reperiãtur tãtùm in cauſis ſecũdis,nõ in Deo,quia Deus omnia pręſciẽs, nũquã à ſcopo aberrat,

abertat & nũquã præter ſcopũ agit:ſed omnes ſecundas cauſas dirigit, ſiue ſint cauſæ per ſe, ſiue per accidens. proinde quod noſtro reſpectu eſt fortuitum, Deo non eſt fortuitum, ſed ab eius imperſcrutabili ſapientia & prouidentia proficiſcitur. verbi gratiâ, quòd beata virgo in Bethleem peperit, deſcriptio iuſſu Auguſti facta, fuit cauſa per accidens, quam vocamus fortunam, quia præter voluntatem & ſcopum Auguſti accidit: non fuit tamen præter ſcopum & voluntatem Dei, qui hoc decreuerat, & per prophetas prædixerat. quocirca eiuſdem effectus Deus fuit cauſa per ſe, cuius Auguſtus fuit cauſa per accidens.

C A P. V I I.

Phyſicum demonſtrare per omnia genera cauſarum.

58 CVm quatuor ſint genera cauſarum, vt ſup. expoſui phyſicus hæc omnia noſſe debet, ac per omnia demonſtrat. Cap. 7.

59 ¶ Tres cauſæ in rebus naturalibus coniunguntur: forma, finis, & efficiens. ac forma quidem & finis ſunt vnum & idem numero: nam generationis phyſicæ finis eſt forma. efficiens verò non eſt idem numero cum forma & fine, ſed idem ſpecie. vt pater eſt cauſa filij: pater autem & filius ſunt eiuſdem ſpeciei, quia ſunt ambo homines. hoc verum eſt in cauſis proximis. nam cauſa remota eſt diuerſi generis: veluti cùm Sol & homo generent hominem, Sol eſt cauſa remota, homo verò eſt cauſa proxima: & homo quidem generans atque homo genitus ſunt eiuſdem ſpeciei, Sol verò eſt diuerſi generis. denique Deus eſt cauſa efficiens omnium rerum: ſed cum res ſint mobiles, Deus eſt immobilis: ita namque mouet, vt non moueatur, ſicut 8. huius operis demonſtrabitur.

60 ¶ Quocirca tres phyſicæ tractationes ſunt: vna de rebus immobilibus & æternis, vt de Deo, & intelligentiis cœleſtibus, quas phyſicus conſiderat, non vt ſubiectum, ſed vt principium & cauſam motus: altera de rebus mòbilibus, & ſecundum Ariſtotelem æternis, vt de cœlo: tertia de rebus mobilibus, ortui & interitui obnoxiis, vt de animalibus, & plantis.

61 ¶ Ex dictis collige duo eſſe genera eorum, quæ

naturaliter mouent.vnum eſt naturale,id eſt,quod,dum mouet,mouetur: vt equus trahens currum,mouetur. alterum eſt ſupernaturale,quod ſine ſuo motu mouet, quia eſt immobile,vt Deus.

Cap. VIII.

An natura agat propter finem.

Cap. 8. 62 VEteres philoſophi non demonſtrarunt naturales effectus per omnia cauſarum genera, ſed ferè per materiam ſolam,ex cuius neceſſitate omnia fieri putabant, negantes naturam agere propter certum finem. ſicut enim accidit ſegetes creſcere,& frumentum in area corrumpi propter pluuiam,cùm neutrius effectus cauſâ pluerit,ſed propter neceſſitatem materiæ, quia vapor radiis Solaribus in ſublimem locum latus,ibi frigore concreſcit, & in aquam vertitur,atque ita pluit:ita etiam dentes molares latitudinem habent,per quam ſunt ad cibum molendum apti, non tamen propter hunc finem tales à natura facti ſunt,ſed ex neceſſitate materiæ hoc euenit. Eadem eſt ratio aliorum effectuum naturalium.Nec ſemper contingit partes animalium fieri à natura idoneas ad vſum & vitam: immo ſæpenumerò ſecus accidit, præſertim initio mundi ſecundum Empedoclem: quo tempore plura monſtra orta ſunt. ſed quia talia monſtra non poſſunt diu viuere,minùs apparent.

63 ¶ Verùm Ariſtotelis ſententia,quòd natura propter finem agat, multis argumentis comprobatur. I. Res naturales aut fiunt caſu, aut propter finem: atqui non fiunt caſu: quia ſemper: vel plerumque eodem modo eueniunt: ergo fiunt propter finem. II. Ars agit propter finem:ergo etiam natura. Conſequentia patet:quoniam ars eſt ſimilis naturæ: eademque ratio eſt eorum,quæ priùs,vel poſteriùs fiunt, tam in rebus naturalibus,quàm in artificioſis. III. Bruta & plantæ naturâ duce propter finem agunt. exempli gratiâ, araneus extruit telam,vt capiat muſcas: formica colligit grana, vt recondat ſibi cibum in hyemem:auis extruit nidum,vt ibi oua pariat,& foueat:plantæ emittunt folia, vt tegant fructus, ac demittunt radices,vt alimentum ex terra trahant. V. Forma naturalis eſt finis,cuius gratiâ reliqua fiunt,vt dictum fuit.ax. 59. VI.

59. VI. Monſtra non euertunt noſtram ſententiam,ſed potiùs confirmant: quia ſicut ars dicitur agere propter finem, licèt eum ſemper non aſſequatur, (vt medicus ſanitatis gratiâ propinat pharmacum, quamuis per errorem propinet pharmacum pernicioſum) ita etiam dicendum eſt, naturam agere propter finem, quamuis non ſemper eum finem aſſequatur,veluti cùm producit monſtra. VII. Semen eſt à natura inſtitutum,& mutatur,vt formam animalis recipiat: ergo propter hunc finem natura in eam materiam agit, id eſt, vt procreet animal. VIII. Peccauit Empedocles, qui contrariam ſententiam defendit,ponens mõſtra,vbi natura magis agit propter finem, id eſt, in animalibus, non vbi minùs apparet finis naturæ,nempe in plantis.cur enim dixit, initio mundi creata eſſe bouigena,androprorá,id eſt,monſtra,quorum poſterior pars eſt bubula, anterior humana, quàm vitigena,eleoprora,id eſt,plantas, quarum pars inferior ſit vitis, ſuperior olea? IX. Si natura non ageret propter finem, ſed ipſe finis caſu accideret:hoc obtineret etiam in ſemine.quapropter ex quolibet ſemine fieret quælibet res:quod eſt perſpicuè falſum. X. Res naturales à principio aliquo interno motæ,perueniunt ad aliquem finem,ita vt ab alio principio ad alium finem, ab eodem autem principio ſemper aut plerumque ad eundem finem perueniant:ergo huius finis gratiâ eſt illa motio naturalis.ceterùm ſi rarò ad eum finem peruenirent,dici poſſet naturam caſu eum finem aſſequi: quod enim habet rationem finis,poteſt fieri caſu:veluti poſſum ire in forum conueniendi mei debitoris causâ, & poſſum etiam alia de cauſa in forum profectus, caſu meum debitorem ibi reperire.ſed hoc,quod eſt caſu,rarò accidit,vt ſup.fuit expoſitum.Si quis obiiciat naturam non conſultare, reſpondebo, etiam quod non conſultat,poſſe agere propter finem. vt faber non conſultat,vtrùm clauem ex ferro,an ex ligno facere debeat,ſed ſine vlla deliberatione facit ex ferro:facit tamen alicuius finis gratiâ,id eſt,vt ſera aperiatur.

Cap. IX.

Quomodo ſit neceſſitas in rebus naturalibus.

64 IAm videamus quomodo neceſſitas in rebus naturalibus reperiatur. Veteres putabant omnia fieri ex Cap. 9.

neceſſitate materiæ, quæ quidem eſt ſimplex & abſoluta neceſſitas, vtputà quia talis fuit materia, idcirco dentes anteriores ſunt acuti, molares autem lati. ſecundum Ariſtotelem autem neceſſitas eſt ex ſuppoſitione finis: adeo vt natura non producat tales dentes, quia talis fuit materia: ſed è contrario, quia tales dentes eſſe oportet, natura talem materiam parauit huius finis gratiâ.

65 ¶ Sicut igitur in ſyllogiſmis, ita in rebus naturalibus neceſſitas conſecutionis non reciprocatur. ſed diſſimilitudo eſt: quia in ſyllogiſmis arguimus à materia ad finem, non à fine ad materiam, id eſt, rectè arguimus à propoſitionibus ad concluſionem, non contrà à concluſione ad propoſitiones. etenim propoſitiones ſunt partes & materia ſyllogiſmi: concluſio verò eſt finis. &, ſi propoſitiones ſunt veræ, etiam concluſionem veram eſſe neceſſe eſt. ſed quamuis concluſio ſit vera, propoſitiones tamen poſſunt eſſe falſæ, vt ex lib. Prior. didicimus. in rerum autem natura neceſſitas contrario modo ſe habet: quia finis non poteſt eſſe ſine materia, ſed materia poteſt eſſe ſine fine. itaque non eſt arguendum à materia ad finem, ſed à fine ad materiam. verbi gratiâ, eſt lutum, ergo terra: non è contrario eſt terra, ergo lutum. Similiter in rebus artificioſis, ſi eſt domus, ſunt etiam tigna, & cæmenta, ſine quibus domus non conſtat: ſed hæc poſſunt eſſe abſque domo.

66 ¶ Quamuis igitur phyſicus demonſtret per omnia cauſarum genera, vt ſuprà dictum fuit: magis tamen demonſtrat per finem, quem diximus eſſe formam, quàm per materiam.

67 ¶ Ac forma ſeu finis eſt præcipua pars definitionis: nihilominùs tamen etiam materia in definitione ponitur, propterea quòd forma non poteſt eſſe ſine materia.

68 ¶ Hoc loco quæri poteſt, quid ſentiendum ſit de fato, cuius neceſſitate omnia fieri Stoici aſſeuerant. Auguſtinus lib. 5. de ciuit. Dei cap. 9. & in lib. de doctrina Chriſtiana, & alibi, item Gregorius homilia 10. epiphaniæ, fatum eſſe negant. Alexander Aphrodiſienſis ſecundum Ariſtotelem admittit, ita vt fatum ſit natura: & quemadmodum natura non ſemper aſſequitur ſuum finem, ita etiam fato non ſemper

per idem eueniat. Meâ ſententiâ fatum reperitur in ſecundis cauſis, quatenus à prima diriguntur, & vt (Boët. lib. 4. de conſol. philoſo. proſa 6. definit) fatum eſt inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio, per quam diuina prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus.

69 ¶ Idem igitur effectus fortunæ, prouidentiæ diuinæ, & fato adſcribi poteſt. quatenus enim efficitur à ſecunda cauſa præter eius ſcopum, à fortuna eſt. quatenus autem eſt à prima cauſa, eſt à diuina prouidentia. denique quatenus non eſt à Deo immediatè, ſed per ſecundas cauſas, dicitur fato fieri. Hinc eſt, quòd Iureconſulti paſſim eoſdem effectus modò caſu, vel fortuitò, modò fato fieri dicunt. ſic Virgilius lib. 8. Æneid. fatum & fortunam coniunxit, illo verſu,

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.
His poſuêre locis.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XIX.

NATVRALIS AVSCVLTATIONIS TERTIVS.

CAP. I.

Quid ſit motus.

EXPOSITIS rerum naturalium principiis, earum communes affectiones ſunt enarrandæ: quæ quidem ſunt, motus, finitas vel infinitas, locus, qui ex quorumdam ſententia nihil aliud eſt quam inane, & tempus: ac primo loco dicendum de motu, per quem naturam ſuperiori libr. axiom. 4. definiuimus. Cap. I.

2 ¶ Motum eſſe,quia vel omnes vel aliquæ res mouentur,ſuper.lib.cap.2.partic. 6. ſuppoſitum fuit. quid autem ſit motus,faciliùs intelligetur, ſi quædam præmuniuerimus. I. Alia ſunt tantùm actu,vt cœleſtes intelligentiæ:aliȩ tantùm poteſtate,vt auctio numeri in infinitum,& diuiſio magnitudinis in infinitum : alia conſtant ex poteſtate , & actu, vt res naturales,quæ conſtant ex materia & forma : ſiquidem materia eſt poteſtas, forma eſt actus. II. Quædam ſunt relata ratione exſuperantiæ & defectionis, vt magnum & paruum, multum & paucum:quædam ratione actionis & paſſionis, vt mouens & motum:alia aliis modis,quæ ad præſens inſtitutũ non faciunt. III. Motus non reperitur extra res, quæ mouentur:ſed quicquid mouetur,aut ſecundum ſubſtantiá mouetur,aut ſecundum quantitatem,aut ſecundum qualitatem, aut ſecundum locum.Secundum ſubſtátiam mouetur, quod oritur,vel interit.ſecundum quantitatem, quod augetur, vel minuitur.ſecundum qualitatem,quod variatur: ſecũdum locum,id quod locum mutat. IV. In omni categoria ſunt duo oppoſita:vt in ſubſtantiâ forma,&priuatio:in quantitate perfectum,& imperfectum:in qualitate album,& nigrum:in categoria vbi,ſuprà,& infrà. V. Tot ſunt ſpecies motus,quot ſunt entium genera,in quibus motus reperitur.quare cùm in quatuor categoriis motus reperitur,quatuor ſunt motus genera: videlicèt ortus & interitus in ſubſtantia , auctio & deminutio in quantitate,variatio in qualitate , loci mutatio in categoria vbi.

3 ¶ Motus definitur actus rei mobilis. vt variatio eſt actus rei variabilis , auctio & deminutio eſt auctio, & deminutio eſt rei quæ augeri & minuì poteſt , quatenus eſt talis. latio eſt motus rei quæ ferri poteſt, quatenus ferri poteſt.ortus & interitus eſt motus rei ortui & interitui obnoxiæ,quatenus ortui & interitui obnoxia eſt.

4 ¶ Hæc definitio multis argumentis probatur. I. Quia tunc motus eſt, cùm mobile actu eſt. vt ædificatio tunc eſt, cùm ædificabile actu ædificatur. quod argumento eſt, motum eſſe actum rei mobilis. II. Motus aut eſt actus rei quatenus illa res eſt , aut quatenus ea res mouet , aut quatenus mouetur:ſed prima duo membra ſunt falſa:ergo tertium eſt verum.exempli gratiâ, refrigeratio aquæ calidæ eſt actus illius

lius aquæ, non quatenus eſt aqua, nec quatenus agit, id eſt, calefacit, ſed quatenus refrigeratur. III. Actus rei ædificabilis quatenus eſt ædificabilis, aut eſt ędificium aut ædificatio: atqui non eſt ædificium, quia perfectum ædificium non eſt ampliùs ædificabile: ergo eſt ædificatio. Quod dixi de ædificatione, idem obtinet in aliis motibus: nempe omnis actus rei mobilis, quatenus eſt res mobilis, eſt motus.

CAP. 2.

* IV. Motus aliter definiri commodè non poteſt. cuius rei argumentũ eſt, quòd alij philoſophi præter Ariſtotelem malè expoſuerunt quid ſit motus: vt Pythagorei, qui dixerũt motum eſſe diuerſitatem & inæqualitatem, & non ens: nam hac definitione vel ſignificant diuerſa, inæqualia, & non entia moueri, id eſt, eſſe entia motus: aut eſſe terminos motus quia ſcilicèt res ex his, vel ad hæc mouetur: vtrumuis autem dicant, falluntur. Etenim ſi priorem interpretationẽ accipiant: oppono, quòd ſine motu eſſe poſſunt res diuerſæ inæquales, & non entia. Verbi gratiâ, lignum & lapis ſunt res diuerſæ. & ponamus eſſe res inæquales; nihilominùs tamen fieri poteſt, vt quieſcant, non moueãtur. rurſus chimera & hircoceruus ſunt non entia, nec mouentur. quapropter cùm in his reperiatur diuerſitas, inæqualitas, & priuatio entis, non tamen in eis inſit motus: perſpicuum eſt, aliud eſſe motum, aliud eſſe diuerſitatem, inæqualitatem, & non ens. Si verò poſteriorem interpretationẽ ſumant: oppono quòd omnis motus eſt inter oppoſita, vt ex albo ad nigrum. ſic motus eſt à diuerſo ad idem, ab inæquali ad æquale, à non ente ad ens: & contrà ab eodem ad diuerſum, ab æquali ad inæquale, & ab ente ad non ens. quocirca motus non magis eſt diuerſitas, inæqualitas, & non ens, quàm identitas, æqualitas, & ens. Non me latet, quam ob cauſam Pythagorei maluerint referre motum ad diuerſitatem, inæqualitatem, & non ens, quàm ad identitatem, æqualitatem, & ens, nempe quia hæc ſunt definita, illa verò, cùm habeant rationem priuantium, ſunt indefinita, ac motus quoque eſt res indefinita, propterea quòd nec eſt ſimpliciter actus, nec poteſtas, ſed actus imperfectus, id eſt, coniunctus cum poteſtate. V. Aut motus eſt priuatio, aut eſt actus, aut poteſtas, aut actus imperfectus, id eſt, (vt nos definiuimus) actus eius

quod poteſtate eſt:ſed neque eſt priuatio, nec actus, nec poteſtas: relinquitur ergo, vt ſit actus cum poteſtate coniunctus, ſicuti definiuimus.

CAP. II.

De mouente, & eo quod mouetur.

5 RES mobilis, quando non mouetur, dicitur quieſcere: quoniam quies eſt priuatio motus: priuatio autem non ineſt, niſi in ſubiecto apto ad recipiendum habitum. quare vt cæcitas non tribuitur lapidi, quia lapis videre nequit, ſed homini, quoniam homo cernere poteſt: ita etiam quies ineſt in re mobili, non in re immobili.

6 ¶ Mouens phyſicum, dum mouet, mouetur: quia per contactum mouet, ideóque agendo repatitur. Obſerua hoc axioma verum eſſe in omni mouente phyſico, non in omni mouente phyſicè. nam primus motor, id eſt, Deus primo mobili id eſt cœlo tribuit motum phyſicum: primus tamen motor non eſt mouens phyſicum, quia non eſt res naturalis, ſed ſupernaturalis: neque mouet per contactum, quia èſt abiunctus à materia: idcirco agendo non repatitur, & mouendo non mouetur. ſed de hoc dicetur libr. 8.

7 ¶ Omne mouens phyſicum agit per ſuam formam. cùm enim actio pertinet ad eſſentiam, agit per formam eſſentialem, vt cùm homo gignit hominem. cùm autem actio eſt in accidente, agit per ſuam formam accidentalem, vt cùm ignis per calorem calefacit.

Cap. 3. 8 ¶ Subiectum motus non eſt res mouens, ſed res mobilis. nam motus eſt rei mobilis, ſeu in re mobili: non eſt autem in mouente, ſed à mouente.

9 ¶ Idem eſt actus mouentis, & mobilis, id eſt, idem èſt actus ſeu idem motus, quo mouens mouet rem mobilem, & quo res mobilis mouetur à mouente: quia inter duo relata eſt vna relatio: proinde inter mouens & motum eſt vna motio. Opponitur I. quòd mouens eſt agens: & quod mouetur, eſt patiens: atqui actus agentis, eſt actio: actus patientis, eſt paſſio: actio autem & paſſio differunt. Re-

ſpondeo

ſpondeo vnum & eundem actum eſſe, qui diuerſo reſpectu vocatur actio,& paſſio:alioqui,niſi ita dicamus,ſequetur aliqua abſurditas.quod ita oſtendo:Si actio & paſſio ſunt diuerſi actus: aut ambo ſunt in agente: aut patiente: aut actio eſt in agente,paſſio in patiente:aut è contraria paſſio eſt in agente, actio in patiente. Non eſſe vtrumque in agente, patet: quia iam docui motum eſſe in re mobili, quæ non agentis, ſed patientis rationem. Non eſſe vtrumque in patiente, probatur: quia ſequerentur duæ abſurditates. Vna eſt, actum agentis non eſſe in agente, ſed in alio, id eſt, in patiente. altera eſt,quòd erunt duo motus in eodem ſubiecto, id eſt, in re mobili. Actionem eſſe in patiente, paſſionem in agente,perſpicuè eſt abſurdum, nec eget refutatione. Non eſſe actionem in agente, paſſionem in patiente, probatur: quaſi actio eſt in agente, motio eſt in mouente: proinde aut omne mouens mouetur, aut aliquid non mouetur, in quo eſt motus: quorum vtrumuis dicatur, eſt falſum: quia primum mouens (vt ſup. notaui, & lib. 8. demonſtrabitur) eſt immobile. II. opponitur, quòd agens & patiens ſpecie differunt : ergo eorum actus ſeu motus ſunt diuerſi. III. Opponitur, quòd ſi idem eſt actus agentis & patientis, id eſt actio & paſſio, etiam agere & pati idem erunt: quod eſt falſum. Ad ſecundam obiectionem reſpondeo, actionem & paſſionem re idem eſſe, ratione differre: quoniam vocatur actio, quatenus ab agente proficiſcitur: & paſſio,quatenus in patiente recipitur. Ad tertiam obiectionem reſpondeo tribus modis. Primò nego, ſi agere & pati ſint idem, inde colligi omne agens pati: quoniam hæc conſequentia non valet, niſi agere & pati ſint omnino idem: atqui non ſunt omnino idem, ſed ratione differunt. Secundò reſpondeo,etiamſi actio & paſſio ponantur eſſe idem, non tamen propterea agi & pati eſſe idem: quemadmodum etiamſi vna ſit inter duo diſtantia, non propterea hoc diſtare ab illo, & illud ab hoc, ſunt idem. verbi gratiâ, vna eſt via Lugduno & Lutetiæ interiecta: non tamen idem eſt ire Lugduno Lutetiam, & Lutetia Lugdunum. Tertiò reſpondeo, actionem & paſſionem non eſſe idem, ſed tantùm accidere eidem motui; adeo vt idem motus vocetur actio.

quatenus eſt agentis in patiens:& paſſio, quatenus eſt patientis ab agente.

Cap. III.

De ſpeciali & perfecta motus definitione.

10 CVm ex definitione motus generali colligantur propriæ definitiones ſingularum ſpecierum, ex dictis patet motum eſſe actum motiui & mobilis, quatenus talia ſunt: variationem autem eſſe actum variantis & variabilis, quatenus talia ſunt: eadem eſt aliorum motuum ratio. Hactenus de motu: ſequitur de infinito.

Cap. IV.

Cap. 4.

Agendum eſſe de infinito, & Veterum de eo opiniones.

11 DE infinito phyſicum agere debere probatur, cùm ratione, quia magnitudines, motus, & tempora, in quibus phyſicus verſatur, ſunt finita vel infinita: tum etiam auctoritate veterum philoſophorum, qui res phyſicas explicantes, de infinito diſſeruerunt.

12 ¶ Omnes philoſophi, qui ante Ariſtotelem de infinito ſcripſerunt, exiſtimant ipſum infinitum eſſe principium quoddam entium: ſed alij ſtatuunt id eſſe principium per ſe, tanquàm ſubſtantiam quandam, vt Pythagoras, & Plato: alij eſſe principium per accidens, quia ſcilicet primo principio accidit, vt ſit infinitum.

13 ¶ Plato igitur & Pythagoras partim conſentiunt, partim diſſentiunt. Conſentiunt, quatenus vterque ponit infinitum eſſe principium per ſe, quaſi ſubſtantiam quandam. Diſſentiunt, I. Quia Pythagoras infinitum ponit tantùm in rebus ſenſibilibus, Plato verò tam in his, quàm in ideis. II. Quia Pythagoras ponit infinitum extra mundum, extra quem putat eſſe infinitas res ſenſibiles: Plato autem ponit infinitum in mundo, extra quem nec res ſenſibiles, nec ideas collocat. nam res ſenſibiles ex ſententiâ Platonis ſunt in mundo. ideæ verò, cùm ſint res incorporeæ, nullibi ſunt. III. Quia Pythagoras ponit vnum infinitum, nempe par: (duo namque principia ponit, par & impar: quorum illud eſt infinitum, hoc verò eſt

verò eſt finitum) ſed Plato ponit duo infinita, magnum & paruum.

14 ¶ Alij phyſici ſtatuunt infinitum eſſe accidens inhęrens in aliquo ſubiecto. quocirca qui dicũt vnum eſſe rerum principium, illud aiunt eſſe infinitum, putà infinitum aërem, vel infinitam aquam.

15 ¶ Qui verò principia certo ac finito numero ponunt, ea non infinitæ, ſed finitæ magnitudinis eſſe cenſent.

16 ¶ Sed qui infinita principia ſtatuunt, vt Anaxagoras & Democritus, infinitum ponunt contactu cõtinuum: quod ſecundum Anaxagoram conſtat ex infinitis partibus ſimilaribus: ſecundum Democritum autem ex infinitis atomis. præterea ſecundum Anaxagoram partes ſimilares, cùm in chao infinito eſſent, à Mente diuina ſecerni cœperunt, & per hanc ſecretionem res omnes conſtituuntur: non tamen ſecernuntur partes ſimilares puræ, ſed in omnibus omnia ſunt commixta, quemadmodum & in chao. verbi gratiâ, in ſanguine ineſt viuum, & aqua, &c. ſed vocatur ſanguis, quia plus habet ſanguinis, quàm aliarum rerum, ideóque aliæ res non apparent, vt ſanguis. ſecundum Democritum verò atomi diſtinctæ ſunt, æternæ, inuariabiles, nec ex aliis atomis aliæ fiunt, ſed ex ipſis omnia conſtant.

17 ¶ Quatuor infinito à veteribus philoſophis attribuũtur. I. Eſt principium, quod ita probatur: Infinitum aut eſt principium, aut habet principium: atqui non habet principium, quia ſi haberet principium, haberet etiam finem, proinde non eſſet infinitum: ergo eſt principium. II. Eſt æternum: tum quia principia ſunt æterna, vt lib. I. expoſitum fuit: tum etiam quia fine caret: quòd verò oritur & interit, finem accipit: vtputà cùm oritur pullus, deſinit eſſe ouum: & cùm moritur pullus, deſinit eſſe pullus. III. Secundum eos qui nullum aliud principium quàm infinitum poſuerunt, infinitum omnia continet, & omnia regit. IV. Secundum Anaximandrum, & multos phyſicos, eſt numen quoddam.

Cap. V.

Dubitationes de infinito.

18 INfinitum eſſe, probatur quinque argumentis. I. Tempus ſecundum omnes phyſicos, Platone excepto,

Phyſicorum lib.8.cap.1.partic.15.caret principio & fine: ergo eſt infinitum. II. Magnitudo diuiditur in infinitum, vt lib. 6.probabitur:vnde etiam mathematici vtuntur magnitudine infinita,vt Euclides lib.1.propoſit.12. ponit lineam infinitam. III. Generationum nullus eſt finis:ergo oportet ſubeſſe materiam infinitam,ex qua generetur,ne res fiant ex nihilo. IV. Omne finitum terminatur ab alio:vt aër ab igne, ignis ab orbe lunari:aut igitur ſunt corpora infinita, aut ſupremum corpus eſt infinitum,quia ſi finitum eſſet,ab alio ſuperiori terminaretur, proinde non eſſet ſupremum. V. Per intellectum poſſumus augere numerum, & magnitudinem in infinitum: necnõ poſſumus intelligere inane ſpatium infinitum extra mũdum, in quo ſpatio infinito nulla ratio ſuadet vnum eſſe mundum. cur enim ſit mundus potiùs in hac inanis parte,quàm in alia,ratio reddi non poteſt, præſertim quia inane eſt locus aptus ad recipienda corpora.quòd ſi poteſt corpora recipere, certè ea recipit: quandoquidem hoc infinitum eſt æternum: in rebus autem æternis poteſtas eſt coniuncta cum actu.

19 ¶ Quæſtiones de infinito hæ ſunt à nobis examinandæ. I. An ſit. II. Sítne ſubſtantia,an accidens, an neutrum horum. III. An in rerum natura ſit corpus ſenſile infinitum.

CAP. VI.

Diſputatio contra Platonem & Pythagoreos, ponentes infinitum eſſe ſubſtantiam & per ſe.

20 INfinitum ſumitur multis modis. I. Infinitum dicitur,quod non poteſt pertranſiri,vt punctum. II. Id, cuius tranſitus fine caret, vt linea infinita apud Euclidem lib.1.propoſit.12.vt circulus,Phyſic.8.cap.14.partic.1. III. Id, ad cuius finem vix peruenitur, vt via longiſſima. IV. Ad cuius finem ex accidenti peruenire non poſſumus,vt vorago infinita.

21 ¶ Præterea infinitum dicitur vel adiectione, vt numerus augetur in infinitum: vel detractione ſeu diuiſione, vt magnitudo poteſt diuidi in infinitum.

Cap.5. 22 ¶ Infinitum non eſſe ſubſtantiam quandam à rebus ſenſi-

ſenſibilibus ſeparatam, contra Platonem probatur duobus argumentis. I. Si infinitum eſt ſubſtantia,eſt indiuiſibile. ſi eſt indiuiſibile,non eſt infinitum. ergo ſi eſt infinitum, non eſt infinitum:quod eſt abſurdum.Prior conſequentia probatur:quia nihil aliud diuiditur, quam magnitudo, vel numerus,id eſt,quátum continuum,vel diſcretum. Poſterior conſequentia patet:quia indiuiſibile,& punctum,non eſt infinitum in ſecunda ſignificatione,de qua nunc loquimur, ſed in prima,quæ ad propoſitam quæſtionem nõ facit. Perſpicuum igitur eſt,infinitum nõ eſſe ſubſtantiam: quamuis Plato coactus ſit hoc aſſerere,quia putauit ipſum infinitum eſſe rerum principium. nam ſi alicui ſubiecto accideret, potiùs ſubiectum illud deberet appellari principium. II. Magnitudo & numerus magis poſſunt eſſe extra res ſenſibiles, quàm infinitum, quod numero & magnitudini accidit: atqui duo illa non poſſunt eſſe extra res ſenſibiles: ergo multò minùs infinitum.

23 ¶ Falſam eſſe Pythagoreorum ſententiam ponentium infinitum eſſe actu in rebus ſenſibilibus, & eſſe ſubſtátiam,& rerum principium,falſam(inquam)eſſe hanc ſententiam,ſic probatur:Aut hoc infinitum eſt partibile,aut impartibile. Si partibile eſt,eius quælibet pars erit infinita: quod eſt abſurdum. etenim ſi infinitum eſt ſubſtantia, vt aſſerit Pythagoras:ſicut pars ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, ita pars infiniti eſt infinita. Si verò impartibile dicatur, oppono, quòd eſt infinitum:ergo quantum:proinde partibile. patet igitur, infinitum non eſſe ſubſtantiam. quod tamen Pythagorei non minùs quàm Plato aſſerere coguntur: ſiquidem defendunt,infinitum habere rationem principij. nam ſi alteri accideret,iam non infinitum, ſed ſubiectum illud, cui infinitum accideret, eſſet principium. Denique Pythagorei ſibi contradicunt, dum infinitum aiunt eſſe ſubſtantiam, & eſſe partibile. nam partibilitas eſt propria quantitatis: ſubſtantia autem non eſt partibilis per ſe,ſed quatenus eſt quanta.

CAP. VII.

Non eſſe corpus ſenſibile infinitum.

24 NOn eſſe corpus ſenſibile infinitum, ſic probatur. I. Nihil infinitum terminatur: atqui omne

corpus ſuperficie terminatur: ergo nullum corpus eſt infinitum. II. Quæcumque poſſunt numerari, ſunt finita: atqui corpora ſenſibilia poſſunt numerari:ergo ſunt finita. Obſerua, hac ratione probari non eſſe infinita numero: ſuperiori autem ratione probari non eſſe infinitam magnitudinem. III. Si corpus ſenſibile eſſet infinitum:aut eſſet ſimplex,aut compoſitum:ſed neque poteſt eſſe ſimplex,neque compoſitum:ergo nullo modo eſt corpus ſenſibile infinitum. Quòd non poſſit eſſe compoſitum, ſic oſtenditur: quia ſi compoſitum eſſet,vel conſtaret ex elementis finitis,vel ex vno finito & aliis finitis, vel ex omnibus infinitis: quorum trium modorum nullus admitti poteſt. Etenim ſi omnia elementa ſint finita, compoſitum quoque finitum erit.ſi verò vnum ſit infinitum: adeo cetera ſuperabit, vt omnia ſit interempturum,& in ſuam naturam conuerſurum. quòd ſi omnia elementa dicantur infinita, vnumquodque eorum occupabit vniuerſum locum, nec relinquet locum aliis elementis. Oſtendi non eſſe infinitum corpus compoſitum. Non eſſe autem infinitum corpus ſimplex,ex eo probo,quòd vel eſſet vnum ex quatuor elemẽtis, vel medium quiddam.Sanè Anaximander putauit infinitum non eſſe vnum ex elementis, quia reliqua interimeret, ſed eſſe aliquid medium inter aërem & ignem,vel inter aërem & aquam.non enim ſatis conſtat,vtro modo Anaximander medium ſtatuerit. Sed falſum eſt,dari huiuſmodi naturam inter elementa,ex qua res conſtent:quia perſpicuè res reſoluuntur in ea principia,ex quib. conſtant:non apparet autem talis natura media,in quam res reſoluantur. Præterea non poteſt vnum ex quatuor elementis eſſe infinitum:cùm quia vniuerſum locum occuparet,nec relinqueret aliis elementis locum:tum etiam quia omnia alia interimeret:quod certè abſurdum eſt, quamuis Heraclitus id conceſſerit,qui, cùm ſtatuerit ignem eſſe rerum principium,affirmauit fore aliquando,vt omnia in ignẽ conuertantur. Præterea corpus ſimplex medium inter elemẽta non poteſt eſſe infinitum:quia vel habet qualitates,in quib. contrarietas cernitur,vt calorẽ & frigus, vel iis caret.ſi has qualitates habet,reliqua interimet, vt de infinito elemento ſuprà dicebã:quod enim eſt infinitũ, finita ſuppetat,ſiue ſit vnum ex elemẽtis,ſiue medium inter elementa.ſin autem his contra-

contrariis qualitatibus caret, non poteſt eſſe principium rerum mutabiliũ:quia omnis mutatio fit ex contrario in contrariũ,vt ex primo huius operis libro didicimus. Oſtendi nõ eſſe corpus infinitũ ſimplex, nec vt vnũ ex quatuor elementis,nec vt medium inter elementa: ſuprà autem oſtendi non eſſe corpus infinitũ compoſitum:nullo igitur modo eſt corpus infinitum .IV. Sumo duas hypotheſes.vna eſt,omne corpus ſenſibile eſt in aliquo loco.altera eſt,eundem eſſe locum totius,& partium. verbi gratiã, ignis & ſcintillæ eſt locus ſuperus: terræ autem & ſtellæ eſt locus inferus. His præmunitis,ſic argumentor:Si ſit corpus ſenſibile infinitum: aut conſtat ex partibus ſimilaribus,aut diſſimilaribus, ſed horũ neutrum dici poteſt: ergo nullo modo eſt corpus ſenſibile infinitum.Quòd nõ conſtet partibus ſimilaribus,probatur: quia hoc poſito ſequitur manifeſta abſurditas, nempe quamlibet partem vel ſemper moueri,vel ſemper quieſcere.etenim per ſecũdam hypotheſim idem eſt locus totius & partium: atqui locus totius eſt infinitus:ergo etiam locus partium eſt infinitus,nõ quòd pars poſſit occupare locum infinitum,ſed quòd pars corporis,in quacumque loci parte ſit, æquè dicitur eſſe in ſuo loco. quocirca omnium loci partium eadem eſt ratio, & in omni loci parte mouebitur vel quieſcet. Quod autem nõ conſtet ex partibus diſſimilaribus,ſic probatur: quia partium diſſimilarium diuerſi ſunt loci. quare corpus illud infinitum non poterit dici vnum , niſi impropriè, quatenus ea diſſimilaria ſunt contigua. Prætereà partes illæ diſſimilares neceſſariò ſunt vel finitę,vel infinitæ : atqui neque ſunt finitæ,quia ſi omnes ſint finitæ,non conſtituent totum infinitũ, & ſi infinita aliqua ſit, ceteras perimet: neque infinitæ, quia infinita eſſent elementa contra doctrinã primo libro traditam,& infiniti eſſent loci,ſiquidẽ locus debet eſſe rei locatæ par,etſi locus eſſet maior corpore, daretur aliqua pars loci corpore vacua,ſin autem eſſet minor,daretur aliqua pars corporis ſine loco,quorum vtrumque eſt abſurdum.

25 ¶ Hinc obiter notetur, cur nullus veterum philoſophorum ſtatuentiũ ens vnum infinitũ,dixerit eſſe infinitum ignem,aut terram,ſed vel infinitũ aërem,vel aquam,vel medium aliquod elementis interiectum : nimirùm quia ignis & terræ locus eſt magis definitus, quàm aëris,vel aquę:vtpo-

te cùm ignis locus ſit ſuperus, terræ inferus. aëris autem, & aquæ medius, qui ſuperiore eſt inferior, inferiore autem eſt ſuperior.

26 ¶ Obiter etiam infirmanda eſt ſētētia Anaxagoræ, qui dixerit infinitum ab alio non contineri, ſed eſſe in ſemetipſo, & ſemetipſum firmare & ſtabilire, proinde nō moueri, quia in ſuo loco eſt. Cōtra hanc ſententiam Ariſtoteles tribus modis argumentatur. I. Namque Anaxagoras falsò proponit, vbicumque res ſit, eam ibi eſſe naturaliter. quid enim prohibet rem alieno loco per vim detineri. II. Errauit putās infinitum eſſe cauſam quietis: quia ſi terra eſſet infinita, non ideo quieſceret, quia eſſet infinita, ſed quia quantacumque ſit, ſecundum ſuam naturam non mouetur à centro. III. Quia infinitum ſecundum Anaxagoram cōſtat ex partibus ſimilaribus, idem eſt locus totius & partium, vt dictum fuit ax. 24. quare vt totum eſt in ſemetipſo, ita quælibet pars eſt in ſemetipſa, vnde cùm totum ſecundum Anaxagoram ideo non moueatur, quia eſt in ſeipſo, eadem ratione nulla pars mouebitur, quia omnis pars eſt in ſeipſa. ita ſententia Anaxagoræ tollit omnem dubitationem.

27. ¶ Redeo ad rationes, quibus probabatur non eſſe corpus phyſicum infinitum: & cùm ax. 24. argumēta protulerim, nunc alia tria ſubiiciam. V. Igitur ſic argumentor. Nihil infinitum eſt graue, aut leue: omne autem corpus phyſicum eſt graue, aut leue: ergo nullum corpus phyſicum eſt infinitum. Maior propoſitio probatur: quia ſi corpus infinitum eſſet graue, tantùm eſſet inferiori loco. ſin autem eſſet leue, tantùm eſſet in loco ſupero. atqui infinitum occupat vniuerſum locum, neque igitur eſt graue, neque leue. Minor propoſitio vera eſt in corporibus ortui & interitui obnoxiis, cuiuſmodi corpus videtur poni ab Anaxagora. nam corpus cœleſte nec eſt graue, nec leue, vt in lib. de cœlo demonſtrabitur. VI. Locus eſt finitus: ergo etiam corpus. Cōſequentia patet. Antecedens probatur: quia locus definitur his differentiis, ſuprà & infrà, antè & retrò, dextrum & ſiniſtrum VII. Species loci ſunt ſex: ſuperus, inferus: anterior, poſterior, dexter, & ſiniſter. ſed in nulla harum loci ſpecierum infinitum eſt. ergo nullibi eſt infinitum. Ex dictis concluditur, non eſſe corpus ſenſibile infinitum.

CAP. VIII.

Infinitum eſſe, & quomodo ſit.

28 HActenus diſputatio de infinito. ſequitur methodica expoſitio an infinitũ ſit, quid, quale, & quotuplex ſit, & ad quod cauſæ genus referatur. CAP. 6.

29 ¶ Infinitum aliquo modo eſſe probatur tribus argumentis. I. Tempus eſt infinitum, vel quia ſecundum Platonem fine caret, vel quia ſecundum alios phyſicos nec principium nec finem habet. II. Magnitudo diuiditur in infinitum, vt lib. 6. probabitur. III. Numerus poteſt augeri in infinitum.

30 ¶ Infinitũ igitur aliquo modo eſt, aliquo modo non eſt.

31 ¶ Vt intelligatur quomodo ſit infinitum, duo ſunt præcognoſcenda. I. Aliud eſſe poteſtate, aliud actu. II. Infinitum dici vel adiectione, vt cùm numerus in infinitum augetur: vel detractione, vt cùm magnitudo in infinitum diuiditur. His præcognitis, dico in magnitudine eſſe infinitum poteſtate: non quia fieri poſſit, vt aliquando infinita magnitudo actu ſit: quicquid enim actu eſt, finitum eſt: ſed quia ſemper magnitudo poteſt diuidi. quapropter in infinitum partes fient: ſed partes, quæ factæ ſemper erunt finitæ.

32 ¶ Similiter tempus non eſt infinitum actu, ſed in infinitum creſcit, quatenus ſemper eſt nouum tempus. Itidem generatio progreditur in infinitum: atque hac ratione numerus hominum eſt infinitus, non actu, ſed poteſtate: quoniam homines qui actu ſunt, numero ſunt finito: ſed hic numerus perpetuò augetur nouis hominibus naſcentibus.

33 ¶ Non tamen eſt eadem ratio temporis & generationis, quæ eſt magnitudinis. nam magnitudinis partes permanent: temporis autem partes non permanent, quia tempus fluit, & poſteriore tempore oriente, prius perit. item noui quidem homines naſcuntur: ſed neceſſe eſt natos mori.

34 ¶ In eadem magnitudine ſpectatur infinitum detractione & additione. diuidatur enim magnitudo in duas partes: ex vna parte poterit in infinitum detrahi, quod alteri addatur, videlicèt ſi non detrahas certam magnitudinem, ſed partem proportione eandem. ſit (exempli gratiâ) magnitudo pedum viginti, quæ diuidatur in duas partes. vtraque pars

conſtabit decem pedibus. ergo ſi pedem ex vna decies detrahas, eam conſumes. ſed ſi ſemper dimidiam, vel tertiam, vel quartam reſidui partem ſumas, numquàm eos decem pedes conſumes, vt lib.6.demonſtrabitur.

35 ¶ Tam detractione quàm additione infinitum eſt poteſtate. quinetiam eſt actu non permanente, ſed ſucceſſiuo: quia continenter detrahi, & addi poteſt.

36 ¶ Detrahendo numquàm peruenitur ad minimam magnitudinem: quia omnis magnitudo diuidua eſt. addendo autem non licet ſuperare quamcumque magnitudinem: nam magnitudo mundi eſt maxima, qua nulla maior poteſt eſſe, & nihil ominùs magnitudini addi poteſt in infinitum: quia quod ex vna magnitudine detrahitur, alteri adiungi poteſt, quamuis igitur in infinitum illi magnitudini detrahatur, & illi detractum huic adiungatur, tamen maxima magnitudo non ſuperabitur.

37 ¶ Vtrumque infinitum nouit Plato: nempe infinitum additione, quod vocauit magnum: & infinitum detractione, quod appellauit paruum. ſed neutro vſus eſt in explicandis rerum naturalium principiis: quia ſecutus pythagoram, principio ad numeros retulit, in quibus poſuit terminos, detrahendo vſque ad vnitatem, & addendo vſque ad numerum denarium.

Cap. IX.

Quid ſit infinitum.

Cap. 7.

38 CVm docuerim infinitum eſſe: conſequens eſt, vt videamus quid ſit. Infinitum à veteribus definitur, Cuius nihil extra eſt, id eſt, cuius nulla pars abeſt: ſeu, extra quod nihil reperitur. Sed ſecundum Ariſtotelem tunc dicitur infinitum, cùm quicquid ex eo ſumatur, extra id licet ſumere aliquid diuerſum, vt in numero accidit, quicumque enim numerus accipiatur, ſemper ei poteſt diuerſus numerus adiungi: putà ſi ſumantur centum, aut mille, aut decem millia, his numer⁹ maior dari poteſt. annuli verò, qui pala carent, impropriè vocantur infiniti. quæcumque enim pars in eis accipiatur, extra eam eſt alia pars: verùm non eſt ſemper pars diuerſa, ſed in orbem progrediendo neceſſe eſt ad eandem

dem partem redire. Antiquorum autem definitio non conuenit infinito, ſed toti, ſiue integro. Metaphyſ. libr. 4. cap. 26. quod quidem totum ſiue integrum eſt finitum. nam totum eſt perfectum: perfectum autem habet finem ſeu terminum. Itaque rectiùs vniuerſum eſſe finitum dixit Parmenides, quàm Meliſſus infinitum.

Cap. X.

Infinitum quale ſit.

39 SVccedit tertia quæſtio, infinitum quale ſit. Hic notandæ ſunt ſeptem infiniti proprietates. I. Eſt materia perfectionis, quę in magnitudinibus reperitur, propterea quòd rationem habet materiæ: materia verò per ſe eſt infinita, & per formam terminatur ac finitur. II. Eſt totum poteſtate, non actu: ſiquidem (vt dixi) habet rationem materiæ: materia verò eſt poteſtas, forma eſt actus: & totum habet rationem formæ, partes autem materiæ. III. Partim eſt infinitum detractione, partim additione, vt fuit ſuprà expoſitum. IV. Eſt totum, & finitur, non per ſe, ſed per aliud, vt materia per formam. V. Non cõtinet, vt veteres philoſophi putant, ſed continetur: quãdoquidem forma eſt, quod continęt: materia verò continetur. VI. Eſt per ſe ignotum. VII. Habet rationem partis: quia materia eſt rei pars.

Cap. XI.

Quotuplex ſit infinitum.

40 SEquitur quarta quæſtio, quotuplex ſit infinitum. Hic notetur duplex infiniti diuiſio. I. Aut eſt infinitum adiectione, aut detractione, vt ſuprà expoſitum fuit. II. Infinitum ſpectatur, vel in numeris, vel in magnitudine, vel in motu, vel in tempore. In numeris datur minimum, non maximum: ideóque nõ poteſt detrahi ex numero in infinitum: quoniam vnitas, ad quam tandem peruenitur, diuidi nequit. ſed poteſt numerus in infinitum augeri. Cõtrà in magnitudine datur maximum, id eſt magnitudo mundi: non datur minimum, quia omnis magnitudo poteſt diuidi in infinitũ, vt lib. 6 probabitur. Primò autem reperitur infinitum in ma-

gnitudine : quia(vt iam dixi) magnitudo poteſt in infinitum diuidi : deinde ratione magnitudinis reperitur in numeris.cùm enim magnitudo in infinitum diuiditur, & ſubdiuiditur:numerus partium in infinitum augetur.item ratione magnitudinis infinitum attribuitur motui : quia tãtus eſt motus,quanta eſt magnitudo,per quam res mouetur. deniq; ratione motus attribuitur tempori:quia tempus eſt numerus motus,vt lib.ſequ.definietur.Hæc ſunt intelligenda de infinito,prout in præſentia accipitur.nam de virtute infinita,quę in Deo eſt,in præſentiâ non loquimur,cùm tractemus de rebus phyſicis.verùm de ea lib.8.dicemus.

41 ¶ Ei quod diximus dari maximam, non minimam magnitudinem, videtur obſtare, quòd mathematici interdum conſiderant magnitudinem infinitam, vt Euclides lib. 1.prop.12.ſumit lineam infinitam. Reſpondeo eum non ſumere lineam actu infinitam, ſicut infinitum à nobis in præſentiâ accipitur:ſed eam vocat infinitam, quia non vult definire,quanta ſit,adeo vt reuera ſumat lineam cuiuſcumque magnitudinis finitæ.

Cap. XII.

Ad quod cauſæ genus referatur infinitum.

42 SVpereſt quinta quæſtio, ad quod cauſæ genus infinitum referatur. Ariſtoteles refert ad materialem: cúmque materia lib.1.diuiſa fuerit in ſubiectum & priuationem, infinitum habet rationem priuationis : infinitas namque accidit materiæ,vt priuatio:quia materia, quæ eſt priuata formâ,non habet finem ſeu terminum,quippe quę finitur ac terminatur à forma.

48 ¶ Quoniam igitur forma eſt, quæ continet, materia verò continetur:idcirco abſurdè veteres dixerunt infinitum continere:quia potiùs continetur:ſiquidem(vt dixi)materiæ rationem habet.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XX.

NATVRALIS AVSCVLTATIONIS QVARTVS.

CAP. I.

Agendum eſſe de loco.

DEINCEPS de loco agendum eſſe probatur, I. Quia entia,id eſt(vt paulò pòſt demonſtrabitur) corpora ſunt in loco. II. Quia motus maximè propriè dictus fit in loco. III. Quia multæ dubitationes ſunt de loco dignæ inquiſitione,prçſertim quia expoſitio ex veterum philoſophorum ſcriptis haberi nequit. Cap. I.

CAP. II.

An ſit locus.

2 IN primis videndum an locus ſit. Locum autem eſſe probatur. I. Quia idem receptaculum ſucceſſiuè recipit diuerſa corpora. vtpote vbi erat aqua, iam effusâ aquâ eſt aër. locus igitur eſt diuerſum quiddam à rebus locatis: quandoquidem iis mutatis non mutatur, ſed idem manet. II. Quia alia elementa alium locum appetunt,vt ignis ſuperum,terra inferum. hæc ratio probat non ſolùm locum eſſe, ſed etiam habere vim quandam:probat etiam loci differentias, ſuprà & infrà, antè & retrò, dextrum & ſiniſtrum, non hominum arbitrio, ſed à natura in rebus naturalibus eſſe conſtitutam. ſuperior enim locus nõ eſt reſpectu noſtro,ſed eſt is,ad quem leuia feruntur.ſimiliter inferus,quò grauia tẽdunt.quæ verò à nobis cõſtituuntur, ſæpe variãtur:vt eadem res modò mihi eſt dextra, modò ſiniſtra: & modò ſuperior, modò inferior. locus itaq; rerũ naturaliũ eſt naturalis,quem-

uis in rebus mathematicis noſtro arbitrio & reſpectu differentiæ loci ponantur, verbi gratiâ pars quadrati eſt dextra, & ſiniſtra. III. Locum eſſe probatur auctoritate eorum, qui ponunt inane: nam ſecundum eos inane eſt locus. IV. Locum non tantùm eſſe, ſed etiam admirabilem quandam vim habere. probatur auctoritate Heſiodi, qui in Theogonia aſſerit primùm factum eſſe locum, quem vocat chaos, deinde terram: ita vt locus ſit primùm genitus, ſine quo reliqua non conſiſtunt: & quod perpetuò manet, quamuis omnia, quæ ſunt in loco, intereant.

Cap. III.

Dubitationes de quidditate ſeu genere loci.

3 CVm probatum ſit locum eſſe, conſequenter videndum eſt, quid ſit. cùm autem in definitione primum locum obtineat genus rei definitę, inquirendum eſt loci genus, præſertim quia de eo maximè dubitatur.

4 ¶ Locus videtur eſſe I. Corpus: quoniam habet trinam dimenſionem, id eſt, altitudinem, latitudinem, & longitudinem, ſicut corpus. Sed hoc falſum eſt: quia duo corpora in eodem eſſent, videlicet corpus locatum, & locus, qui dicitur eſſe corpus. II. Receptaculum rerum locatarum. Contra hanc ſententiam ſic argumentor: Locus puncti non differt à puncto: proinde non eſt receptaculum puncti: ergo locus lineæ non eſt receptaculum lineæ, & locus ſpeciei non eſt receptaculum ſpeciei, & locus ſuperficiei nō eſt receptaculum ſuperficiei, & locus corporis non eſt receptaculū corporis. Antecedens probatur: quia punctum à puncto nō differt, niſi poſitione, I. de Anima, ca. 6. partic. 6. pūctum autem & eius locus non differunt poſitione, cùm in eodem poſita ſint: nullo igitur modo differunt. Conſequentia probatur: quia eadem eſt ratio corporis, & terminorum eius: termini autem corporis ſunt ſuperficies, linea, & punctum. mutato namque corpore, quod eſt in loco, mutantur etiam termini. exempli gratiâ, cùm aqua effunditur, exeūt ſuperficies, lineę, & puncta ipſius aquæ: & vnà cum aëre ingrediuntur ſuperficies, lineæ, & puncta eiuſdem aëris. III. Elementum, vel aliquid conſtans ex elementis. Contra hanc ſententiam ſic argumen-

gumentor: Locus non eſt corpus, vt ſuprà probaui: ergo nec eſt elementum rerum corporalium, nec cõſtat ex huiuſmodi elementis. Rurſus corpus habet longitudinem, latitudinem, & altitudinem: ergo dici non poteſt elemẽtum rerum incorporalium, vel conſtare ex huiuſmodi elementis. IV. Cauſa entium. Sed oppono, quòd neque eſt materia, neq; forma, nec efficiens, nec finis. V. Ens. Oppono, quòd omne ens alicubi eſt: locus autem nullibi eſt: quia locus non eſt in loco: alioquin eſſent infiniti loci in eodem loco: quod eſt abſurdum. hic enim locus eſſet in illo loco, & ille in alio, & ita in infinitum. VI. Aliquid æquale rei locatæ, adeo vt neque ſit locus ſine corpore, neque corpus ſine loco. Oppono, quòd ſecundum hanc ſententiam aucto corpore neceſſe eſt augeri locum: quod falſum eſt.

Cap. VI.

Quid ſit locus.

5 HActenus diſputatum eſt: nunc exponamus, quid re Cap. 4.
vera locus ſit. ſed in primis multa ſunt præmunienda, quò faciliùs inueniatur loci definitio. I. Locus continet rem locatam. II. Locus non eſt pars rei locatæ. III. Primus, id eſt proximus eſt æqualis rei locatæ, non maior, nec minor. IV. Locus ſeparatur à quolibet corpore, ſed non ab omni corpore ſimul, quia non datur vacuum. V. Omnis locus habet partem ſuperiorem, & inferiorem. VI. Res naturales ad ſuum locum mouentur, & in eo quieſcunt. VII. Quærenda eſt loci definitio, quæ ſoluat omnes dubitationes, confirmet attributa loci, & patefaciat cauſam, propter quam difficilis eſt loci cognitio. VIII. Motus eſt cauſa cur tractetur de loco. intellige motum localem, necnon auctionem & deminutionem. quod enim localiter mouetur, locum mutat: & quod augetur maiorem locum occupat, quàm antea obtinebat. quod verò deminuitur, minorem occupat locum. IX. Quicquid actu mouetur: aut mouetur per ſe, vt nauis: aut per accidens, vt clauus & color nauis: quæ autem mouentur per accidens, ſunt in duplici differentia. quædam enim poſſunt per ſe moueri, vt clauus, ſi ex naui extrahatur: quædam non poſſunt per ſe moueri, quia non ſunt

corpori, vt color. X. Quæ dicuntur eſſe in loco remoto, in eo eſſe dicuntur ratione primi & proximi loci. vt ſtudioſi ſunt in vrbe, quia ſunt in auditorio, quod in vrbe eſt: & ſunt in auditorio, quia ſinguli ſunt in certis auditorij locis. XI. Quod continetur, non eſt in loco, ſed in toto: vt pars baculi eſt in baculo: ſin autem ſit contiguum, dicitur eſſe in loco, vt aqua in vaſe. & illud quidem non mouetur in toto, ſed cum toto, vt pars baculi non mouetur in baculo, ſed cum baculo, hoc autem, quod eſt contiguum, mouetur in eo, in quo eſt, etiamſi illud quieſcat: vt aqua mouetur in vaſe, licèt vas non moueatur. itaque continuum dicitur eſſe pars in toto: contiguum autem dicitur eſſe in loco. Hactenus præmunitiones.

6 ¶ His præmunitis, ſic argumentor: Aut locus eſt forma, aut materia, aut interuallum à corpore occupatum, aut ſuperficies interna corporis ambientis: ſed neque eſt forma, neque materia, neque interuallum: ergo eſt ſuperficies corporis ambientis.

7 ¶ Locus videri poteſt eſſe forma: quia ſimilis eſt formæ. ſicut enim forma continet materiam, ita locus rem locatam. item ſicut forma eſt ſimul cum ſua materia, ita locus eſt ſimul cum re locata. Sed nihilomagis locus eſt forma: quoniam à forma differt: quod quidem forma eſt terminus rei formatæ, locus autem non eſt terminus rei locatæ, ſed rei continentis: vt locus aquæ non eſt terminus aquæ, ſed vaſis, in quo eſt aqua.

8 ¶ Rurſus videri poteſt locus eſſe interuallum à corpore locato diſiunctum: quia mutatis corporibus, idem interuallum manere videtur, vt vas continet ſex menſuras ſiue in eo ſit vinum, ſiue aqua, ſiue aliud corpus. Reſpondeo eſſe idem ſpecie interuallum, non idem numero: vt aqua exeunte, & ingrediente vino, exeunt ſex menſuræ aquæ, & ingrediuntur ſex menſuræ vini.

9 ¶ Non eſſe autem interuallum, ſic probo: I. Corpus locatum, cùm poſſit in infinitū diuidi, infinitis partibus conſtat: & ſicut totum corpus occupat totum locum, id eſt, totum interuallum; ita ſingulæ partes corporis occupant ſingulas partes interualli, quæ partes ſunt loca partium corporis. quare vt ſunt infinitæ partes corporis, ita harum

partium

partium infinita ſunt loca, quæ omnia ſunt in eodem loco, id eſt in eodem interuallo. ſi igitur locus ſit interuallum, infinita loca erunt in eodem loco, quod eſt abſurdum. II. Si locus ſit interuallum, locus locũ mutabit, & locus in loco erit, & multa loca ſimul erunt. nam tranſlato vaſe transfertur interuallum eo vaſe contentum. Vt igitur vas, ita etiam interuallum locum mutat: & in quo loco eſt vas, putà in horreo, in eo eſt etiam interuallum. duo igitur loco ſimul ſunt, id eſt, locus vaſis, & interuallum vaſe contentum.

10 ¶ Præterea locus videri poteſt eſſe materia: quia mariæ ſimilis eſt. I. Namque vt materia non gignitur nec interit, dum res materiatæ gignuntur & intereunt, ita locus non mouetur, dum res in eo mouentur. II. Vt materia ſemper habet aliquam formam, ita locus ſemper continet aliquam rem locatam, quia non datur vacuum. III. Vt materia coniungitur cum forma, ita etiam locus aliquo modo connectitur cum re locata.

11 ¶ Locum non eſſe materiam patet: quia tribus differentiis à materia ſeiungitur. I. Aliter loquimur de loco, quàm de materia. cùm enim mutatio fit circa materiam, dicimus (exẽpli gratiâ) quòd erat aer, nunc eſſe aquam: cùm autem mutatio fit circa locum, dicimus, vbi erat aer, ibi eſſe aquam. II. Res non mutat materiam, ſed locum: vt homo non abiicit ſuam materiam, vt aliam ſuſcipiat, ſed de loco in locum migrat. III. Materia non continet formam, ſed continetur à forma: locus autem continet rem locatam.

12 ¶ Ex dictis patet locum eſſe ſuperficiem corporis continẽtis: res autem locata eſt corpus, vt ſuperficies interna vaſis aquam continentis eſt locus illius aquæ: ipſa autem aqua eſt res locata, id eſt, eo vaſe contenta.

13 ¶ Difficilis eſt loci cognitio: quia partim videtur forma, partim materia, partim ſpatium ſiue interuallum, cùm reuerà nihil horum ſit.

14 ¶ Præterea locus eſt immobilis, adeo vt eleganter dici poſſit locum eſſe vas immobile, vas autem eſſe locum mobilem.

15 ¶ Ex dictis colligamus perfectam loci definitionem: locus eſt terminus, id eſt, ſuperficies corporis continentis: terminus (inquã) immobilis, & primus id eſt proximus. nam

proximum locum definitio. hoc eſt, ſuperficies corporis continentis appellatur locus, non quatenus eſt terminus corporis continentis, ſed quatenus ſuo ambitu complectitur aliud corpus.

Cap. VII.

Corollaria.

16 IN mundo ſuperus locus eſt, quò leuia tendunt, id eſt citima ſuperficies orbis lunæ. locus autem inferus eſt, quò grauia feruntur verſus centrum mundi.

Cap. 5. 17 ¶ Non omnia corpora ſunt in loco, ſed ea tantùm, quę aliis corporibus continentur: itaque ſupremum cœlum non eſt in loco. item vniuerſum non eſt in loco, niſi ratione partium. ſimiliter vniuerſum non mouetur, niſi ratione partium: nihil enim eſt, quo vniuerſum contineatur: nec extra vniuerſum eſt locus, in quem vniuerſum migrare poſſit: ſed eius partes ſunt in loco, vt aqua continetur ab aëre, aër ab igne, ignis ab orbe lunæ.

18 ¶ In loco alia ſunt poteſtate, alia actu. nam partes continui actu ſunt in toto, non in loco. ſed ſi totum diuidatur, iam ſingulæ partes actu in loco erunt.

19 ¶ Rurſus alia per ſe ſunt in toto, alia ex accidenti. Per ſe in loco eſt corpus, quod eſt per ſe mobile, id eſt, quod mouetur vel latione, vel auctione, vel deminutione: quoniam hi motus ad locum pertinent, vt dictum fuit ax. 5. Per accidens dicitur eſſe aliquid in loco: vel quia eſt in eo, quod per ſe mouetur, & per ſe eſt in loco: vel quia ratione partium hoc ei attribuitur. exempli gratiâ, quia corpus per ſe eſt in loco, & per ſe mouetur, idcirco anima, quæ eſt in corpore, dicitur eſſe in loco, & moueri per motum corporis. mundus autem per ſe non eſt in loco: quia nihil eſt, quod mundum ambiat: neç per ſe mouetur, quia neque poteſt migrare in alium locum, neque augeri, neque minui: ſed ratione partium locus & motus ei tribuuntur, quia partes mundi mouentur, & in loco ſunt: vt ignis continetur ab orbe lunæ, aër ab igne, aqua ab aëre.

20 ¶ Extra mundum nihil eſt: quia mundus eſt τὸ πᾶν, id eſt vniuerſum.

21 ¶ Partes mundi ab infima ad ſupremam hoc ordine naturali

naturali ſunt conſtitutæ: vt terra contineatur ab aqua, aqua ab aëre, aër ab igne, ignis à cœlo: extra cœlum autem nihil eſt, quod ipſum contineat.

22 ¶ Quòd igitur aquæ in vnum locum ſecedentes, terram detectam reliquerint, ſingulari Dei benignitate tale factum eſt, vt animalibus terrenis, præſertim homini locus daretur. quam ob cauſam etiam ſalſedo mari eſt attributa, quominùs diffluat & exundet.

23 ¶ Magna dubitatio eſt, quomodo cœlum, cùm ſit corpus mobile, non ſit in loco. nam hæc eſt ferè omnium Ariſtotelis interpretum ſententia: quam vt defendant, alij alia comminiſcuntur. nos dicimus ſuprà cœlum mobile aliud eſſe cœlũ immobile, vt & Plato, & alij veteres philoſophi Simplicio referente aſſeruerunt, vbi eſt beatorum ſedes, quò raptus fuit Apoſtolus, qui illud vocat tertium cœlum. nam primum eſt ſublunare: ſecundum eſt, in quo ſunt ſtellæ, & aſtra: tertium eſt ſupremum, quod eſt immobile, & ideo non eſt in loco, ſed eſt locus cœli mobilis, & ſuo ambitu vniuerſa complectitur.

24 ¶ Cùm locus ſit æqualis rei locatæ: videtur re aucta neceſſe eſſe vt locus augeatur, ſicuti dictũ fuit axio. 4. mẽbr. 6. quod tamen eſt abſurdum. Hæc dubitatio ita ſoluitur: Neceſſe eſſet locum augeri, ſi locus eſſet interuallum. ſed cùm ſit ſuperficies corporis ambientis, non augetur re aucta, ſed mutatur, id eſt, fit nouus locus: quia res aliâ ſuperficie continetur poſtquã aucta eſt, quàm contineretur ante auctionem.

25 ¶ Puncti locus nullus eſt: quia ſuperficies, quam diximus eſſe locum, non ambit punctum, ſed corpus.

26 ¶ Locus non eſt in loco, ſed eſt vt terminus in re terminata, id eſt, ſuperficies in corpore.

27 ¶ Res naturales feruntur ad ſua loca, & in his quieſcũt, propter cognationẽ quam inter ſe habent. vt elementa, cùm non poſſint omnino, ſed tantùm ratione vnius qualitatis inter ſe conuenire, ratione huius qualitatis ſunt inter ſe contigua. exempli gratiâ, aqua eſt ſimilis aëri, quia vtrumque eſt elementum humidum: omnino autem differt ab igne, quia aqua eſt humida & frigida, ignis eſt ſiccus & calidus: aqua igitur aptiùs collocatur ſub aëre, quàm ſub igne: & locus eius eſt inferior ſuperficies aëris, non ſuperficies ignis.

Cap. VIII.

Aliorum rationes de inani.

Cap. 6. 38 CVm dictum ſit de loco, conſequenter dicendum eſt de inani: quia veteres in rerum natura ponentes inane, putabant inane eſſe locum. Eſſe autem inane, ſic probabant: I. Si non eſt inane, non eſt motus: atqui eſt motus: ergo eſt inane. Minor eſt manifeſta. Maior probatur: quia cùm res mouetur, migrat in aliquem locum. ſi igitur ille locus non eſt inanis, in eo eſt aliud corpus. quare duo corpora erunt in eodem loco: quod eſt abſurdum. Hoc argumento vtitur Lucretius libro primo, illo loco,

Quapropter locus eſt intactus inane vacánſque.
Quod ſi non eſſet, nulla ratione moueri
Res poſſent. namque officium quod corporis extat,
Officere atque obſtare, id in omni tempore adeſſet
Omnibus. haud igitur quicquam procedere poſſet:
Principium quoniam cedendi nulla daret res.
At nunc per maria & terras, ſublimáque cæli
Multa modis multis varia ratione moueri
Cernimus ante oculos.

II. Dolium vino plenum, ſi vinum in vtres diffundatur, capiet idem vinum cum vtribus, ſect. 25. problem. 8. ergo in vino ſunt ſpatia quædam vacua, in quæ partes vini ſecedunt, vt locum dent vtribus: alioqui daretur penetratio corporum. III. Alimentum diſtribuitur per vniuerſum corpus animalis: tranſit igitur per meatus quoſdam inanes & vacuos: ſiquidem non datur penetratio corporum. Hoc argumento vtitur etiam Lucretius eodem lib. 1. illo loco,

Præterea quamuis ſolidæ res eſſe putentur:
Hinc tamen eſſe licet raro cum corpore cernas:
In ſaxis ac ſpeluncis permanat aquarum
Liquidus humor, & vberibus flent omnia guttis:
Diſſipat in corpus ſe ſe cibus omne animantum:
Creſcunt arbuſta, & fetus in tempore fundunt,
Quòd cibus in tota vſque vel ab radicibus imis
Per truncos ac per ramos diffunditur omnis:
Inter ſepta meant voces & clauſtra domorum
Tranſuolitant, rigidum permanat frigus ad oſſa:

Quod,

Quod,niſi inania ſint quà poſſent corpore quæque
Tranſire,haud vlla fieri ratione videres.

IV. Vas tantumdem aquæ recipit ſine cinere,& plenum cinere,ſect.25.problem. 8.ergo cinis habet in ſe ſpatia inania, in quæ recipitur aqua. V. Res omnes terminantur inani:in primis numeri: vt tria & quatuor ſunt numeri diſtincti, inter quos nihil eſt interiectum:ergo inter eos eſt inane,à quo diſtinguuntur.Hæc eſt Pythagoreorum ſententia, qui dicebant extra mundum eſſe inane: mundum autem, tamquam magnum quoddam animal, reſpirare, & attrahere inane: quod inane in mundo receptum,primò numeros,deinde alias res diſterminat:alioquin omnia eſſent continua.

Cap. IX.

Quid inane ſignificet.

29 TRibus modis inane definitur ab iis qui ponunt inane. I. Inane eſt locus,in quo nihil eſt. Qui ſic definiunt,non putant eſſe aliud ens, quàm corpus ſenſibile. Per hanc autem definitionem ſeparatur locus inanis à pleno,id eſt,in quo eſt aliquod corpus. II. Inane eſt locus, in quo non eſt ſubſtantia corporea. Qui ſic definiunt, concedunt eſſe quædam entia incorporea. III. Inane eſt materia corporum.Qui hoc modo definiunt, eò reſpiciunt,quòd putant inane eſſe locum,ac locum eſſe materiam corporum, vt ſuprà dictum fuit. Cap.7.

Cap. X.

Solutio rationum,quibus eſſe inane confirmabatur.

30 AD rationes pro inani adductas, ſic reſpondemus. Ad primam, negamus conſequentiam à motu ad inane.Obiiciebatur,quòd, niſi locus, in quem res migrat,ſit inanis, duo corpora ſimul erunt. Reſpondeo duobus modis.Primò hanc rationem pertinere ſolùm ad motum localem, proinde non tollere omnem motum. Secundò rem, quæ in alium locum migrat, non reperire eum locum vacuũ,ſed repletũ aliquo corpore: nec proptereà duo corpora

ſimul eſſe, quia dum hoc corpus aduenit, alterum ei cedens abit,& in eius locum hoc ſuccedit. corpora autem, quæ mouentur, ſibi inuicem ſuccedere, atque ita moueri ſine inani, patet ex aqua, quæ in vaſe circumuoluitur. Ad ſecundam dicimus non eſſe ſpatia inania in vino: ſed dum vinum effunditur,& in vtres conijcitur, hiſque comprimitur, partes ſubtiliores, quæ in vino inſunt, hac ratione extruduntur, atq; ita ſit locus vtribus. Ad tertiam negamus, meatus, per quos alimentum tranſit, eſſe inanes: immo in his eſt humor aliquis, aut ſpiritus quidem tenues, qui aliméto per eos meatus tranſeunti cedunt. Ad quartam dicimus, cùm aqua infunditur in vas plenum cinere, comprimi cinerem, ita vt aër incluſus extrudatur: præterea aquam euaporari: vnde fit, vt in eodem vaſe ſit locus cineri, & aquæ. Ad quintam negamus res per inane diſtingui ac diſterminari: immo partim per ſuam naturam,& per ſuas qualitates ſeiunguntur, partim quia ſunt in diuerſis locis.

Cap. XI.

Non eſſe inane ſeparatum à corporibus.

Cap. 8. 31 DEinceps probabo nullo modo eſſe inane, nec à corporibus ſeparatum, nec ab eis occupatum, nec in eis incluſum.

32 ¶ Non eſſe inane ſeiunctum à corporibus, ſic probo. I. Inane nullius rei cauſa eſt: ergo in rerum natura poni non debet. Conſequentia patet: quia nihil eſt in rerum natura ſuperfluum. Antecedens probatur: quia ſi cuius rei inane eſſet cauſa, motionis localis eſſet cauſa, vnde à veteribus propter hanc motionem ponebatur: atqui huius motionis ſunt aliæ cauſę, vt grauitas ſeu locus inferus eſt cauſa cur terra deſcendat, & leuitas ſeu locus ſuperus eſt cauſa, cur ignis adſcendat: ergo hæc cauſa, id eſt, inane, fruſtra ponitur. II. Si res in inani moueantur, neceſſe eſt diſtingui partem inanis, à qua res mouetur, & partem, ad quam mouetur, ſeu in qua quieſcit: quandoquidem res vna non poteſt occupare totum inane, nec moueri ad totum inane: atqui hæ partes in inani diſtingui non poſſunt: ergo inane non eſt. III. Si res ad inane feratur, cùm eò peruenerit, pars rei occupabit partem inanis: proinde pars erit in loco, contra doctrinam ſuprà tradi-

traditam: diximus enim partem eſſe in toto, non in loco. IV. Non eſt locus ſine corpore:ergo non eſt inane. Conſequentia patet. Antecedens probatur: quia locus eſt accidens, proinde non eſt ſine ſubiecto. V. Aut non eſt inane, aut non eſt motus, neque naturalis, neque violentus: atqui eſt motus tam naturalis, quàm violentus: ergo non eſt inane. Poſito inani, tolli motum naturalem, probo: cùm quia non eſt motio, niſi ſit aliqua motionis cauſa, nulla autem cauſa eſt, cur res, quæ eſt in aliqua parte inanis, moueatur ad aliam partem inanis, ſiquidem inter partes inanis nulla differentia poſſit afferri: tum etiam quia proportio debet eſſe inter motum, rem motam, & id in quo fit motus. vtputa quam rationem habent leuia ad locum ſuperum & adſcenſum, eandem habent grauia ad locum inferum & deſcenſum, talis autem proportio in inani reperiri nequit: quoniam in infinito inani nec eſt ſuperum, nec inferum, nec vlla alia differentia. Tolli autem motum violentum, ex eo probo, quòd iam oſtendi tolli motum naturalem, qui eſt poſterior violento: priori namque ſublato, tollitur etiam poſterius. Rurſus ſi lapis (exempli gratiâ) proiectus, & à manu proiiciẽte ſeparatus, moueretur in inani: ſequeretur hæc abſurditas, quòd moueretur ſine mouente: quia nec manus ampliùs mouet, nec aliud eſt quod poſſit mouere. VI. In inani res vel ſemper mouebitur, vel ſemper quieſcet: quia cùm inane ſit quoddam non ens, nulla eſt in eo cauſa motus, vel quietis. quare ſi res in eo moueatur, nulla eſt cauſa cur ampliùs quieſcat. & ſi quieſcat, nulla eſt cauſa cur moueatur. ita ſequetur hæc abſurditas, nihil eſſe, quod modò moueatur, modò quieſcat. VII. Si (vt dicunt aduerſarij) res moueatur ad inane, quia inane cedit, non ad plenum, quia plenum non cedit: certè res quo quò verſum feretur, quia omnes partes inanis æquè cedunt. ſic res graues non ſolùm deſcẽdent, ſed etiam adſcendent: & leues non ſolùm adſcendent, ſed etiam deſcendent. VIII. In motu, & in iis, in quibus fit motus, eſt quædam proportio: quia quò craſſius eſt id, per quod res mouetur, eò tardior eſt motus: & quò eſt tenuius, eò celerior eſt motus. vt ſi aqua eſt duplo craſſior, quàm aër: eiuſdem rei motus per aquam duplo tardior erit, quàm per aërem. quare ſi motus per vacuum fieret, res celeriùs moueretur per vacuum,

quàm per plenum, ita vt eſſet quædam proportio inter vacuum & plenum. atqui vacuum eſt non ens, & plenum eſt ens. ergo nulla eſt inter ea proportio. IX. Duæ magnitudines diuerſi ponderis, vel diuerſæ leuitatis eâdem celeritate ferrentur, ſi per vacuum mouerentur: quia vacuum cuiuis corpori æquè cedit.

Cap. XII.

Non eſſe inane aliquo corpore occupatum.

33 NOn eſſe inane à corpore occupatum, probo. I. Quia ratio, propter quam duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco, nulla alia eſt, niſi quia duæ quantitates non poſſunt ſimul eſſe: quandoquidem eſſentia & qualitas ad locum non pertinent: res enim ratione ſolius quantitatis ſunt in loco, & tantum loci occupant, quanta eſt eorum quantitas. eadem igitur ratio obſtat, quò minùs corpus poſſit eſſe in inani: quia quantitas corporis, & quantitas ipſius inanis ſimul eſſent: quod fieri nequit. Quantitatis vocabulo hic ſignificamus trinam dimenſionem, id eſt, longitudinem, latitudinem, & altitudinem. II. Aduerſarij fruſtra ponunt trinam dimenſionem diſtinctam à corpore, quam vocant inane ſeu vacuum: quia hæc trina dimenſio eſt in ipſo corpore: ſiquidem omne corpus eſt longum, latum, & altum. non eſt igitur alia dimenſio quærenda, præter eam, quæ eſt in corpore.

Cap. XIII.

Non eſſe inane in corporibus.

Cap. 9. 34 INane eſſe in corporibꝰ incluſum, quidam ex eo probabant, quòd corpora ſunt rara, vel denſa. nam inane putabant eſſe cauſam raritatis, & adſcenſus.

35 ¶ Hæc ſententia repudianda eſt. nam ſi inane eſt in corpore incluſum, neceſſe eſt, vt vel occupetur ab aliqua parte corporis, vel à nulla. Si dicatur occupari à parte corporis, contra hanc ſententiam valent argumenta primo capite adducta. Sin autem dicatur eſſe omnino corpore vacuum, aduerſus hanc ſententiam valent argumenta capitis vndecimi.

36 Quòd

36 Quòd ſi inane eſſet cauſa motus,id eſt,adſcenſus:certè quò plus inanis corpus haberet,eò magis adſcenderet, ipſum autem inane maximè adſcenderet: atque ita inane moueretur, quod eſt abſurdum: & inſuper nulla eſſet cauſa deſcenſus.

Cap. XIV.

Dubitationes pertinentes ad quæſtionem an ſit tempus.

37 SVpereſt vltima naturalium corporum affectio conſideranda, nimirum tempus:de quo videndum, an ſit,& quid ſit. Cap.10.

38 Etſi perſpicuè apparet tempus eſſe: tamen dubitationem facit hæc obiectio:Nulla pars temporis eſt:ergo tempus non eſt.Conſequentia videtur manifeſta. Antecedés probatur:quia præteritum non eſt amplius: futurum nondum eſt: præſens verò non eſt pars temporis, quia eſt indiuiduum, vt punctum in linea,indiuiduum autem non poteſt eſſe pars rei diuiduæ,vt libro ſexto probabitur. Ad hoc argumentum neganda eſt conſequentia:quæ valet quidem in rebus permanentibus,vt in homine,& ſtatua,non in rebus ſucceſſiuis, vt motu, & tempore.vt enim hæ res ſint, non eſt opus earum partes eſſe,ſed ſufficit eſſe aliquid,quod eas partes cõnectat: vt præſens ſiue inſtans connectit præteritum cum futuro,

Cap. XV.

Variæ opiniones de natura & eſſentia temporis.

39 VEterum ſententiæ de tempore tres ab Ariſtotele recéſentur,& examinantur:Prima Platonis in Timæo aſſerentis tempus eſſe motum Vniuerſi: Secũda Pythagoræ,tempus eſſe ſphæram Mundi:Tertia,quam poſtea Stoici ſunt amplexi, tempus eſſe motum ſimpliciter. His adde, ſi placet,duas opiniones ab Ariſtotele prætermiſſas, quæ recentiores auctores habent. Nam Democritus Theophraſti diſcipulus tempus definiuit quantitatem in actionibus,id eſt durationem ſingularum actionum,quæ in tempore fiũt. Plotinus verò ſtatuit tempus eſſe vitã animæ in motu tranſeũte ex alia in aliam vitam,id eſt,operationem intellectus diſtinguẽtis partes motus:qui quidem motus tranſit,ac fluit,ita vt

ſemper ſit noua vita,id eſt, noua operatio intellectus, prout continenter ſit nouus motus,& nouum tempus.

40 Tempus non eſſe motum Vniuerſi, contra Platonem ſic probatur. I.Motus Vniuerſi eſt conuerſio,id eſt,motus orbicularis:ſed tempus non eſt conuerſio:ergo tempus non eſt motus Vniuerſi. Maior patet.Minor ſic probatur:Conuerſionis pars non eſt conuerſio;quia conuerſio tum demum dicitur,cùm res quæ mouetur,ad idem punctum rediit,à quo diſceſſit:atqui pars conuerſionis eſt tempus,vt Platonici fatentur.ergo tempus non eſt conuerſio. II. Si plures eſſent mundi,vt Democritus exiſtimabat,plura ſecundum Platonicam temporis definitionem eſſent tempora, id eſt, tot tempora, quot mundorum conuerſiones:atqui conſequens eſt falſum, quia reuera vnum eſſet tempus omnibus mundis commune: ergo abſurda eſt Platonica temporis definitio.

41 Tempus eſſe ſphæram mundi,Pythagorei ſic probant: In Vniuerſi ſphæra omnia ſunt:atqui in tempore omnia ſunt: ergo tempus eſt ſphæra Vniuerſi. Hæc opinio eſt perſpicuè abſurda:& ratiocinatio eſt vitioſa,quia eſt affirmatiua in ſecunda figura.

42 Tempus non eſſe motum ſimpliciter,ſic probatur. I. Omnis motus in eo quod mouetur,aut ibi vbi res mouetur:ſed tempus non eſt in eo tantùm quod mouetur, nec ibi tantùm vbi eſt id quod mouetur,ſed eſt vbique,& apud omnes,ſiue moueantur,ſiue non moueãtur:ergo tempus non eſt motus.II.Omnis motus eſt velox,aut tardus : tempus autem, nec eſt velox,nec tardum:ergo tempus non eſt motus.

Cap. XVI.

Quid ſit tempus.

Cap. II. 43 QVò faciliùs habeatur definitio temporis :quædam ſunt præmunienda. I. Tempus nec eſt motus,nec ſine motu. Non eſſe motum , probauimus ſuperiori capite. Non eſſe ſine motu,probatur: quia per motum intelligitur, & ſine motu non percipitur,vt accidit dormientibus. nemo enim percipit quanto tempore dormierit,quia dormiẽs non percepit motum. II. Tempus eſt aliquid ipſius motus, adeo vt nec motus ſine tempore,nec tempus ſine motu percipiantur.

tur. III. Tempus eſt continuum.cùm enim magnitudo,per quam res mouetur,ſit cōtinua,ne detur vacuum: certè etiam motus,qui per eam magnitudinem continenter fit, eſt continuus.& quia motus eſt continuus,etiam tempus eſt continuum,quandoquidem tantum eſt tempus, quantus eſt motus. IV. In tempore eſt prius & poſterius. quæ differentiæ primùm ſunt in magnitudine,per quam fit motus: (eæ namque partes magnitudinis ſunt priores,per quas res priùs mouetur:hæ poſteriores,per quas poſteriùs mouetur)deinde ſūt in motu:quia prior pars motus eſt,qua res mouetur per priorem partem magnitudinis,poſterior autem eſt,qua mouetur per poſteriorem partem magnitudinis. ſimiliter itaque eædem differentiæ ſunt in tempore: quia prior pars temporis eſt,qua res initiò mouetur, poſterior verò eſt, qua res poſtea mouetur.

44 ¶ Ex diſtinctione prioris & poſterioris in motu cognoſcimus tempus.nam tempus nihil aliud eſt,quàm numerus motus ſecundū prius & poſterius.Rectè dicimus tempus eſſe numerū:quia numero diiudicamus prius & poſterius: iā autem docui tempore hæc in motu diiudicari. Cùm autem alius ſit numerus numerans, ſeu numerus formalis, vt duo, tria, quatuor, alius numerus numeratus, ſeu numerus materialis,vt duæ oues,tres equi,quatuor ſcamna: tempus dicitur numerus in poſteriori ſignificatione: eſt enim affectio illa motus,per quam partes motus numerantur, & priores à poſterioribus diſtinguuntur.nam prima pars motus eſt, quæ fit in prima parte temporis:ſecunda eſt, quæ fit in ſecunda parte temporis:& ita deinceps.

45 ¶ Huic definitioni obiicitur,quòd numerus eſt quātum diſcretum,tempus autem eſt quantum continuū,proinde tempus non eſt numerus.Reſpondeo, numerum quidem numerantē eſſe quantum diſcretum,ſed numerum numeratum partim eſſe quantum diſcretum,partim cōtinuum, prout ea,quæ numerantur,vel ſunt diſcreta,vt oues, vel cōtinua, vt partes lineæ,& partes temporis.

Cap. XVII.

De momento.

46 QVemadmodū fluxus magnitudinis efficit motum, ita fluxus momenti facit tempus. quare vt ma-

nn

gnitudo,quæ mouetur, re ipſa ſemper eſt eadem, ſed ratione non eſt eadem, quatenus in diuerſis locis ſpectatur: (nam Socratem eſſe domi, & Socratem eſſe in foro, non ſunt idem) ita momentum, quod fuit, quod eſt, quod erit, re ipſa eſt vnum & idem, ratione autem eſt aliud atque aliud. Quapropter etiam tempus, quod fluxu momenti efficitur, quodammodo eſt vnum & idem, quodammodo eſt aliud & aliud.

47 ¶ Nec momentum poteſt eſſe ſine tempore, nec tempus ſine momento.

48 ¶ Tempus eſt continuum: quia momentum, à quo efficitur, continenter fluit. rurſus tempus eſt diuiduum: quia diuerſa ſunt temporis momenta, vt expoſitum fuit axio. 46.

49 ¶ Momentum, quatenus eſt terminus temporis, non eſt tempus. quatenus autem numerat, id eſt, quatenus multa numero momenta ſunt in tempore, eatenus eſt numerus & tempus: numerus (inquam) numeratus, quia iam docui tempus eſſe numerum numeratum.

Cap. XVIII.

De diuerſis temporis attributis.

50 Tempus eſt continuum: quia eſt numerus continui, id eſt, motionis.

Cap.12. 51 ¶ Quæritur, an detur tempus minimum. Reſpondeo, dari minimum numero, vt duos annos, duos menſes, duos dies: (nam binarius eſt minimus numerus: vnitas autem non eſt numerus, ſed principium numeri) non dari tempus minimum magnitudine, quia cùm tempus ſit continuum, in infinitum diuidi, & minui poteſt, vt libr. 6. probabimus.

52 ¶ Quia tempus eſt numerus, rectè dicitur multum vel paucum. & quia eſt continuum, rectè dicitur longum aut breue. ſed dici non poteſt velox aut tardum: hoc enim ei non conuenit, nec quatenus eſt continuum, nec quatenus eſt numerus.

53 ¶ Tempus vbique eſt idem, vt in Gallia, in Germania,

nia, in Africa: ſed non eſt ſemper idem, quia tempus, prius, & poſterius differunt. Intellige differre numero. nam ſpecie idem eſſe poteſt: vt ver huius anni, & ver ſuperioris anni; item hora meridiana hodierna, & heſterna.

54 ¶ Motus & tempus ſe inuicem definiunt, ac metiuntur:quia quantus eſt motus,tantum eſt tempus:& quantum eſt tempus,tantus eſt motus.

Cap. XIX.

De iis,quæ ſunt in tempore.

55 MOtus dicitur eſſe in tempore: quia tempus eum metitur. Intellige tempus eſſe menſuram motus externam, non internam. Menſura interna eſt,quæ per ſe metitur, & eſt pars eius quod metitur. Externa verò eſt, quæ metitur per aliud, nec eſt pars rei. vt vlna eſt menſura panni externa, quæ metitur pannum, quatenus definit partem panni ſibi æqualem. hæc autem pars panni eſt menſura per ſe,& interna. Tempus igitur eſt menſura motus,quatenus partem motus ſibi æqualem definit eodem modo, quo vlna partem panni.

56 ¶ In tempore eſſe aliquid, dici poteſt tribus modis. I. Quod eſt differentia temporis, vt prius & poſterius. II. Quod continetur à tempore:at res temporales, quæ ita continentur à tempore, vt res locatæ continentur à loco. III. Quod tunc eſt, cùm tempus eſt. hic tertius modus ab Ariſtotele reprobatur. Vt enim eſſe in loco, non ſignificat tunc eſſe,quando eſt locus: ita eſſe in tempore,non ſignificat tunc eſſe, cùm eſt tempus. alioqui niſi inter has duas locutiones diſtinguatur, quidlibet in quolibet eſſe dici poterit: vt cœlum erit in grano milij,quia tunc eſt, quando eſt illud granum.

57 ¶ Quæcumque res in tempore ſumatur, tempus ea re maius accipi poteſt,vt pote cùm tempus ſit numerus,poſſit autem numerus augeri in infinitum.

58 ¶ Tempus eſt potiùs cauſa interitus, quàm gene-

rationis:quia eſt numerus motus:natura autem motus eſt, vt rem de ſuo ſtatu moueat.vnde tẽpus dicitur res cõſumere,& efficere vt res ſeneſcant,&eſſe cauſa obliuionis,potiùs quàm diſciplinæ, vel iuuentutis, vel pulchritudinis. nam etſi diſciplina tempus requirit, 2. Ethic. capite 1. Verius tamen dicitur acquiri longo ſtudio,quàm tempore. Vide inf. axio.71.

59 ¶ Res æternæ non ſunt in tempore: quia non continentur à tempore, nec tempus metitur earum exiſtentiam ſeu durationem, cùm ſemper ſint: nec patiuntur à tempore, ſiquidem neque ſeneſcunt, neque tempore mutantur.

60 ¶ Quemadmodum tempus per ſe eſt menſura motus,ita per accidens eſt menſura quietis. quare vt motus per ſe eſt in tempore,ita quies per accidens in tempore eſt,quatenus eſt priuatio motus.

61 ¶ Hinc notetur diſcrimen inter res quæ mouentur,res quieſcentes,& res immobiles. quod enim mouetur, non ſolùm eſt in numero motus,id eſt in tempore,verùm etiam in motu. quod verò quieſcit, non eſt in motu, ſed tantùm in numero motus.immobile autem nec eſt in motu,nec in numero motus.

62 ¶ Rurſus alia ſemper ſunt, vt res æternæ: alia nunquàm ſunt, quia ſunt impoſſibilia, vt Chimæra: alia modò ſunt, modò non ſunt: atque hæc ſola ſunt in tempore: quæ quidem etiam quando non ſunt,nihilominus dicuntur tempore comprehendi, vel quia fuerunt, vt bellum Troianum, vel quia erunt, vt mors imperatoris Turcici, vel quia & fuerunt,& erunt,vt pluuia.

Cap.13. 63 ¶ Quoniam etiam differentiæ temporis ſunt in tempore,nunc,aliquando,modò, nuper, olim, ſubitò:de iis quoque dicamus.

64 ¶ Nunc, accipitur duobus modis. I. Propriè pro præſenti: in quâ ſignificatione ita ſe habet ad tempus, vt punctum ad lineam: adnectit enim præteritum cum futuro, & præteriti eſt finis, futuri autem principium. II. Impropriè pro eo quod eſt præſenti proximum: ſiue ſit præteritum,vt cùm dicimus aliquem nunc veniſſe: ſiue ſit futurum, vt cùm dicitur aliquis nunc venturus. quod verò eſt à præ-

ſenti

ſenti remotum,vt diluuium,& extremum iudicium,non dicitur nunc.

65 ¶ Aliquando, eſt tempus duobus momentis interiectum. quod vel eſt præteritum, vt aliquando capta fuit Troia: vel futurum, vt aliquando euertetur regnum Turcicum.

66 ¶ Quoduis igitur tempus eſt finitum: ſiquidem quoduis tempus eſt aliquando: ſed vniuerſum tempus eſt infinitum.

67 ¶ Modò,eſt pars temporis præſenti proxima:quę vel eſt præterita,vt, modò veni in auditorium:vel futura,vt modò abſoluam expoſitionem quarti phyſici,

68 ¶ Nuper,eſt præteritum præſenti proximum:vt, nuper allatæ ſunt literæ Lutetiâ.

69 ¶ Olim,Græcè dicitur πάλαι.ſed eſt diſcrimen. quòd πάλαι dicitur tantùm de præterito:olim,tam de præterito,vt olim fuit bellum Troianum,quàm de futuro,vt olim meminiſſe iuuabit.

70 ¶ Subitò,ſignificat tempus breuiſſimum, id eſt,cùm res adeo exiguo tempore de ſtatu ſuo dimouetur, vt illud tempus ſenſu percipi nequeat. nec tamen dubitamus, quin tempus ſit:quia omnis mutatio fit in tempore,& mutationis proprium eſt rem de ſuo ſtatu dimouere.

71 ¶ Quoniam omnia in tempore fiunt, nonnulli, vt Simonides, dixerunt eſſe ſapientiſſimum: alij, vt Paro Pythagoreus, vocarunt inſipientiſſimum, quia potiùs eſt cauſa obliuionis & interitus,quàm ſcientiæ & generationis, vt dictum fuit ſupr.ax.58. Vt hoc rectiùs intelligatur, notandum eſt, tempus non per ſe, ſed per accidens eſſe cauſam ortus & interitus, quatenus res in tempore oriuntur & occidunt: magis tamen eſſe cauſam interitus, quàm generationis, cùm quia mutationis, quæ fit in tempore, proprium eſt (vt ſuprà docui)rem de ſuo ſtatu dimouere,tum etiam quia cùm aliquid oritur, vel ſcientia acquiritur, apparet alia cauſa, quàm tempus: cùm autem obliuiſcimur, aut res ſeneſcit, alia cauſa minùs apparet. ideóque ea ſola, quæ ſine euidenti cauſa corrumpuntur, ſolemus tempori tribuere, quaſi à ſolo tempore corrumpantur.

Cap. XX.

Reliqua de tempore.

Cap. 14 72 QVicquid mouetur, in tempore mouetur: & vel celeriùs, vel tardiùs. Celeriùs mouetur, quod æquabili motu priùs peruenit ad finem eiuſdem interualli.

73 ¶ Prius & poſterius dicuntur ratione diſtantiæ à præſenti: ac reperiuntur tam in præterito, quàm in futuro. ſed diſcrimen eſt: quòd in præterito prius eſt remotius à præſenti:in futuro autem eſt propinquius, quàm poſteriùs.

74 ¶ Quia omnes res mobiles ſunt in tempore,idcirco tempus videtur eſſe vbique,& in omnibus rebus.

75 ¶ Tempus non poteſt eſſe ſine intellectu. I. Quia non eſt motus ſine primo motore, qui quidem eſt intellectus, vt libr. 8. demonſtrabitur. II. Quia ſolus intellectus numerat, non eſt autem numerus ſine numerante: qnare cùm tempus ſit numerus, non poteſt eſſe ſine intellectu, à quo numeratur.

76 ¶ Tempus eſt numerus cuiuſuis motus. Quid ergo, ſi duo motus ſimul fiant, vtputa dum equus currit, nauis feratur ſecundo flumine? motus quidem duo ſunt: ſed tempus vtriuſque eſt vnum & idem: quemadmodum ſi ſint decem homines, & decem oues, eſt idem numerus denarius tam in ouibus, quàm in hominibus, etſi homines & oues differunt.

77 ¶ Sanè quia tempus eſt menſura motionis,& in quaque re illud eſt menſura, quod eſt primum: primus autem motus eſt cœli conuerſio:idcirco tempus potiſſimùm eſt numerus conuerſionis cœleſtis.Nec dubitandum, quin omnes conditiones menſuræ conueniant motui cœli. nam menſura debet eſſe prima,vna,& notiſſima. motus cœli eſt primus, vt lib.8.demonſtrabitur. item eſt maximè vnus: quia eſt æquabilis & vniformis,non eſt modò velocior, modò tardior, vt accidit in aliis rebus:(vt lapis deſcendens,celeriùs mouetur in fine,quàm in principio: adſcendens autem, è contrario in principio celeriùs, in fine tardiùs mouetur) denique motus cœli notiſſimus eſt tam ſecundum naturam, quia eſt primus,quàm ſecundum nos,quia eſt æquabilis.

78 ¶ Hinc quidam dixerunt tempus eſſe motum cœli: quia hic motus eſt aliorum menſura.

79 ¶ Rurſus alij dixerunt res humanas, aliáſque res ortui & interitui obnoxias, eſſe circulum: quia continentur tempore, quod eſt circulus quidam, quia eſt numerus motus circularis, id eſt, motus cœli.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXI.

NATVRALIS AVSCVLTATIONIS QVINTVS.

CAP. I.

Diuiſio motuum, & mutationum.

IN omni mutatione quinque conſiderari poſſunt: Cap. I.
mouens, id quod mouetur, tempus, terminus à quo, & terminus ad quem.

2 ¶ Quicquid mouetur: vel mouetur per ſe, vt Socrates ambulans: vel per accidẽs, id eſt, quia rei motæ accidit, vt album dicitur ambulare, quoniam accidit Socrati ambulanti: vel per aliud, id eſt, ratione partis, vt Socrates dicitur ſanari, quia oculus Socratis ſanatur.

3 ¶ Non tamen ſubiectum, quod mouetur, idem eſt in omni mutatione: ſed in variatione eſt res variabilis, in latione res loco mobilis, & ita in ceteris motibus ſe res habet. quinimmò in eodem motus genere diuerſum eſt ſubiectum pro diuerſitate ſpecierum motus: vt ſanabile eſt ſubiectum ſanationis: refrigerare, refrigerationis.

4 ¶ Similiter omne mouens aut mouet per ſe, vt medicus medetur: aut per accidens, vt muſicus medetur, quia accidit medico vt ſit muſicus: vel per aliud, vt Socrates manu percutit.

5 ¶ Terminus ad quem,eſt magis coniunctus cum motu, quàm terminus à quo:ſiquidem ab illo motus denominatur, vt dealbatio eſt motus ad album,non ab albo: & denigratio non eſt motus à nigro,ſed ad nigrum.

6 ¶ Omnis mutatio fit per ſe ex contrario in contrariũ, vt ex albo in nigrum. Atqui fit etiam ex medio, vt ex rubro fit nigrum: & ad medium,vt ex albo fit nigrum. Sed hoc ideo,quia medium tunc habet rationem contrarii. Cùm autem per ſe fiat ex albo nigrum,per accidens fit ex albo muſicum, ſi nigro accidat,vt ſit muſicum. Rurſus per accidens fit ex grammatico nigrum, ſi albo accidat vt ſit grammaticum. Item ratione partis fit ex colorato nigrum, vel ex albo fit coloratum: quia album & nigrum ſunt partes, id eſt, ſpecies colorati.

Cap. II.

Diuiſio mutationum per ſe.

7 CVm in omni motu ſint duo termini, à quo, & ad quem: vterque verum vel eſt ſubiectum, vel non ſubiectum. Voco ſubiectum, quod affirmatione ſignificatur, vt album. non ſubiectum autem,quod negatione, indicatur, vt non album. Hinc oriuntur quatuor membra. I. Eſt à ſubiecto ad ſubiectum, vt ab albo ad nigrum. II. A ſubiecto ad non ſubiectum,vt ab albo ad non album. III. A non ſubiecto ad ſubiectum,vt à non albo ad album. IV. A non ſubiecto ad non ſubiectum, vt à non albo ad non album. ſed hi duo termini neque ſunt contrarij, neque contradicentes: proinde in his nulla mutatio ſpectatur.

8 ¶ Tria igitur ſunt genera mutationum. I. Eſt generatio,quæ eſt mutatio à non ſubiecto ad ſubiectum: vt cùm ex non homine fit homo,& ex non albo fit album. II. Eſt interitus,id eſt,mutatio à ſubiecto ad non ſubiectum: vt cùm ex homine fit non homo,vel ex albo non album. III. Eſt motus à ſubiecto ad ſubiectum,vt cùm ex albo fit nigrum.

9 ¶ Generatio partim eſt ſimplex, vt cùm homo fit: partim ſecundum quid,vt cùm homo fit albus. illa eſt ſubſtantiæ,hæc verò accidentis.

10 ¶ Similiter interitus aut eſt ſimplex,videlicet cùm ſub-

ſtantia,

ſtantia, vt homo, interit: aut ſecundum quid, nimirùm cùm ſubſtantia deſinit eſſe affecta aliquo accidente, vt cùm homo amittit alborem.

11 ¶ Generatio & interitus non ſunt veri motus, ſed tantùm mutationes. nam propriè loquendo, mutatio latiùs patet, quàm motus.

12 ¶ Simplex generatio nullomodo eſt motus: quia quod giguitur, eſt non ens: conſtat autem, non ens non moueri: alioqui non ens in loco eſſet: quia quicquid mouetur, in loco eſt. Ne dicas in generatione ſubſtantiæ moueri materiam primam: quia id quod generatur, non eſt materia prima, ſed compoſitum, vt homo.

13 ¶ Generatio ſecundum quid, non eſt motus, quatenus eſt à non ſubiecto, ſed quatenus eſt à ſubiecto, cui illud non ſubiectum accidit. exempli causâ, denigratio non eſt motus, quatenus non nigrum fit nigrum, ſed quatenus homo, qui albus erat, fit niger.

14 ¶ Eadem eſt ratio interitus, qui generationi opponitur. nam motui opponitur motus, vel quies: interitui autem generatio, quæ nec eſt motus, nec quies: ergo interitus non eſt motus.

15 ¶ Reſtat igitur, vt motus appellatio ei ſoli mutationi conueniat, quæ eſt à ſubiecto ad ſubiectum.

CAP. III.

Diuiſio motuum per ſe.

16 MOtus verus, & per ſe dictus, reperitur in tribus categoriis. in quantitate eſt auctio, & deminutio: in qualitate variatio: in categoria vbi, eſt loci mutatio. Cap. 2.

17 ¶ Hi omnes motus ſpectantur inter duos terminos contrarios vel omnino, vt cùm ex albo fit nigrum: vel quadamtenus; vt cum ex rubro fit nigrum, vel ex nigro fit magis nigrum.

CAP. IV.

De immobili.

18 IMmobile accipitur tribus modis. I. Immobile dicitur, quod moueri non poteſt, vt res incorporea.

II. Quod difficulter mouetur, vt maximus lapis. III. Quod non mouetur actu, ſed quieſcit, vt homo ſedens.

CAP. V.

De eo quod eſt ſimul, vel ſeparatim: & eo quod tangit, vel eſt interiectum: & eo quod eſt deinceps, vel cohærens, vel continuum.

Cap. 3. 19 Simul loco ſunt, quæ ſunt in vno & eodem primo ſeu proximo loco. alias ſignificationes, vide cap. 13. Categor.

20 ¶ Separatim vel ſeorſum eſſe dicuntur, quæ ſunt in diuerſis locis primis.

21 ¶ Se tangere dicuntur ea, quorum extremitates ſunt ſimul, id eſt, in eodem loco primo.

22 ¶ Interiectum eſt, ad quod res, quę continenter mouetur, priùs peruenit, quam ad extremum perueniat. Vbi igitur eſt interiectum aliquid, ibi ſunt tres termini, id eſt, duo contrarij, à quo, & ad quem, & tertius inter eos collocatus. inter duo autem contradicentia, vt inter album & non album, nihil poteſt eſſe interiectum: quia neceſſe eſt alterum eſſe verum, alterum falſum.

23 ¶ Continenter motus fieri dicitur, cùm nulla aut exigua intermiſſio fit in ipſa re, omninò autem nulla intermiſſio fit in tempore. vt motus fidiũ dicitur continuus, cùm quis primam chordam mouet, ac priuſquàm eius ſonus deſinat, vltimam chordam mouet.

24 ¶ In loco contrarium eſt, quod ſecundum lineam rectam plurimùm diſtat.

25 ¶ Vt aliquid deinceps eſſe dicatur, duæ conditiones requiruntur. I. Nihil eiuſdem generis debet eſſe interiectum. exempli gratiâ, domus ſecunda primam domũ deinceps ſequitur: quia nulla alia eſt domus interiecta. nec obſtat, quòd homo, aut lapis ſit interiectus. II. Quod eſt deinceps, refertur ad alterum, tamquàm poſterius ad prius. vt ſecunda dies menſis primam deinceps ſequi dicitur: quoniam ad eam refertur, vt poſterior ad priorem: prima verò dies nõ ſe habet deinceps ad ſecundam.

26 ¶ Cohærere dicitur, quod eſt deinceps, ac tangit.

27 ¶ Cùm duo ſe tangunt, ſi maneant duo diuerſi termini

mini,quibus ſe tangant,duæ res contiguæ eſſe dicuntur,non continuæ. Si verò fiat vnus communis terminus, res vna & continua dicitur.

28 ¶ Continuitas itaque in iis ſpectatur, quorum natura eſt,vt contactu fiant vnum, & quatenus ab vno communi termino continentur,eatenus ſunt cõtinua:adeo vt quò magis illud continet, eò magis ſint continua. Verbi gratiâ, ea, quæ ſunt continua ſolo tactu, vt cùm aqua aquæ adiungitur; vel agnatione, vt partes animalis, magis continua ſunt, quàm ea, quæ coniunguntur clauo, aut glutine, vt aſſeres.

29 ¶ Deinceps, & tangere, differunt, vt prius & poſterius. nam quod tangit,eſt deinceps:ſed non reciprocatur, vt quicquid eſt deinceps,tangat. cùm enim aliquid diuerſi generis interiectum eſt, contactum impedit: ſed nihilominùs res dicitur eſſe deinceps,vt notaui ax.25.Rurſus cùm numeri ſint priores magnitudinibus; in numeris reperitur deinceps,non contactus:in magnitudinibus autem vtrumque reperitur,id eſt,tam deinceps,quàm contactus.

30 ¶ Puncta & vnitates differunt. I. Quia tactus ineſt punctis, non vnitatibus. II. Quia inter vnitates nihil poteſt eſſe interiectum: inter puncta verò poteſt eſſe linea interiecta,quæ his punctis terminetur.

CAP. VI.

De vnitate,ac diuerſitate motuum.

31 Motus,qui ſpectantur in eadem categoria, vt dealbatio & calefactio in qualitate,ſunt idem genere. qui verò in diuerſis categoriis, vt dealbatio in qualitate, & auctio in quantitate,differunt genere. Cap. 4.

32 ¶ Motus ſunt idem ſpecie, qui continentur eâdem ſpecie ſpecialiſſima,vt duæ dealbationes.ſpecie autem differunt,qui continentur eodem genere,non eadem ſpecie ſpecialiſſima,vt dealbatio & denigratio.

33 ¶ Motus, qui in eodem genere ſubalterno ſpectantur, quodammodò ſpecie iidem ſunt, quodammodò differunt:vt diſcere Logicam,& grammaticam.

34 ¶ Vt vnus ſit motus, oportet vnum eſſe mobile,

vnum in quo mouetur,& vnum tempus. hæc prout ſunt vna genere,ſpecie,vel numero,ita vnum genere, vel ſpecie, vel numero motum efficiunt.

35 ¶ Omnis motus numero vnus,eſt continuus:& omnis motus continuus,eſt numero vnus. motus autem cohærens,non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie & genere differre poteſt ab eo cui cohæret. veluti ſi quis poſt curſum illicò febricitet,febricitatio cohæret motui locali. nam cohærentia motus ſumitur ex tempore, vt continuitas ſumitur ex ipſo motu.eſt enim motus continuus, cuius partes communi termino copulantur. motus autem cohærentes dicuntur, qui continuo tempore fiunt, id eſt, inter quos nullum tempus eſt interiectum.

36 ¶ Inſuper motus dicitur vnus,qui eſt perfectus,id eſt, cùm res peruênit ad terminum, ad quem. vt vnus eſt motus Nemauſo Lugdunum.

37 ¶ Denique motus dicitur vnus, qui eſt æquabilis,& ſemper ſui ſimilis,vt motus cœli.

38 ¶ Celeritas & tarditas non ſunt ſpecies, aut ſpecificæ differentiæ motus, ſed accidentia communia omnibus motibus.

Cap. VII.

De contrarietate motuum.

Cap. 5. 39 Contrarij motus ſunt,qui contrarios habent terminos ad quos: vt motus ad ſanitatem, & motus ad morbum.

Cap. VIII.

De contrarietate motus,& quietis.


Cap. 6. 40 Motus motui opponitur tamquàm contrarium: quies autem opponitur motui, vt priuatio habitui.

41 ¶ Oppoſitio motus & quietis ſpectatur in eodem genere:vt motui locali opponitur quies in loco. atque hæc oppoſitio ſumitur à termino motus à quo,cùm ſcilicèt quies ſpectatur in eo termino,à quo eſt motus: vt quies in ſanitate,opponitur motui à ſanitate.

42 ¶ Quietes

42 ¶ Quietes inter ſe contrariæ ſunt, quæ ſpectantur in contrariis terminis: vt quies in ſanitate, & quies in morbo.

43 ¶ Contrariæ igitur quietes opponuntur contrariis motibus, vt in ſequenti anagrammate apparet.



44 ¶ Ortus & interitus non ſunt motus, ſed mutationes contrariæ: quia quod in vna eſt terminus ad quem, in altera eſt terminus à quo: ſiquidem ortus eſt mutatio ad ens, interitus verò eſt mutatio ex ente.

45 ¶ Vt motui quies, ita mutationi opponitur *ἀμεταβλησία*, id eſt, priuatio mutationis, ſeu permanſio, quæ differt à quiete, vt mutatio à motu.

46 ¶ Permanſio in ente, opponitur quaſi contrario, permanſioni in non ente. eadem, tamquàm priuatio, opponitur interitui, quoniam interitus eſt mutatio ex ente.

47 ¶ In ſingulis mutationum generibus duæ mutationes reperiuntur: altera naturalis, altera præter naturam ſeu violenta. Ortus naturalis eſt, vt cùm roſæ vere naſcuntur: violentus, vt cùm hyeme naſcuntur humanâ induſtriâ. Interitus naturalis eſt, vt cùm homo ſenio confectus moritur: violentus, veluti cùm interficitur. Auctio naturalis, vt cùm aliquis anno quartodecimo pubeſcit: violenta, vt cùm pro-

ptér vſum Veneris citiùs pubeſcit. Dominatio naturalis cùm homo ſexageſimo anno ſeneſcit: violéta, vt cùm citiùs ſeneſcit propter morbos, vel animi moleſtias. Variatio naturalis eſt, vt cùm aqua refrigeratur: violenta, cùm calefit. Motus ſecundum locum naturalis eſt, vt cùm terra deſcendit: violentus, cùm aſcendit.

48 ¶ Mutatio naturalis eſt contraria violentæ, non quatenus vtraque eſt mutatio: ſed quatenus altera eſt naturalis, altera violenta.

49 ¶ Similiter oppoſitæ ſunt quietes: naturalis, vt terræ in loco infero, & violenta, vt terræ in loco ſupero.

50 ¶ Motus violentus non eſt per ſe cauſa quietis violentæ, ſed per accidens, quatenus ſcilicèt deficit. nam deficiente motu, ſuccedit quies. ceterùm propriè loquendo, tum demum res dicitur tédere ad quietem, cùm ad ſuum locum fertur.

51 ¶ Motui magis opponitur contrarius motus, quàm quies: vt motui à ſanitate ad morbum, magis opponitur motus à morbo ad ſanitatem, quàm quies in ſanitate. ratio eſt, quia duo contrarij motus, vt aſcenſus & deſcenſus, non poſſunt ſimul eſſe: motus autem & quies oppoſita poſſũt aliquo modo ſimul eſſe: quia mobile partim quieſcit in termino à quo, quatenus nõ ſtatim cùm deſerit, nec in momento tranſit ad terminum ad quem, partim ab eo mouetur, quatenus paulatim ab eo recedit.

52 ¶ Cùm motui naturali opponatur tam motus naturalis quàm violentus, neuter horum eſt magis contrarius alteri: quia diuerſis modis ſunt contrarij. exempli gratiâ. cõtrarij motus naturales ſunt aſcenſus ignis, & deſcenſus terræ: contrarij autem motus terræ, id eſt, deſcenſus & aſcenſus, opponuntur vt naturalis & violentus.

53 ¶ Similiter quieti naturali opponitur contraria quies alterius rei, & violẽta quies eiuſdẽ rei, vt quieti terræ in loco infero, opponitur quies terræ, & quies ignis in loco ſupero: in quo loco terra vi quieſcit, ignis autem naturaliter quieſcit.

54 ¶ Abſolutus eſt liber quintus: in quo egimus. I. De diuiſione mutationis, & motus. II. De vnitate aut diuerſitate motus. III. De contrarietate, quæ inter duos motus, vel duas quietes, vel inter motum & quietem ſpectatur.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXII.

NATVRALIS AVSCVLTATIONIS SEXTVS.

Cap. I.

Omne continuum conſtare ex partibus continuis & diuiduis.

INDIVIDVVM non poteſt eſſe pars diuidui: vt punctum, lineæ: momentum, temporis. Vnde conſtat, omne continuum (id eſt, motum, magnitudinem, & tempus) conſtare ex partibus continuis & diuiduis, conſequenter poſſe diuidi in infinitum. quod probatur ſequentibus rationibus. I. Si linea conſtaret ex punctis, ea puncta ſe tangerent, & per ſuas extremitates coniungerentur: quod eſt impoſſibile, cùm punctum non habeat extremitatem: alioquin haberet etiam id cuius dicitur extremitas: proinde punctum indiuiduum diuideretur in extremitatem, & id cuius eſt extremitas. Cap. I.

II. Puncta nec ſunt continua, nec contigua, nec deinceps: ergo non ſunt partes lineæ. Eadem ratione oſtendi poteſt momenta non eſſe partes temporis. Quòd puncta non ſint continua, patet ex definitione continui: quia continua ſunt, quorum extrema fiunt vnum. 5. Phyſ. cap. 5. partic. 11. nulla autem ſunt punctorum extrema, quibus poſſint puncta continua fieri. Quod autem non ſint puncta contigua, patet: quia cùm partibus careant, dici non poteſt partem puncti tangere, vel tangi, quare ſi contigua eſſent, totum punctum à toto puncto tangeretur: proinde pũcta ſe permearent inuicem, & penetrarent: ita vt ex eis non fieret linea, ſed punctum vnum: quandoquidem quotquot ſint puncta, non plùs occupant, quàm vnum punctum. Denique puncta non ſunt deinceps: quia linea eis interiicitur, vt

momentis tempus. III. Si continuũ cõſtaret ex indiuiduis, vt lineę ex punctis, tẽpus ex momentis: certè in hęc in diuidua diuideretur: atqui in hęc non diuiditur: ergo ex his non conſtat. Maior patet: quia vnumquodque diuiditur ſeu reſoluitur in ea, ex quibus componitur. Minor probatur: quia ſi continuum diuidi poſſit in indiuidua, hæc indiuidua eſſent inter ſe connexa & continua, ac ſe tangerent: quod ſuprà oſtendi eſſe impoſſibile. IV. Cùm mobile non poſſit ab aliquo loco ſimul moueri, & motum eſſe: neceſſe eſt, vt priùs moueatur per primam partem magnitudinis, poſtea ſit ab ea

Cap. 2. parte motum: hęc igitur pars diuidua eſt. V. Omne tempus diuiduum eſt: quia quocumque tempore mobile tardius conficiat aliquod ſpatium, mobile velocius breuiori tempore conficit idem ſpatium, rurſus omnis magnitudo eſt diuidua: quia quo tempore mobile tardius pertranſit magnitudinem aliquam, eodem tempore mobile velocius pertranſit partem eius magnitudinis. Obiter nota, eandẽ eſſe rationẽ motus, & magnitudinis per quã fit mot⁹, & tẽporis quo res mouetur: quę omnia ſunt actu finita, ſed poteſtate habẽt partes infinitas ſiquidẽ diuidi, & ſubdiuidi poſſunt in infinitum. Hinc ſoluitur obiectio Zenonis, qui probabat nihil moueri, eò quòd in magnitudine ſunt partes infinitę, quæ non poſſunt in infinito tempore pertranſiri. Ad hanc igitur obiectionem reſpondemus, ſi hęc ſumantur actu, tam magnitudinem, quàm tempus eſſe finita: ſin autem poteſtate, vtrumque eſſe infinitum. VI. Mobile velocius longiorem magnitudinem, & tardius breuiorem eodem tempore conficiunt. pone ergo (exempli gratiâ) longiorem magnitudinem conſtare ex tribus partibus, breuiorem ex duabus partibus, quas dicis eſſe indiuiduas. quoniam igitur eadem eſt ratio motus, temporis, & magnitudinis: neceſſe eſt, idem tempus ratione longioris magnitudinis diuidi in tres partes indiuiduas, & ratione breuioris magnitudinis diuidi in duas partes indiuiduas: quod eſt abſurdum, & impoſſibile.

CAP. II.

Momentum eſſe indiuiduum, & nihil in eo momento moueri vel quieſcere.

Cap. 3. MOmentum ſiue inſtans eſt indiuiduum: vt probatur. I. Quia idem momentum per ſe eſt finis temporis

temporis præteriti, & principium futuri. II. Quia ſi partes haberet, idem præſens (nam præſens, momentum, nunc, & inſtans, idem ſignificant) diuideretur in partem præteritam, & futuram: quod eſt abſurdum.

3 ¶ In momento nihil mouetur: quia vbi eſt motus, ibi eſt celeritas, vel tarditas. quare ſi in momento res mouerentur, in eo momento celerius & tardiùs mouerentur: quod eſt impoſſibile.

4 ¶ In momento nihil quieſcit. I. Quia vbi non poteſt eſſe motus, ibi non eſt quies: ſiquidem quies eſt priuatio motus: iam autem docui, in momento motum eſſe non poſſe. II. Quia idem ſimul, id eſt in eodem momento, moueretur, & quieſceret. veluti ſi res toto præterito tempore moueatur, & toto futuro tempore quieſcat: cùm vnum ſit momentum, quod connectit præteritum cum futuro, in eo momento res moueretur, quatenus eſt finis præteriti, & in eodem quieſceret, quatenus eſt principium futuri. III. Quia dicitur quieſcere, quod ita ſe habet nunc, vt antea. vbi igitur eſt quies, ibi reperitur nunc, & antea quapropter hoc non eſt momentum, ſed tempus.

CAP. III.

Quicquid mouetur, eſſe diuiduum.

5 QVicquid mouetur, eſt diuiduum: vt enim in ſpatio, per quod fit motus, ſunt duo termini: alter, à quo, alter, ad quem: ita in mobili ſunt duæ partes: quarum altera, dum mobile mouetur, eſt in termino à quo, altera in termino ad quem. nam ſi totum mobile ſit in alterutro termino, non mouetur. etenim cùm eſt in termino à quo, nondum mouetur: & cùm eſt in termino ad quem, definit moueri. Cùm dico partem mobilis eſſe in termino à quo; partem in termino ad quem: non intelligo vltimum terminum ad quem, ſed medium interiectum. quis enim dicat, ſi quis Nemauſo proficiſcatur Lugdunum, partem eius eſſe Nemauſi, partem Lugduni eodem tempore? Cap. 4.

CAP. IV.

De diuiſione motus.

6 MOtus bifariam diuiditur. I. Ratione partium.exempli gratiâ,cùm tota nauis vno motu cicatur, alius eſt motus anterioris partis,alius poſterioris : totus igitur motus nauis diuiditur in hós duos motus,vt in motum proræ,& puppis. II. Ratione temporis: quia ſi totus motus abſoluitur(exempli gratiâ)vna hora, dimidia pars motus conficitur dimidia parte horæ.

CAP. V.

Eandem eſſe diuiſionem temporis,motûs,ipſius moueri,mobilis,& eius in quo motus fit.

7 IIſdem modis diuidi poſſunt mobile,motus,moueri,id in quo fit motus, & tempus. nam quia mobile diuiduum eſt,cetera omnia diuidua ſunt.

CAP. VI.

Quicquid eſt mutatum,id cùm primum mutatum eſt,in eo eſſe, in quod eſt mutatum.

Cap. 5. 8 QVicquid mutatur,ſtatim ac eſt mutatum,eſt in termino ad quem.verbi gratiâ,quia terminus generationis eſt ens:idcirco ſtatim ac aliquid eſt genitum, eſt,licèt fortaſſe non peribit. Similiter quia ipſius interitus terminus ad quem, eſt non ens: idcirco ſtatim ac res interiit,non eſt. Ne intelligas vltimum terminum ad quem,ſed proximum à quo.cùm enim Nemauſo ſum profectus,nô ſum ſtatim Lugduni, ſed ſum in itinere, quod reſpectu loci à quo diſceſſi, vocatur terminus ad quem, licèt in eo non conſiſtam, ſed pergam Lugdunum vſque.

CAP. VII.

Id,in quo primo mutatum eſt,eſſe indiuiduum.

9 ID, in quo primo res mutata eſt, non eſt tempus, ſed momentum. nam ſi eſſet tempus, eſſet indiuiduum: proinde res priùs mutata eſſet in parte eius temporis, quàm in toto tempore.

10 ¶ Quic-

10 ¶ Quicquid igitur ortum eſt,in momento ortum eſt: & quicquid interiit, in momento interiit: quoniam ortum eſſe,vel interiiſſe,nihil aliud ſignificat, quàm mutatum eſſe.

CAP. VIII.

In mutatione eſſe vltimum,non primum.

11 IN omni mutatione reperitur vltimum, quod eſt terminus mutationis, proinde eſt indiuiduum, & vocatur terminus ad quem.

12 ¶ Primum abſolutè & per ſe, à quo incipiat motus, non reperitur,nec in ipſo motu,nec in tempore, nec in mobili,nec in eo in quo fit motus,vt in ſpatio,in quo res mouetur:quoniam hæc omnia ſunt continua,& in infinitum diuidua:quodcumque igitur primum dixeris, ego per eius diuiſionem oſtendam id non eſſe primum. Verbi gratiâ, res moueatur primâ horâ ad duodecimam. ſi dicas primum tempus,quo res mouetur,eſſe horam primam:concedam eſſe tẽpus primum reſpectu ſequentium horarum: ſed non eſt primum omnino & per ſe,quia ſi diuidatur in quatuor quadrantes,priùs res mouetur primo horæ quadrante,quàm totâ horâ. ſimiliter ſi ſumas primum quadrantem,ego cum ſubdiuidam,& oſtendam rem priùs moueri,in parte illius quadrantis,quàm in toto quadrante.

CAP. IX.

In quo tempore primo aliquid mutatur,id in quauis eius temporis parte moueri.

13 RES in tempore moueri vel mutari dicitur duobus modis.vel enim mutatur toto illo tempore, id eſt, Cap. 6.
in omnibus partibus illius temporis:vel in aliqua eius parte. ſi toto tempore mutetur:illud tempus ab Ariſtotele vocatur primum. exempli gratiâ,ego dici poſſum hodie docere,vel hac hora docere:ſed doceo per totam hanc horam, non per totam diem:hæc igitur hora eſt tempus primum. Obſerua primum hic aliter accipi,quàm in ſuperiori axiomate. nam ibi primum tempus id vocabatur, ante quod non fit motus, nequidẽ in vlla eius parte: hîc autem primum tẽpus dicitur, in cuius partibus omnib: res mutatur. itaque hoc modo primum tempus ab Ariſtotele conceditur,illo modo negatur.

CAP. X.

Quicquid mutatur, antea mutatum eſſe: & quicquid mutatum eſt, antea mutari.

14 QVicquid mutatur, priùs mutatum eſt, quàm mutetur, id eſt, priùs mutatum eſt in vna parte, quàm in altera parte mutetur. vtputà ſi mouetur ab A ad D, priùs mutatum eſt in C, quàm moueatur à C ad D. rurſus priùs mutatum eſt in B, quàm mutetur à B ad C. & ita res in infinitum procedit: quia longitudo poteſt diuidi in infinitum.

A B C D

14 ¶ Vice quoque verſa dici poteſt rem priùs mutari, quàm mutata ſit: nam in momento mutata eſt, vt probaui cap. 7. atqui non eſt mutata in primo momento: ergo mutata eſt in alio momento. ſunt igitur duo momenta: quæ cùm non cohæreant, vt probatum fuit cap. 6. neceſſe eſt, vt tempus ſit interiectum, quo tempore res mutabatur. Verbi gratiâ, ſi res moueatur ab A ad B: quo momento eſt in A, eo nec mouetur, nec mota eſt. cùm autem eſt in B, eo momento mota eſt. ſed toto tempore, quo eſt inter A & B mouetur.

A B

CAP. XI.

De finitate vel infinitate motus, magnitudinis, & mobilis.

Cap. 7.

16 SPatium finitum non conficitur tempore infinito. nec refert, vtrùm mobile æquabiliter moueatur, an modò celeriùs, modò tardiùs. nam generaliter verum eſt, partem ſpatij in parte temporis pertranſiri. diuiſio igitur ſpatio in aliquot partes, putà in duodecim, hæ ſingulæ partes certis ac finitis temporibus, putà ſingulæ ſingulis horis conficiuntur. quocirca vt duodecim partes ſpatij conficiunt ſpatium finitum, quia finita finities accepta conficiunt totum finitum: ita enim duodecim partes temporis, putà duodecim horæ, faciunt tempus finitum.

17 ¶ Quod

17 ¶ Quod iam docui, non minùs in profectione ad quietem, ſiue (vt ita loquar) in quietatione locum habet, quàm in motu. nam quietatio à motu non differt re, ſed ratione tantùm. dicitur enim motus, quatenus res recedit à termino à quo: quietatio verò, quatenus progreditur ad terminum ad quem, in quo quieſcet.

18 ¶ Cùm aliquid fit, vel interit: non eſt ſemper vnum & idem, quod fit, vel interit: ſed in alia parte temporis alia pars rei fit, aut interit.

CAP. XII.

De profectione ad ſtatum ſeu quietem, & de quiete.

19 QVod quietatur, poteſt moueri, & quieſcere. atqui dum quietatur, nondum quieſcit: ergo mouetur. Cap. 8.

20 ¶ Quoniam igitur quietatio eſt motus, in tempore fit: quia iam oſtendi omnem motum fieri in tempore. Adde, quòd res celeriùs vel tardiùs quietatur: quæ differentiæ in tempore ſpectantur.

21 ¶ Quod de motu dixi axiom. 12. idem dicendum de quietatione, id eſt, rem dici aliquo tempore quietari, vel quia toto eo tempore quietatur, vel quia quietatur in parte eius temporis. dicitur enim (exempli gratiâ) hodie fieri, vel quod tota die fit, vel quod aliqua hora diei fit. ſed cùm ſumitur tempus, quo toto res quietatur, illud vocatur tempus primum.

22 ¶ Quemadmodum non eſt primum à quo incipiat motus, vt expoſui axio. 11. ita non eſt primum à quo incipiat quietatio: quandoquidem quietatio eſt motus.

23 ¶ Cùm quies ſit priuatio motus, non poteſt eſſe quies, niſi cùm poteſt eſſe motus. atqui iam oſtenſum eſt, motum non eſſe in momento, ſed in tempore: ergo etiam quies eſt in tempore: & quod quieſcit, in tempore quieſcit. Quocirca cùm omne tempus diuiduum ſit: quâ ratione ſuprà axio. 11. probaui non eſſe primum tempus motus, eadem probari poteſt non eſſe primum tempus quietis. quodcumque enim dixeris eſſe primum, ego id diuidam: res igitur priùs quieſcit in parte eius temporis, quàm in toto illo tempore. veluti ſi dicas primum tempus quietis eſſe horam

primam: obiiciam, quòd res priùs quieſcit primo illius horæ quadrante, quàm totâ horâ: ergo prima hora nõ eſt primum tempus quietis, ſiquidem quadrans eſt prius.

Cap. XIII.

Rem, quæ aliquo tempore primò mouetur, nulla eius temporis parte eſſe in parte ſpatij, per quod mouetur.

24 MObile nulla parte temporis, quo mouetur, eſt in loco proximo ſiue adæquato: alioquin cùm omne tempus ſit diuiduum, in vtraque parte eius temporis ibi eſſet: proinde quieſceret, cùm moueretur: quod eſt abſurdum. quocirca mobile, dum mouetur, in ſingulis locis adæquatis & proximis eſt in momento temporis, non in tempore: iam autem docui rem in momento nec poſſe moueri, nec quieſcere.


Cap. XIV.

Cap.9. *Solutio rationum, quibus tollitur motus.*

25 SEx rationibus videtur probari motum nullum eſſe: quarum priores quatuor, ſunt Zenonis, reliquæ duæ auctorem incertum habent. I. Spatium interiectum inter terminum à quo, & terminum ad quem, eſt infinitum, quia omnis magnitudo poteſt in infinitum diuidi: ergo non poteſt pertranſiri. Reſpondeo, ſpatium illud, & omnino magnitudinem eſſe actu finitam, quamuis poteſtate diuiſionis habeat partes infinitas. II. Si mobile velociſſimum, vt Achilles, & tardiſſimum, vt teſtudo, moueantur eodem tempore: Achilles numquàm conſequetur teſtudinem, quę ante ſe mouetur: quia dum Achilles peruenit ad locũ in quo erat teſtudo, ipſa aliquantum ſpatij confecit: ergò hoc quoq; ſpatium ab Achille pertranſeundum eſt, vt teſtudo comprehendatur; ſed rurſus dum Achilles hoc ſpatiũ conficit, teſtudo aliquantulũ progreſſa eſt, atq; ita res abit in infinitũ. ergo ſi res moueantur, ſequetur hæc abſurditas, mobile tardiſſimũ nũquàm poſſe comprehendi à mobili velociſſimo. Reſpondeo; vt ad ſuperiorẽ rationẽ (nam vtriuſq; eadem eſt vis) rem non abire in infinitũ, niſi poteſtate diuiſionis, ſed nihilominus ſpa-


nùs ſpa-

ſpatium eſſe actu finitum: quod cùm citiùs conficiatur à mobili veloci, quàm à tardo, neceſſe eſt vt tandem mobile velox aſſequatur tardum. III. Zeno ſupponens momenta eſſe partes temporis, ſic argumentatur: Mobile in quocumque temporis momento eſt in loco adæquato: atqui in loco adæquato non mouetur, vt ſuprà oſtenſum fuit: ergo mobile nulla parte temporis mouetur. Reſpondeo ex cap. 1. huius lib. momentum non eſſe partem temporis, nec valere conſequẽtiã à momẽtis ad partes tẽporis. nam in momẽto res non mouetur. ſuprà ax. 3. in parte autẽ tẽporis mouetur ſuprà. ax. 13. IV. Si res poſſent moueri, fieri poſſet, vt tempus dimidium duplo æquale eſſet, vt dimidia hora toti horæ: quod eſt abſurdum. Conſequentia ſic probatur: Sint in ſtadio D, E, tres magnitudines A, B, C, quæ ſingulæ conſtent ex quatuor æqualibus partibus.



Quoniam moles A B ſunt æquales: dicendum eſt, eas æquali tempore pertranſiri à mole C. ſi igitur probetur molem B dimidio tempore, & molem A duplo tempore à C pertranſiri: duplum tempus dimidio æquale erit: quæ eſt abſurditas manifeſta. Id autem ſic probatur: Ponamus molem A ſtare: molem B perueniſſe ad dimidiam partem ipſius D, & ibi conſiſtere verſus D: molem autem C moueri ab initio vſque ad finem ipſius A, verſus D. ſed cùm moles C dimidiatâ horâ peruênit ad dimidiam partem ipſius A, tunc in contrarium moles B moueri incipiat verſus E. certè aliâ dimidiâ horæ parte moles C perueniet ad extremam partem ipſius A, verſus D, & moles B perueniet ad extremam partem eiuſdem A, verſus E. proindè hac eadem dimidia horæ parte moles C pertranſit molem B. moles igitur C pertranſit vnâ horâ: molem A, & dimidiatâ horâ molem B. vt autem ſuprà oſtenſum fuit, moles C æquali tempore pertranſit molem A & molem B. quare integra hora, qua moles C pertranſit mo-

lem A & molem B. quare integra hora, qua moles C pertranſit molem A,& dimidiata hora,quâ eadem moles C pertranſit molem B,ſunt tempora æqualia: quod eſt abſurdum. Vt igitur hęc abſurditas vitetur,negandus eſt omnis motus. Pro ſolutione huius argumenti,nego molem C eodem tempore pertranſire duas illas moles ęquales, A,& B: propterea quod A ponitur ſtare, B autem moueri, contra C: ac citiùs pertranſimus, quod verſus nos mouetur, quàm quod ſtat & quieſcit. V. Argumentum non valet contra omnem motum, ſed contra mutationem, quę ſpectatur inter terminos contradicentes,vt cùm ex non albo fit album. Sic autem arguitur;Si talis mutatio ſit:fieri poterit, vt neutra pars contradictionis ſit vera:ſed hoc eſt impoſſibile:ergo & illud. Conſequentia probatur;quia res,quę ex non alba fit alba,dum mutatur, nec eſt in termino à quo, nec in termino ad quem: quandoquidem in illo nondum mutatur, in hoc mutari deſiit,vt expoſitum eſt ſuprà ax.5.quia igitur non eſt in termino à quo,non eſt non alba:& quia non eſt in termino ad quem, non eſt alba.ſic neque eſt alba,neque non alba.proinde neutra pars contradictionis eſt vera.Reſpondeo, nec totam rem eſſe albam,nec totam nòn albam, dum dealbatur:ſed partim eſſe albam,partim non albam : quia partim eſt in termino à quo,partim in termino ad quem,vt docui dicto ax.5. VI. Argumentum eſt contra motum circularem:quo conceſſo, ſequitur hæc abſurditas,idem ſimul moueri & quieſcere. nam ſi ponamus id moueri,quod in ſeipſo voluitur,contrà aduerſarius probat id quieſcere,quia locum non mutat. ſimul igitur mouetur,& quieſcit.Reſpondeo,tam partes eius quod in ſe ipſo vertitur,quàm totum mutare locum. De partibus dubitari nòn poteſt.De toto ſic probo:quia in circulo ſpectantur multæ circumferentiæ,pro diuerſitate punctorum, à quibus incipiunt.quæ non ſunt eædem niſi ſubiecto,id eſt, quatenus in eodem circulo ſpectantur.per motum autem circularem fit,vt aliæ aliis ſuccedant. Vt in circulo A, B, C, D, alia eſt ſuperficies incipiens à puncto A, alia à puncto B, alia à puncto C.& cùm circulus mouetur ab A ad C per D:tunc ſuperficies D ſuccedit in locum ſuperficiei A,& ſuperficies C in locum ſuperficiei B.



Cap. XV.

Id,quod partibus vacat,moueri non poſſe.

26 ALia mouentur per ſe,alia per accidens.vt cùm na- Cap.10.
uis per ſe mouetur: is, qui in naui ſedet, mouetur
per accidens, ad motum nauis. rurſus cùm totum mouetur,
pars mouetur per accidens,motu totius.

27 ¶ Quod partibus vacat,id eſt,quod ſecundum quantitatem non diuiditur, per accidens quidem moueri poteſt, quatenus mouetur magnitudo, in qua eſt: ſed per ſe moueri nequit.quod ita oſtendo:Quicquid per ſe mouetur,eſt diuiduum:atqui quod partibus vacat,non eſt diuiduũ:ergo quod partibus vacat,per ſe non mouetur. Maior probata eſt ſuprà axio.5.Minor patet ex definitione eius quod vacat partibus. Aliis quoque rationibus Ariſtoteles hoc loco vtitur, quas breuitatis cauſâ omitto.

Cap. XVI.

Vtrùm mutatio infinita eſſe poſſit.

28 OMnis mutatio eſt finita, quatenus finitur terminis à quo & ad quem.Ceterùm aliquando ſunt termini contradicentes, vt in mutatione ex non albo ad album: interdum contrarij, vt in mutatione ex albo ad nigrum: quandoque eſt idem terminus à quo & ad quem,vt in motu orbiculari.

29 ¶ Mutatio in infinitum durare poteſt:vel quia mutationem alia mutatio in infinitum ſequitur:vel quia vna eſt perpetua mutatio, cuiuſmodi eſſe poteſt ſola conuerſio, ſeu motus circularis.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXIII.

NATVRÀLIS AVSCVLTATIONIS SEPTIMVS.

Cap. I.

Quicquid mouetur, ab aliquo moueri.

QVICQVID mouetur, ab alio mouetur: vt probatur duobus ſequentibus argumentis. I. Si mouetur ab externo: perſpicue aliud eſt, quod mouet, aliud, quod mouetur: vt cùm lapis ab homine proiicitur. ſin autem ab interno, vt animal ab anima: diuiditur in partem mouentem, & partem motam. vt corpus animalis mouetur, anima autem mouet, nõ mouetur, niſi per accidens, motu corporis. II. Quod moueri deſinit quia aliud ſiſtitur, id nõ à ſe, ſed ab alio mouetur: atqui quicquid mouetur, deſinit moueri quia aliud ſiſtitur: ergo quicquid mouetur, ab alio mouetur. Maior patet ex 14. loco ſecũdi Topici, id eſt, per argumentum ab euerſione conſequentis ad euerſionem antecedentis. quod enim à ſe mouetur, non ideo deſinit moueri quia aliud ſiſtitur: ergo quod ideo deſinit moueri quia aliud ſiſtitur, id à ſe non mouetur. Minor ſic probatur: ſuppono mobile, de quo loquimur, moueri per ſe: item ſuppono hoc mobile diuidi in partes, vt ſuprà fuit probatum. his ſuppoſitis, ſit hoc mobile (exempli gratiâ) animal. diuido hoc in partes, vt animam, & corpus. dico ergo animal deſinere moueri, ſi aliud, id eſt anima ſiſtatur. alioqui ſi corpus moueretur quieſcente anima, certè mobile non eſſet per ſe animal, ſed eius pars, id eſt corpus, contra hypotheſim Quod dixi de animali, idem in aliis quoque mobilibus valet.

Cap. II.

Eſſe aliquod primum mouens, quod ab alio non mouetur.

2 FIeri poteſt, vt quod mouet, ab alio moueatur, & hoc rurſus ab alio. non tamen datur progreſſus in infinitum: ſed neceſſe eſt dari aliquod primum mouens. alioqui ſi ponatur primum moueri à ſecundo quia ſecundum mouetur à tertio, & ſecundum moueri à tertio quia tertium mouetur à quarto, & ita deinceps in infinitum: certè infinita eſſent mobilia coniuncta: conſequenter infiniti motus coniuncti, qui poterunt accipi pro vno motu infinito. atque hic motus infinitus fiet tempore finito. quod eſt abſurdum. nam tempus quo mouetur primum à ſecundo, finitũ eſt. eodémq. tempore mouetur ſecundum à tertio: ſiquidem ſecundum ideo mouet primum, quia mouetur à tertio. Eademratione oſtendi poteſt eodem tempore moueri tertium à quarto, & quartum à quinto, & ita deinceps.

Cap. III.

Mouens, & quod mouetur, ſimul eſſe.

3 MOuens & mobile ſunt ſimul. Intellige mouens Cap.2.
proximum, quod habet rationem efficientis. Item intellige ſimul loco. Hoc theorema probatur inductione.

Cap. V.

De motuum comparatione.

4 VT aliqua dicantur inter ſe comparabilia, duæ cõditiones requiruntur. Cap.4.
I. Vt ea, quæ comparantur, non ſint homonyma. exempli causâ, acutum homonymως dicitur de gladio, & de aceto: proinde gladius neque eſt acutior aceto, neque minùs, neque æquè acutus. II. Vt tam id quod cõparatur, quàm ea in quibus illud ineſt, ſit ſpecies, nõ genus. Verbi gratiâ, rectè quęritur, vtrũ canis an equus ſit cãdidior: quia tam id quod cõparatur, id eſt candor, quàm ea, in quib. cãdor ineſt, i. canis & equus, ſunt ſpecies. malè aũt quęritur, vter ſit magis colorat⁹, quia color eſt genus. Rurſus malè quęritur, vtrùm variatio, an motus localis ſit velocior. quia mot⁹ localis eſt gen⁹ ſub ſe cõtinẽs multas ſpecies, quas tamẽ

Ariſtoteles cap. 3. huius libri refert ad tractum & pulſum. item ratione ſpatij diuiditur in motum rectum,& conuerſionem. Variatio quoque eſt genus calefactionis, refrigerationis, &c.

5 ¶ Variatio igitur cum motu locali conferri nequit.

6 ¶ Sed neque motus rectus cum motu circulari eſt cõparabilis:alioqui daretur linea circularis æqualis lineę rectę, quod eſt impoſſibile.

7 ¶ Vt duo, quæ motu locali cientur, æquè velocia dicantur, quatuor conditiones requiruntur. I. Vt moueantur æquali tempore. II. Vt moueantur per æqualem magnitudinem. III. Vt ea magnitudo non ſit genus,ſed ſpecies. IV. Vterque motus ſit eiuſdem ſpeciei.

8 ¶ Variationes æquè veloces dicuntur,quæ fiunt æquali tempore,dummodò vna ſit affectio,quæ ab vtroque mobili æquè acquiratur. veluti ſi eodem tempore duo æquè ſanentur.Sin autem vel alter citiùs,alter tardiùs: vel alter magis,alter minùs ſanetur:vel alter ſanetur,alter dealbetur:non dicentur variationes æquè veloces.

9 ¶ Generationes vel interitus æquè veloces dicuntur, cùm æquali tempore idem ſpecie,vt homo,gignitur. Generationem & interitum hic latè accipe, vt cõplectatur etiam variationem & præparationem materiæ præcedentem:alioqui hæc fiunt in momento,non in tempore.

Cap. VI.

De motuum proportione.

Cap. 5. 10 SVpponatur mouens aliquod mouere certum põdus per certum ſpatium certo tempore: & notentur de alio mouente ſequentes regulæ. I. Mouens eiuſdem ſiue æqualis virtutis mouebit dimidiam partem eius ponderis eodem tẽpore per duplum ſpatium.veluti ſi quis ferat lapidem quatuor librarum horis quatuor per quatuor miliaria,idẽ vel alius iiſdem viribus præditus, trahet lapidem duarum librarum totidem,id eſt quatuor horis per octo miliaria. II. Mouens eiuſdem virtutis mouebit dimidiã partem põderis per idem ſpatium dimidiato tempore. III. Mouens eiuſdẽ virtutis mouebit idem pondus per dimidiam ſpatij partẽ dimidia parte temporis. IV. Mouens dimidiatâ virtute prędium moue-

mouebit dimidiā partem pōderis per idem ſpatium eodem tempore. V. Non eſt neceſſe vt mouens dimidiatâ virtute præditum moueat idē pondus. Nec vera eſt ſententia Zenonis, ſi quid cadens edit ſonum, etiā quantácumque eius partē ſonū aliquem edere. VI. Mouens duplo maiori virtute præditū mouebit duplo maius pondus per idē ſpatiū eodē tēpore. Hæ regulæ vno intuitu in ſequenti diagrāmate apparent.

	Mouens	Pondus	Spatium	Tempus
Hypotheſis	4	4	4	4
Regula 1.	4	2	8	4
Reg. 2.	4	2	4	2
Reg. 3	4	4	2	2
Reg. 4	2	2	4	4
Reg. 5.	2	4		
Reg. 6.	8	8	4	4

11 ¶ Supponatur aliquid rem variare vel augere quadamtenus certo aliquo tempore. verbi gratiâ quidam ignis aquæ gradus quatuor caloris afferat quatuor horis: & notentur ſequentes regulæ. I. Quod habet eandem virtutem, variabit vel augebit eandem rem (id eſt, æquè variabilem, vel æquè auctilem) in duplum duplo tempore. II. Quod eadem virtute eſt prēditum, variabit vel augebit eandem rem in dimidium tempore dimidiato. III. Quod duplo maiorem virtutem habet, eodem tempore variabit vel augebit eandem rem in duplum. IV. Non eſt neceſſe, vt dimidiatâ virtute præditum variet vel augeat eandem rem. Has regulas ſequens deſcriptio ob oculos ponit.

	Varians vel Augens	Variatum vel Auctum	Quatenus variatur vel augetur	Tempus
Hypotheſis	4	4	4	4
Reg. 1	4	4	8	8
Reg. 2.	4	4	2	2
Reg. 3.	8	4	8	4
Reg. 4	2	4		

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXIV.

NATVRALIS AVSCVLTATIONIS OCTAVVS.

Cap. I.

Motum ſemper fuiſſe, ac ſemper fore.

Cap. 1. NVnc videndum, vtrùm aliquando motus nullus fuerit, & aliquando motus nullus erit, an ſemper aliquis fuerit, & ſemper aliquis erit. nam hęc cognitio tam phyſico vtilis eſt, quia ad motum pertinet, quàm metaphyſico, quia hinc cognoſcemus primum motorem immobilem, qui ſupra naturam eſt, & omnium rerum eſt principium.

2 ¶ In hac quæſtione quatuor ſunt philoſophorum opiniones Prima eſt Democriti, Leucippi, & Epicuri, motum ſemper fuiſſe, & ſemper fore: quia infiniti ſunt mundi, ita vt ſemper alij generentur, alij intereant: generatio namque & interitus non ſunt ſine motu. Secunda Anaxagoræ; motum cœpiſſe cum mundo, & numquàm deſiturum, quia mens diuina, poſtquàm infinito tempore quieuit, poſtea cœpit partes ſimilares ex chao ſecernere, quæ ſecretio numquàm abſoluetur, ſed infinito tempore durabit. Tertia Empedoclis, infinito tempore, modò fuiſſe motum, modò quietem, & modò fore motum, modò quietem. ponit enim motum Empedocles, prout eius verba ab Ariſtotele accipiuntur, cùm ex ſphæro fit mundus, vel ex mundo ſphærus: quietem autem, dum manet ſphærus, vel mundus. Quarta Ariſtotelis, vnum quidem eſſe mundum, ſed ſemper motum fuiſſe, & ſemper fore, quia mundus non habet principium, nec finem.

3 ¶ Mo-

3 ¶ Motum ſemper fuiſſe Ariſtoteles probat duobus argumentis. I. Supponens, tamquàm per ſe manifeſtum, & definitioni motus conſentaneum, non eſſe motum ſine mouente & mobili,ſic arguit:Si motus non ſemper fuit,datur aliquis motus primus:ſed non datur motus primus: ergo motus ſemper fuit. Non dari motum primum,ſic probat:Si daretur motus primus, daretur prior primo: atqui non poteſt dari motus prior primo:ergo nō datur motus primus. Minor manifeſta eſt.Maior ſic probatur: Cùm aliquod mouens & mobile efficiunt priorem motum (ſiquidem iam ſuppoſitum eſt,non eſſe motum ſine mouente & mobili) neceſſe eſt, vel vtrumque eſſe æternum,vel vtrumque genitum: vel alterum eſſe genitum,alrerum æternum. Si vtrumque vel alterutrum eſt genitum:eius generatio præcedit primum motum: ergo eſt motus prior primo: cûm quia generatio eſt motus quidā, id eſt mutatio: tum etiam quia ſupponit motum propriè dictum,quia ſemper generationem motus præcedit,per quē præparatur materia ad recipiendam formam generatione introducendam.Sin autem ambo ſint æterna, & cūm antea non producerent motum, poſtea motum inchoarunt, certè antea non erant ita affecta, vt motum producerent, poſtea verò ita affecta eſſe cœperunt.mutata igitur ſunt, anrequàm primum motum producerent veluti quia facta ſunt ſibi inuicem propinqua, cùm antea eſſent remota. quare eſt aliqua mutatio prior primo motu. Ere eſt, hanc Ariſtotelis argumentationem diluere. Cùm ſupponit non eſſe motum ſine mouente & mobili: reſpondeo hoc verè dici de motu, ſed aliam eſſe rationem creationis. quod vt perſpicuè intelligatur, notandum eſt, duplex eſſe ſubiectum: alterum quod alterum ex quo. vt cum homo fit albus, homo eſt ſubiectum quod fit album. cum autem ex ouo fit pullus, ouum non eſt ſubiectum quod, ſed ex quo fit pullus. Rurſus norandum eſt diſcrimen inter tria genera mutationum, id eſt,motum,generationem,& creationem. motus enim ſupponit ſubiectum quod, id eſt,ſubiectum mobile: vt ambulatio ſupponit animal ambulans:& dealbatio rem quæ dealbatur. generatio autem non ſupponit ſubiectum quod generetur: quia antequàm generetur, non eſt: ſed ſuppo-

nit ſubiectum ex quo generetur: quia ex nihilo nihil gignitur, vt in generatione pulli non eſt pullus: ſed eſt ouum, ex quo pullus generatur. creatio verò neutrum ſubiectum ſupponit. quod enim creatur, non eſt, antequàm creetur neque creetur ex aliquo præexiſtente ſubiecto, ſed ex nihilo Præterea quamuis generatio non ſit motus, tamen ſupponit motum præcedentem, per quem præparetur materia ad recipiendam formam. creatio verò non eſt motus, nec ſupponit motum præcedentem, quia nullum ſubiectum capax motus præexiſtit. His expoſitis, ad argumentum Ariſtotelis: ſi motus non ſemper fuit, datur aliquis motus primus. ſed non datur aliquis motus primus: ergo motus ſemper fuit: concedo maiorem: & nego minorem. Ad probationem huius minoris, quia daretur motus prior primo, quod eſt abſurdum, nego conſequentia. Ad probationem conſequentiæ reſpondeo, motorem eſſe æternum: mobile nec eſſe æternum, nec genitum, ſed creatum: creationem autem (vt paulò antè docui) nec eſſe motum, nec ſupponere aliquem motum præcedentem. quare ante primum motum non eſt motus: ſed eſt creatio, quemadmodum igitur ante primum numerum non eſt numerus, ſed vnitas, quæ eſt principium numeri: ita ante primum motum non eſt motus, ſed creatio, quæ eſt principium motus. II. Ariſtotelis argumentum tale eſt: Semper fuit tempus: ergo ſemper fuit motus. Conſequentia manifeſta eſt ex definitione temporis: quia cùm tempus ſit numerus motus, vt definitum eſt lib. 4. non poteſt eſſe ſine motu. Antecedens probatur. I. Per deductionem ad abſurdum: quia negans tempus ſemper fuiſſe, aſſerit tempus aliquando cœpiſſe, cùm priùs non eſſet: ergo ponit tempus fuiſſe, antequam tempus cœperit: ſiquidem ponit prius, quod eſt differentia temporis, nec poteſt eſſe ſine tempore. II. Ab auctoritate: quia omnes philoſophi, Platone excepto, ponunt tempus æternum: ſolus Plato dixi tempus cœpiſſe vnà cum mundo. III. Quia quicquid eſſe incipit, in præſenti momento incipit, non poteſt enim incipere in præterito, quod non eſt ampliùs: nec in futuro, quod nondum eſt. quare ſi tempus eſſe cœpit, in momen-

momento cœpit:quod eſt impoſſibile: quia omne momentum eſt præterito & futuro interiectum: quippe quod eſt finis præteriti, & principium futuri. Hæc quoque Ariſtotelis argumenta diſſoluere operæ pretium erit. Cùm ait ſemper fuiſſe tempus, ideóque ſemper fuiſſe motum, nego antecedens. Cùm ait, Ante primum tempus poni prius, proinde poni tempus, nego conſequentiam. quamuis enim prius, propriè acceptum, ſit differentia temporis: tamen quando dico tempus cœpiſſe cùm prius non eſſet, latiùs ſumo aduerbium *priùs*. Denique ſicut prius, eſt differentia temporis: ita extra, eſt differentia loci. ſicut igitur cùm dicimus extra mundum nihil eſſe, non ponimus locum extra mundum: ita cùm dicimus priùs tempus non fuiſſe, non ponimus tempus ante primum tempus. Ad auctoritatem reſpondeo, pluris faciendam eſſe auctoritatem Platonis, quàm aliorum philoſophorum. Præterea etiamſi omnes philoſophi aſſererent omne tempus eſſe æternum, tamen præualeret auctoritas ſanctarum literarum, quibus contrarium ſtatuitur. Ad rationem à momento ſumptam, reſpondeo quemadmodum non omne punctum eſt lineæ interiectum, ita vt ſit finis vnius partis, & principium alterius: ſed punctum, à quo linea incipit, eſt tantùm principium lineæ:punctum verò, in quo linea deſinit, eſt tantùm finis lineæ: ita poteſt aliquod momentum eſſe tantùm principium temporis, & aliud eſſe tantùm finis, licèt pleraque momenta ſint præterito & futuro interiecta.

4 ¶ Motum non habiturum finem, probat Ariſtoteles duobus argumentis. I. Tempus numquàm deſinet: ergo motus numquàm deſinet. Conſequentia à tempore ad motum ſuprà fuit probata. Quòd ad antecedens attinet, cùm priùs & poſterius ſint differentiæ temporis, quemadmodum ſuprà ex vocabulo *priùs*, probatum fuit non eſſe primum tempus: ita nunc ex vocabulo poſterius, probatur non fore vltimum tempus, poſt quod non ſit ampliùs tempus: quia qui dicit pòſt, dicet tempus. II. Non datur vltimus motus: ergo motus numquàm deſinet. Antecedens probatur: quia ſi daretur motus vlti-

mus, daretur etiam poſterior vltimo: quod eſt abſurdum. etenim poſt vltimum illum motum manent motiuum, & mobile, quæ iterum poterunt motum producere. Huic rationi non ſatisfaciet, ſi quis dicat vltimum motum eſſe interitum: quia cùm nihil abeat in nihilum, etiam poſt interitum manet aliquid capax noui motus.

5 ¶ Denique motum omnino eſſe æternum, id eſt, nec habuiſſe principium, nec habiturum finem, Ariſtoteles ex eo probat, quòd contraria áſſertio non eſt philoſophica: cùm philoſophus nihil ſine ratione dicere debeat: nulla autem ratio afferri poſſit, cur motus aliquando cœperit, non priùs, & cur aliquando deſinet, non poſteriùs.

6 ¶ Hinc impugnatur etiam ſententia Empedoclis dicentis modò amicitiam mouere & conſtituere ſphærum, modò diſcordiam mouere, & conſtituere mundum. nullam enim huius viciſſitudinis rationem afferre poteſt.

7 ¶ Hinc etiam reprobatur ſententia Anaxagoræ, qui rationem afferre nequit, cur mens diuina, poſtquàm infinito tempore quieuit, certo tempore cœperit partes ſimilares ſegregare, atque ita mundum conſtituere.

8 ¶ Quamuis Empedocles & Anaxagoras peccarint, tamen deterior eſt Anaxagoræ ſententia. nam vtriuſque aſſertio ratione caret: ſed Empedocles ſaltem ordine quodam ponit in rebus naturalibus modò motum, modò quietem: Anaxagoras verò ne ordinem quidem ponit: quia in infinitis nec ratio, nec ordo ſpectatur, ipſe autem ponit mentem diuinam poſt infinitam quietem mouere infinito tempore. hoc igitur quod ordine caret, neque Dei, neque naturæ opus dici poteſt.

9 ¶ Falluntur Empedocles, Democritus, & quicumque alij putant rerum æternarum rationem non eſſe quærendam: quandoquidem concluſiones perpetuò veræ demonſtrantur, vt triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis.

CAP.

Cap. II.

Obiectionum æternitatem motus impugnantium ſolutio.

10 TRibus argumentis probatur motum non eſſe æternum, quæ Ariſtoteles hoc cap. diſſoluit. Primò quia omnis motus & mutatio habet principium, & finem, id eſt, terminum à quo, & ad quem. Secundò quia in rebus inanimatis videmus principium & finem motus, vt cùm lapis proiicitur. Tertiò quia animantia videntur ſe ipſa mouere, ac ſiſtere, atque adeo motum ſuum pro libitu inchoare, ac deſinere. Ad primum argumentum Ariſtoteles reſpondet, id verum eſſe de motu recto, non de orbiculari, qui poteſt eſſe infinitus & perpetuus, quippe qui non eſt inter duos terminos oppoſitos, ſed ab eodem ad eundem terminum. Ad ſecundum reſpondet, rem anima carentem, non aliter moueri, quàm aliquo alio motu præcedente, putà quo mouens ad rem mobilem accedit. quamuis igitur non ſemper ſit motus (exempli gratiâ) lapidis: tamen fieri poteſt, vt ſemper ſit aliquis motus: ſiquidem alij motus præcedunt motum lapidis. Ad tertium reſpondet ſimiliter motum non incipere in animali, ſed in re externa, quæ mouet animal. vtputà priuſquàm leo ceruum perſequatur, ceruus ſenſum leonis affecit, & appetitum eius mouit. Cap. 2.

Cap. III.

Nonnulla modò moueri, modò quieſcere.

11 IN rebus naturalibus aut eſt tantùm motus, aut quies ſiue immobilitas, aut vtrumque: atqui nec eſt tantùm quies, nec tantùm motus: eſt igitur vtrumque. Cap. 3.

12 ¶ Non eſſe tantùm quietem in rebus naturalibus, id eſt, non eſſe dicendum omnia ſemper quieſcere, patet. I. Per ſenſum: quia videmus multa moueri. II. Quia phyſica verſatur in rebus mobilibus. III. Quia omnes ferè ſcientiæ & artes vtuntur aliquo motu, vt cùm medicus ſanat, & cùm geometra lineam ducit. IV. Quia natura definitur principium motus.

13 ¶ Non ſunt omnia in continuo motu, vt falsò Heraclitus exiſtimauit: ſiue loquamur de accretione & deminutione, ſiue de variatione, ſiue de motu locali. quod ita oſtendo: Decretio non eſt continua, ſed quiete aliqua interrumpitur: vt cùm animal augetur, priùs cibus concoquitur, & tranſit in alimentum, atque ita præparatur, vt conuerti poſſit in naturam eius quod alitur: túncque auctio fit, cùm alimentum ita conuertitur, quo facto, alia materia iterum præparatur, ac deinde ſimiliter conuertitur. quare auctio non fit continenter. Similis eſt ratio deminutionis: vt cùm gutta cauat lapidem. nam vna gutta ex lapide aliquid adimit, poſtquàm multæ guttæ lapidem præpararunt, id eſt, emolliuerunt, vt ita per vnam guttam deminui poſſit. & poſtquàm hæc gutta id effecit, opus eſt noua præparatione, antequàm alia gutta iterum lapidem cauet. Eadem eſt ratio variationis: quia priùs ſubiectum præparatur, poſtea variatur. exempli gratiâ, priùs aqua refrigeratur, poſtea concreſcit: deinde alia pars aquæ præparatur, mox concreſcit. nec putandum eſt omnes partes aquæ continenter concreſcere: quia inter diuerſas, id eſt, diuerſarum partium concretiones media eſt præparatio quædam. Adde, quòd omnis variatio eſt à contrario ad contrarium terminum, vt à morbo ad ſanitatem. ergo in hoc termino eſt finis variationis. Denique videmus lapides diu manere in ſuo ſtatu, & nec duriores fieri, nec molliores. quocirca non ſemper variantur. Motum quoque localem terminari ac finiri patet, I. Per ſenſum: vt cùm lapis proiicitur, videmus eum aliquando quieſcere. II. Quia grauia & leuia in ſuis locis naturalibus quieſcunt, niſi vi inde moueantur. Ex dictis patet in rebus naturalibus eſſe motum & quietem.

14 ¶ Aut igitur quędam ſemper mouentur, & alia ſemper quieſcunt: aut omnia modò mouentur, modò quieſcunt: aut alia ſemper mouentur, alia numquàm, alia modò mouentur, modò quieſcunt. atqui ex his tribus membris primum eſt falſum, quia videmus quædam modò moueri, modò quieſcere, vt lapidem proiectum: ergo vel ſecundum, vel tertium membrum verum eſt. Vtrum autem horum ſit verum, ex ſequentibus apparebit, vbi docebimus

non

non ſecundum, ſed tertium membrum eſſe verum, id eſt, quædam ſemper moueri, alia eſſe immobilia, reliqua modò moueri, modò quieſcere.

Cap. IV.

Quicquid mouetur, ab alio moueri.

15 Repetendum eſt ex libr.5.axio.2.quicquid mouetur, aut per accidens, aut per ſe moueri. Per accidens mouetur, quod ideo dicitur moueri, quia eſt in re mota; vt nauta in naui, vel quia pars eius mouetur, vt ſcribens mouetur, quia mouet manum. Per ſe mouentur, quę nec ratione eius in quo ſunt, nec ratione partis moueri dicuntur: vt equus currens. Cap.4.

16 ¶ Quod per ſe mouetur, id vel mouetur à ſe, vt animal, vel ab alio, vt res inanimata. & vel naturâ, vt lapis deſcendens; vel vi ſeu præter naturam, vt lapis ſurſum iactus.

17 ¶ Quod à ſe mouetur, naturaliter mouetur: vt animal incedens, aut currens. Conſidero animal, quatenus eſt animal, id eſt, quatenus conſtat ex anima & corpore. cætero qui corpus animalis præter naturam aſcendit, & ſecundum naturam deſcendit.

18 ¶ Quod igitur ab alio mouetur, partim mouetur naturâ, vt cùm grauia deſcendunt, partim vi, ſeu præter naturam, vt cùm grauia adſcendunt.

19 ¶ Quinetiam quod à ſe mouetur, interdum præter naturam mouetur: vt ſi homo manibus ambulet, aut tibias in anteriorem partem inflectat. nam hi motus homini, quatenus homo eſt, non conueniunt.

20 ¶ His expoſitis, dico, quicquid per ſe mouetur, ab alio moueri. quod deinceps de mobilibus ſingulis eſt probandum.

21 ¶ Quod præter naturam mouetur, manifeſtè ab alio mouetur, vt lapis à proiiciente.

22 ¶ Animalia dicuntur à ſe moueri: quia conſtant ex duabus partibus, id eſt, ex anima, quæ mouet, & corpore quod mouetur, ergo etiam in animalibus, quod per

ſe mouetur, ab alio mouetur, id eſt, corpus ab anima. nam ipſa anima non mouetur, niſi per accidens, motu corporis.

23 ¶ Grauia cùm deſcendunt,& leuia cùm aſcendunt, videri poſſunt à ſe moueri. ſed verius eſt, hæc quoque moueri ab alio. quod probatur I. Quia moueri à ſe, eſt proprium animalium. II. Quia ſi poſſent ſe mouere, poſſent etiam ſe ſiſtere,& in contrariam partem mouere. III. Quia mouerent ſe variis motibus naturalibus, vt animalia. IV. Quia ſunt res continuæ: vna autem res continua non poteſt eſſe ſimul mouens, & id quod mouetur, reſpectu eiuſdem motus.

24 ¶ Cùm forma ſit actus primus, motus verò ſit actus ſecundus:id quod gignit grauia & leuia, non ſolùm actum primum, id eſt formam, ſed etiam ſecundum, id eſt motum eis tribuit, niſi quid impediat: quia tum demum ſunt perfecta, cùm ſunt in ſuis locis. ſi quid autem obſtet, & motum impediat: certè id quod remouet hoc impedimentum, ex accidenti mouet. grauia igitur & leuia, etiam cùm naturaliter mouentur, ab alio mouentur, id eſt,per ſe à generante, per accidens verò à remouente impedimentum.

25 ¶ Ex dictis patet,quiquid mouetur,ab alio moueri.

Cap. V.

Primum mouens,non moueri ab externo.

Cap. 5. 26 NEceſſe eſt dari primum mouens: quia niſi primum moueat, reliqua non mouent: veluti niſi homo moueat baculum, baculus non mouebit pilam. quare niſi ſit primum mouens, non erit vllus motus: quod eſt abſurdum.

27 ¶ Primus motor non mouetur ab alio: quia ſi ab alio moueretur, non eſſet primus. ſi igitur mouetur, à ſe ipſo mouetur.

CAP. VI.

Primum mouens eſſe immobile.

28 QVatuor modis dici poteſt aliquid ſe ipſum mouere. aut enim totum à toto mouetur: aut pars mouet partem, & inuicem ab ea mouetur: aut aliqua pars, vel aquæ partes ſe mouent, cùm reliquæ maneant immobiles: aut alia pars tantùm mouet, alia tantùm mouetur. ex his quatuor membris vltimum eſt verum, vt ex ſequentibus apparebit.

29 ¶ Totum à toto non moueri, cùm aliquid ſeipſum mouet, ex eo probo: quia quod mouet, eſt actu: quod autem mouetur, non eſt actu, ſed poteſtate. vt ignis calefacit aquam, quia eſt actu calidus, aqua verò eſt tantùm poteſtate calida. quare ſi totum ſe ipſum moueret, ſimul eſſet actu & non eſſet actu: quod eſt abſurdum.

30 ¶ Partes ſe inuicem non mouere, probo: quia ſi prima pars mouet ſecundam, & ſecunda primam, prima per ſecundam mouet ſeipſam. ergo inter primam mouentem & eandem primam motam interiecta eſt ſecunda. quare prima erit propinquior ſecundæ, quàm ſibi ipſi: vt ſi manus per baculum mouet lapidem, propinquior eſt baculo, quàm lapidi. Præterea cùm motus progrediatur à prima parte ad ſecundam, & reflectatur à ſecunda ad primam, neceſſe eſt vt ſit idem motus ſpecie: vt cùm pila à pariete reflectitur, non alia ſpecie motus mouetur, quàm quo in parietem impulſa eſt. prima igitur pars eodem motu mouebitur, quo mouet: vt putà calefaciens calefiet: aut impellens impelletur, quod eſſe abſurdum ſuperiori axiomate oſtendi.

31 ¶ Neque verò dici poteſt totum ſe mouere: quia pars ſe ipſam mouet, vel quædam partes ſeipſas mouent. vt enim omittam deductionem ad abſurditatem, de qua ſup. axio. 29. quòd idem eſſet & non eſſet actu: certè pars ſeu partes per ſe mouerentur, totum autem ex accidenti diceretur moueri, nempe ratione partium.

32 ¶ Reſtat igitur, vt dicamus id, quod ſeipſum mouet, conſtare ex parte mouente, & parte mobili proinde illa eſt mouens. hæc eſt, quæ mouetur. & illa quidem eſt immobilis, quia (vt oſtendi) nec à ſe, nec inuicem ab

altera parte mouetur: hæc verò poteſt quidem aliud mouere: ſed quod ab hac parte mouetur, non eſt pars primi ſeipſum mouentis, quia eo dempto, nihilòminùs hoc ſeipſum mouebit.

33 ¶ Sic patefacta eſt prima proprietas primi motoris, nempe eum eſſe immobilem.

CAP. VII.

Primum mouens immobile eſſe æternum, & vnum.

Cap. 6.

34. SI motus eſt æternus, vt primo capite demonſtratum fuit: neceſſe eſt, primum quoque motorem, quem docui eſſe immobilem, eſſe æternum: alioqui non poſſet eſſe cauſa æterni motus.

35. ¶ Præterea eſt vnus: quia cùm vnus ſufficiat ad efficiendum æternum motum, non debemus fruſtra multas ponere: ſed hîc obtinet Homericum illud,

„ Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,

id eſt,

„ *Non eſt res bona multorum principatus: vnus princeps eſto.*

Præterea motus æternus eſt continuus: eſt igitur vnus: proinde eſt ab vno mouente.

CAP. VIII.

Primum mouens nequidem ex accidenti moueri

36 PRimus motor non ſolùm non mouetur per ſe, ſed nequidem per accidens ad motum ſui mobilis, id eſt, cœli. aut enim totum cœlum ſpectatur, aut partes eius. ſi totum ſpectetur, non mutat locum, ſed in ſeipſo vertitur. ſi partes, hæ mutant quidem locum: ſed primus motus toti cœlo attribuitur, non partibus. quòd ſi totum moueretur, tunc ſanè primus motor moueretur per accidens ad motum cœli, vt anima per accidens mouetur ad motum corporis. ſed eiuſmodi motor non eſt æternus, nec poteſt producere motum æternum: huiuſmodi (inquam) motor, id eſt, qui eo motu, quem alij tribuit, cietur: vt anima eo motu cietur, quem ipſa corpori tribuit: ceterùm errantium ſphærarum intelligentiæ æterno tempore ſphæras ſuas mouent ab occaſu ad ortum,

quamuis per accidens moueantur, quatenus à primo mobili rapiuntur ab ortu ad occaſum.

Cap. IX.
Primum mobile eſſe æternum.

37 NOn ſolùm primum mouens, ſed etiam primum mobile eſt æternum: ſiquidem ſemper mouetur. Quòd autē ſemper moueatur, patet. I. Quia mouetur à motore immobili: non eſſet enim immobilis, ſi modò moueret, modò non moueret idem mobile. II. Quia motus primi mobilis eſt cauſa aliorum motuum. quare cùm ſemper ſint aliqui motus, vt cap. I. probatum fuit, neceſſe eſt etiam primum motum ſemper eſſe.

38 ¶ Tria igitur entium genera ſunt: vnum immobile, id eſt, primus motor: alterum, quod ſempèr mouetur, id eſt, primum mobile: tertium, eorum quæ modò mouentur, modò quieſcunt.

Cap. X.
Lationem eſſe primum motum.

39 QVia motus, quo primum mobile à primo motore Cap. 7.
mouetur, eſt primus motus: de primo motu dicendum eſt.

40 ¶ Motus localis eſt omnino primus: quia ante auctionem eſt variatio, quâ alimentum concoquitur, & ex diſſimili fit ſimile, vt ex pàne caro vel ſanguis: & ante hanc variationem eſt motus localis, quo alimentum, quod erat remotum, fit proximum ei, quod alitur, & ab eo ſumitur.

41 ¶ Motus localis eſt primus I. Naturâ: quia poteſt eſſe ſine aliis motibus, cùm alij ſine ipſo eſſe non poſſint. II. Tempore: quia ſolus conuenit rebus æternis, id eſt, cœlis. Fateor quidem, ſi res vna ortui & interitui obnoxia ſpectetur, eam priùs generari, quàm loco moueatur. ſed ſimpliciter loquendo, generatio non eſt prior motu locali: quia primum mobile non eſt generabile, ſed tantùm loco mobile. III. Dignitate: cùm quia res, quæ gignitur, ad perfectionem tendit, adeo vt ſit perfectius, quod poſtremum ei conuenit, motus autem localis poſt alios motus rei genitæ conuenit: tum

etiam quia imperfectioribus entibus minùs conuenit,quàm perfectioribus.Verbi gratiâ,plantæ locum non mutant,vt animalia,quia animalia ſunt perfectiora.Denique quia minimè omnium motuum rem de ſuo ſtatu dimouet: quādoquidem maior fit in re mutatio,ſi augeatur, vel deminuatur, vel varietur,quàm ſi locum mutet.

42 ¶ Ex eo quoque patet,motum localem eſſe primum, quia maximè cōuenit ei,quod eſt principium omnium motuum,id eſt,ei quod ſeipſum mouet.

Cap. XI.

Nullam motionem vel mutationem eſſe continuam, præter lationem.

43 ALij motus præter localem continui & æterni eſſe nequeunt,neque ſi directò progrediantur,quia finem accipiunt in termino ad quem, neque ſi reflectantur, quoniam in omnibus motibus reflexis quies eſt interiecta. idem namque terminus eſt finis primi motus,& principium ſecundi motus.vt ſi res primò ex alba fiat nigra, mox ex nigra iterum fiat alba: nigrum eſt vltimus terminus denigrationis,& primus terminus dealbationis.in hoc igitur termino res vel vtroq;vel neutro motu mouetur: atqui non poteſt vtroque motu ſimul moueri, quoniam hi motus contrarij ſunt:neutro igitur motu mouetur:proinde quieſcit.

Cap. XII.

Solam conuerſionem eſſe poſſe continuam,& infinitam.


Cap. 8. 44 CVm omnis motus aut ſit orbicularis,aut rectus,aut mixtus:motus rectus non poteſt eſſe continuus & infinitus,vt mox probabo : ergo neque motus mixtus: quia cùm conſtet ex orbiculari & recto,(veluti ſi quid moueatur in ſemicirculo per chordam,& arcum)non poteſt eſſe continuus,niſi partes eius continuæ ſint.reſtat igitur,vt ſolus motus orbicularis poſſit eſſe continuus & infinitus.

45 ¶ Quòd motus rectus,continuus & infinitus eſſe nequeat,inde oſtendo,quòd ſi talis eſſet, vel fieret ſuper magnitudine infinita,vel per recurſum ſuper magnitudine finita: quorum neutrum dici poteſt. Non poteſt fieri ſuper magnitudi-

gnitudine infinita: quia omnis magnitudo eſt finita, vt libr. 3. probàtum fuit. Sin autem res ſuper magnitudine finita recurrat, motus non erit continuus: quod multis argumentis probari poteſt. I. In recurſu, vt cùm res mouetur à carceribus ad metam, & à meta ad carceres, motus contrarij ſunt: cùm quia ſunt ad terminos contrarios, tum etiam quia ſibi inuicem obſtant: ergo non poſſunt eſſe continui: nam contrarium contrario non cohæret. II. Si res moueatur ab A ad B, & recurrat à B ad A, neceſſe eſt, vt priùs accedat ad B, deinde ab eo recedat. neque enim poteſt ſimul ad idem punctum accedere, & ab eodem puncto recedere. inter acceſſum igitur & receſſum eſt tempus intericctum, quo mobile in ipſo B quieſcit. III. Quicquid continuo motu cietur, ſtatim ac diſceſſit à termino a quo, dicitur moueri ad vltimum terminum, ad quem eo motu perueniet. atqui aduerſarius aſſerit mobile continuo motu ferri ab A ad B, & à B ad A. ergo ſtatim ac diſceſſit ab A, non ſolùm dici poteſt moueri ad B, ſed etiam ad A. ſimul igitur mouebitur contrariis motibus: quod eſt abſurdum.

46 ¶ Alia eſt ratio motus orbicularis, in quo dicta argumenta non obtinent. quocirca hic motus poteſt eſſe continuus in infinitum. Differentiæ inter rectum & orbicularem motum ratio eſt: quia motus rectus fit inter terminos diuerſos, quos etiam ſolemus contrarios vocare, vt carceres, & metam: idcirco mobile non poteſt ad eundem terminum redire, à quo diſceſſit, niſi motu contrario recurrat: motus autem orbicularis eſt ab eodem ad eundem terminum, vt ab ortu ad ortum, ideóque non contrario motu, ſeu per recurſum, ſed vno & eodem motu mobile redit ad principium à quo diſceſſit.

47 ¶ Quod dixi de motu ſuper lineam rectam, idem obtinet in motu per ſemicirculum, & quouis alio preter circularem. exempli gratiâ, ſit ſemicirculus A B C.



ſiue mobile feratur ab A ad C, per lineam rectam A C, ſiue per obliquam A B C:& ſiue recurrat per C A,ſiue per C B A: ſemper verum eſt,motum ab A ad C,& motum à C ad A,eſſe contrarios: quia in motuum contrarietate diiudicanda non tam ſpectamus ſpatium medium,quàm ipſos terminos, à quo,& ad quem.itaque quacumque viâ recurratur,id eſt,ſiue eâdem ſiue diuersâ,& ſiue rectâ ſiue obliquâ,motus reflexus eſt contrarius motui primo.

48 ¶ Ex dictis conſtat erraſſe Heraclitum,& Cratylum, qui dixerunt nihil poſſe affirmari, quia res ſunt in continuo motu,nec vllo tẽpore manent in eodem ſtatu,ſed continenter variantur.Hujus ſententiæ falſitas patet: quia iam oſtendi nec variationem nec vllum alium motum, præter circuli conuerſionem,poſſe eſſe continuum.

Cap. XIII.

Conuerſionem eſſe lationum primam.

Cap.9. 49 Motus ſimplices, id eſt orbicularis & rectus, ſunt priores motu compoſito,ſeu mixto: quia ſimplicia ſunt priora compoſitis.

50 ¶ Motus circularis eſt prior recto: quia vel eſt ſimplicior, vel perfectior. nam vnus & idem motus circularis perpetuari poteſt: rectus autem non poteſt perpetuari, niſi reflectatur: túncque non eſt vnus & ſimplex motus, vt ſuprà oſtendi.Præterea cùm ſimplex motus circularis poſſit eſſe æternus,certè eſt omnium primus.

Cap. XIV.

Confirmatio eorum,quæ ſuprà tradita fuerunt.

51 Triplex inter circularem & rectum motum notetur diſcrimen. I. Sicut linea recta habet principium, medium,& finem:ita etiam motus,qui ſuper rectam fit, hæc tria diſtincta habet:proinde finitus eſt: at circularis conuerſionis alia eſt ratio:quia centrum in circulo habet rationem principij,medij,& finis:& quod in orbem mouetur, non ad centrum,ſed circa centrum mouetur:idcirco numquàm ad finem peruenit, & ſemper æquè dici poteſt eſſe in principio,me-

pio, medio, & fine. II. Circularis motus ſphærarum cœleſtium eſt omnium motuum primus,proinde eſt aliorũ menſura. nam quod in eodem genere eſt primum, eſt aliorum menſura: & retrò quod eſt menſura, eſt in eo genere primum. III. Motus rectus eſt inæquabilis. quod enim naturaliter mouetur,quò magis à principio motus recedit,eò celeriùs mouetur. quod verò præter naturã mouetur, quò magis à principio motus recedit,eò tardiùs mouetur.motus autem orbicularis eſt æquabilis: quia quod in orbem mouetur,neque à principio motus recedit, neque ad finem accedit:vtpote cùm principium & finis ſit centrum, circa quod mouetur.

52 ¶ Veteres quoque philoſophi nouerunt motum localem eſſe primum motum. hunc enim motum tribuerunt primis principiis,ex quibus omnia facta ſunt.

53 ¶ Simplici motus appellatione ſignificatur motus localis. quod enim locum mutat, ſimpliciter dicitur moueri. quod verò locum non mutat,nõ dicitur moueri ſimpliciter, ſed cum adiectione aliqua, putà moueri ſecundum quantitatem,vel qualitatem.

Cap. XV.

Primum motorem partibus & magnitudine carere, atque eſſe in ſuprema mundi parte.

54 Virtus finita non mouet tempore infinito. quod ita oſtendo:Detur virtus aliqua finita, quam probandum ſit mouere tempore finito.ſumo aliam virtutem minorem,quæ minori tempore moueat.hæc igitur finito tempore mouet. hanc augeo paulatim, donec tandem primæ illi virtuti,de quâ erat quæſtio, ſit æqualis. neceſſe igitur eſt, vt ſimiliter augeatur tempus motus. quare vt auctio virtutis eſt finita,ita etiam auctio temporis finita eſt:quãdoquidem hęc proportione ſibi reſpondent. finita igitur virtus mouet finito tempore:quod erat probandum. Cap.10.

55 ¶ Magnitudo finita non poteſt habere virtutem infinitam. cùm enim in maiore eiuſdem generis magnitudine maior ſit virtus: detur magnitudo (exempli gratiâ) centum cubitorum.dico in hac non eſſe vim infinitam: quia in

vnius cubiti magnitudine eſt vis finita? aucta igitur hac magnitudine vſque ad centum cubitos, vis quoque eius ſic augetur, vt centuplo maior fiat, quàm erat priùs, non infinities maior.

56 ¶ Vis finita non poteſt eſſe in magnitudine infinita: quia (vt nuperrimè dixi) quò maior moles eſt, eò maiorem vim habet. quæ igitur ceteris infinities maior eſt, infinities maiorem virtutem habet.

57 ¶ Motus vnus continuus & æqualis eſt vnius mobilis, ab vno motore. quare proiectorum, vt lapidis, aut ſagittæ, quæ per aërem aut aquam mouentur, etſi ſine intermiſſione mouentur, tamen vnus continuus motus non eſt: quia non ab vno, ſed à multis mouentur. quomodo enim lapis à manu proiectus, poſtquàm ab eâ non tangitur, dici poteſt ab eâ moueri? manus igitur dum lapidem proiicit, aërem proximum impellit: hic aër motus, ſequẽtem aëris partem mouet: atque ita deinceps motus fit in aëris partibus: & quamdiu motus per partes aëris progreditur, tamdiu lapis mouetur: quia vt initiò à manu, ita deinceps à ſingulis partibus aëris mouetur.

58 ¶ Hic motor, qui vnum continuum & æquabilem motum efficit, immobilis eſt. nam ſi moueretur, ab alio moueretur: idque vel eſſet immobile, vel ſimiliter ab alio moueretur. ita ne detur progreſſus in infinitum, neceſſe eſt deuenire ad primum motorem immobilem, à quo vnus continuus & æquabilis motus pendeat. Præterea hic motor non mouetur inuicem à ſuo mobili: alioqui repateretur, & defatigaretur: proinde non efficeret motum æquabilem. Denique cùm mouens mouetur: neceſſe eſt, vt vno ex his quatuor mobilibus cieatur, id eſt, aut iactu, aut pulſu, aut tractu, aut motu mixto ex pulſu & tractu, vt cùm aliquis rotam voluens, partem ſuperiorem rotæ ad ſe trahit, inferiorem à ſe pellit: nullus autem horum motuum continuus eſſe poteſt.

59 ¶ Idem primus motor, qui continenter infinito tempore cœlum mouet, partibus & magnitudine caret: *qui* neque vlla magnitudo infinita eſt: vt probatum fuit lib. 3. neque huius motoris infinitam non habentis, vt conſtat ex ax. 54. poteſt eſſe magnitudo finita, vt patet ex ax. 55.

Si i-

60 ¶ Idem primus motor,quatenus cœlum mouet,ponitur ab Ariſtotele in ſuperficie cœli ſuprema:quę cùm celerrimè moueatur,rationi conſentaneum eſt eam eſſe mouenti proximam. vim tamen ſuam idem primus motor per vniuerſum diffundit:quippe qui(vt Ariſtoteles ait vlt.cap.de cœlo)principium, & finem, & media rerum omnium tenet: & ſecundum Orpheum in Saturni hymno, *ναίει κατὰ πάντα μέρη κόσμοιο*, id eſt,habitat in omnibus mundi partibus.quod & Heraclitus ſenſit teſte Ariſtotele lib.1.de partib. animal. cap. 1. Hinc Virgilius cecinit lib.6.Æneid.

Principio cœlum,& terras,campóſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ,Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit:totámque infuſa per artus
Mens agitat molem,& magno ſe corpore miſcet.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXV.

DE COELO PRIMVS.

Prolegomena.

In octo Naturalis auſcultationis libris dictum eſt de corpore naturali, ac de eius principiis,tam internis,id eſt,materia & forma,quàm externis, videlicèt efficiente & fine,necnon de communibus affectionibus,nempe motu & quiete,finito vel infinito,loco,pleno vel inani,& tempore deinceps igitur eiuſdem corporis ſpecies eâdem methodo ſunt enarrandæ.

2 ¶ Summa corporis naturalis diuiſio in duo genera diducitur: aut enim eſt corpus ſimplex, aut mixtum. Simplicia corpora ſunt quinque,cœlum,ignis,aër aqua,terra.Mixta ſunt,quæ ex his quatuor conſtant, vt grando lapis, animal,

planta.nam ex cœlo nihil componitur.

3 ¶ De ſimplicibus corporibus tractatur in his libris, qui *De cœlo* inſcribuntur: de mixtis in ſequentibus voluminibus.

4 ¶ Hoc opus inſcribitur *De cœlo*, vel quia (vt Alexandro placet) cœlum hîc ſumitur pro mundo: quinque enim illa ſimplicia corpora mundum conſtituunt, vel quia (vt Simplicio videtur) inſcriptio ſumitur à præcipua parte, id eſt, à corpore cœleſti.

5 ¶ Cùm autem in quatuor libros hoc opus diuidatur: in duobus prioribus agitur de corpore cœleſtis, in reliquis duobus de quatuor elementis, igne, aëre, aquâ, & terrâ. Ceterùm dum de cœlo tractatur, ſimul de Vniuerſo diſſeritur: quia nonnulla Vniuerſo competunt propter cœlum. vtputà vniuerſum eſt finitum & æternum, quia cœlum eſt finitum & æternum.

Cap. I.

Prima corporis naturalis diuiſio in quadamtenus perfectum, & omnino perfectum.

Cap. 1. 6 PHyſica in corporibus naturalibus, corúmque principiis & affectionibus verſatur.

7 ¶ Corpus eſt magnitudo trifariam diuidua: continet enim tres quæ vocantur dimenſiones, longitudinem, latitudinem, & altitudinem. ſuperficiei verò altitudo deeſt. linea tàm latitudine, quàm altitudine caret.

8 ¶ Præter has tres nulla alia magnitudo reperitur: quia non ſunt plures quàm tres commemoratæ dimenſiones ſiue extenſiones: vt Ptolomæus in lib. περὶ διαστάσεων ex eo probat, quòd extenſiones hæ ſumuntur ſecundum lineas perpendiculares, quæ plures, tribus ſe inuicem ſecantes duci nequeunt. vna enim ducitur ſecundum longitudinem, alia ſecundum latitudinem, tertia ſecundum altitudinem: quarta nullo modo addi poteſt.

9 ¶ Quapropter numerus ternarius eſt numerus perfectionis: in magnitudine enim perfecta ſunt tres extenſiones, & principium, medium, ac finis.

10 ¶ Ex dictis patet omne corpus quatenus corpus, eſſe perfectum

perfectum: quia tres dimenſiones continet. Vniuerſum autem non ſolum hac ratione omnibus corporibus communi perfectum eſt,ſed etiam ratione quadam ſpeciali & ſibi propria,quia omnia complectitur,& nihil extra ipſum eſt.

Cap. II.

Secunda corporis naturalis diuiſio in ſimplex,& compoſitum:& ſimplicis ſubdiuiſio.

11 OMne corpus naturale ſecundum locum moueri poteſt. Motus autem localis aut eſt ſimplex, aut mixtus.Simplex diuiditur in rectum & orbicularem. Rectus ſubdiuiditur in adſcenſum, & deſcenſum. Orbicularis eſt circa medium:adſcenſus à medio: deſcenſus eſt ad medium. Mixtus,ex recto & orbiculari conſtat,vt animalium inceſſus. Cap.2.

12 ¶ Medij appellatione ſignificat Ariſtoteles centrum mundi: quoniam omnes orbes cœleſtes concentricos eſſe putat, vt ab aſtrologis tum temporis ponebantur. Hipparchus autem &Ptolemæus epicyclorum & eccentricorum orbium auctores,Ariſtotele poſteriores ſunt.

13 ¶ Cùm omne corpus naturale aut ſit ſimplex, aut compoſitum, vt diuiſi axio. 2: ſimplici corpori conuenit ſimplex motus,compoſito mixtus. Quamquàm hoc quoque ratione elementi prædominantis ſimplici motu ferri poteſt. Exempli gratiâ,ſicut terra,quæ eſt ſimplex elemẽtum, deorſum tendit, ita etiam lapis, quia in eo terra prædominatur, deorſum fertur item bos ex alto cadens deſcendit, quia eſt animal terreſtre:ſed quatenus eſt animal, hac atque illac incedit,qui quidem motus eſt mixtus.

14 ¶ Quoniam igitur motus orbicularis eſt ſimplex,neceſſe eſt vt alicui ſimplici corpori ſecundum naturam conueniat.hoc autem non eſt vnum ex quatuor elementis: quia vnius ſimplicis corporis vnus eſt naturalis motus. quocirca cùm hæc ſingula proprios & naturales motus habeant, adſcenſum,vel deſcenſum: certè in orbem præter naturam feruntur. Oportet igitur eſſe quintum ſimplex corpus, quod orbiculari motu cieatur,nempe cœlum.

15 ¶ Itaque primus & perfectiſſimus motus, id eſt, in

orbem conuerſio, 8. Phyſ. cap. 13. conuenit primo & perfectiſſimo corpori, id eſt, cœlo.

Cap. III.

Corpus illud, quod in orbem fertur, à quatuor elementis diſtingui, cùm quia nec eſt graue nec leue, tum etiam quia omnis mutationis præter motum orbicularem expers eſt.

Cap.3. 16 CVm graue definiatur, quod ſuâ naturâ deorſum fertur: leue, quod naturâ ſeorſum fertur: grauiſſimum, quod ſub omnibus collocatur quæ deorſum feruntur: leuiſſimum, quod ſuper omnia eminet, quæ ſurſum tendunt: neceſſe eſt, vt quicquid deſcendit vel adſcēdit, aut grauitatis aut leuitatis aut vtriuſque ſit particeps: vt ignis eſt leuiſſimus: terra eſt grauiſſima: medium locum tenent aër & aqua. nam aër reſpectu ignis eſt grauis, reſpectu aquæ & terræ eſt leuis. ſimiliter aqua, ſi cum igne vel aëre conferatur, eſt grauis. ſi cum terra, eſt leuis.

17 ¶ At quintum illud corpus, quod in orbem ferri dixi, id eſt corpus cœleſte, neque graue eſt neque leue, quia ſurſum aut deorſum ferri nequit, neque ſecundum naturam, quia naturaliter in orbem mouetur, duo verò naturales motus vnius ſimplicis corporis eſſe non poſſunt: neque præter naturam: quia cùm adſcenſus & deſcenſus ſint motus contrarij: ſi cœlum præter naturam deſcenderet, ſecundum naturam adſcenderet: & contrà, ſi pręter naturam adſcenderet, ſecundum naturam deſcenderet.

18 ¶ Quod nunc de cœlo dixi, tam de ſingulis cœli partibus, quàm de toto cœlo intelligi volo: quia in ſimplicibus & ſimilarium partium corporibus eadem eſt ratio totius & partium, vt terræ & glebæ, necnon ignis & ſcintillæ.

19 ¶ Præterea quintum illud corpus non eſt ortui & interitui obnoxium: quia ſicut motui orbiculari non eſt motus vllus contrarius, vt cap.5. oſtendam, itá ipſi corpori, quod in orbem mouetur, nihil eſt contrarium: omnis autem generatio & interitus inter duo contraria (id eſt, inter priuantia) ſpectatur, vt primo libro Phyſico expoſitum fuit. Quocirca putat Ariſtoteles cœlum eſſe æternum, nec habere

habere principium temporis, ideóque vocari æthera ἀπὸ τοῦ θεῖν ἀεὶ, quia ſempiterno motu cierur: nempe quia non nouit aliud ortus genus, quàm per generationem ex ſubiecto & contrario. ſed ſacræ literæ docent cœlum ex nihilo à Deo creatum fuiſſe initio temporis, vt notaui .8. Phyſ. axio. 3. Siue autem quis cú Ariſtotele putet æthera dici παρὰ τὸ ἀεὶ θεῖν à perpetuo curſu, ſiue cú alijs παρὰ τὸ αἴθειν aut αἴθεσθαι, quod eſt incendere & fulgere, cum eo non contendam. Nam cœlum ſemper moueri rectè dicitur, non quia ſit æternum, ſed quia numquàm quieſcit. non igitur cœlum ſemper eſt, ſed ſemper mouetur, id eſt, non poteſt eſſe cœlum quin moueatur.

20 ¶ Inſuper nec augetur, nec minuitur: quia vbi non eſt ortus & interitus, ibi nec auctio eſt, nec deminutio. animal enim augetur, dum alimentum conuertitur in carnem & ſanguinem, ita vt panis (exempli gratiâ) intereat, & caro gignatur.

21 ¶ Præterea nón variatur: alioquin etiam augeretur, ac deminueretur. nam omnis variatio pertinet ad tertiam ſpeciem qualitatis, id eſt, ad paſſionem ſeu patibilem qualitatem, vt probatum fuit lib. 7. Phyſ. cap. 4. ſecundum quam quicquid variatur, etiam augetur ac deminuitur, vt animalia, plantæ, & elementa. Hæc intellige de variatione, quam vocant corruptiuam. nam perfectiua reperitur etiam in corporibus cœleſtibus, vt cùm Luna illuſtratur à Sole.

22 ¶ Non eſt igitur mirum, omnes tam Græcos quàm Barbaros ſupremum illud corpus, quia eſt immortale, vocaſſe domicilium Deorum immortalium. Nam & nos Deum inuocamus qui eſt in cœlis, & Propheta Pſalm. 2. ait Deum habitare in cœlis: non quòd cœlis concludatur, vel circumſcribatur, vel definiatur, cùm ſit eſſentiæ & virtutis infinitæ, ſed quia ibi potiſſimum virtus & effectus eius apparent.

Cap. IV.

De corporum ſimplicium numero.

23 PRæter quatuor elementa, & corpus quod in orbem vertitur, non poteſt eſſe aliud corpus ſimplex:

quia cùm omne ſimplex corpus ſimplici motu cieatur, cúmque ſimplex motus vel ſit à medio, vel ad medium, vel circa medium,certè quod à medio mouetur,eſt aër,vel ignis:quod ad medium,eſt aqua,aut terra: quod circa medium, eſt cœlum. Hæc eſt Ariſtotelis ratio exiſtimantis omne corpus moueri.nos 4.Phyſ.axio. 28. docuimus ſupra cœlum mobile eſſe aliud cœlum immobile, beatorum ſedem. quod cùm immobile ſit, ſine dubio differt ab eo quod perpetuo in orbem motu cietur.

Cap. V.

Cap.4. *Orbiculari motui nullum motum eſſe contrarium.*

24 Motus circularis & motus rectus non ſunt contrarij : quoniam motui recto alius motus rectus eſt contrarius, vt adſcenſui deſcenſus: vni autem vnum eſt contrarium.


25 ¶ Vt motus contrarij ſint, non ſufficit in linea circumducta terminos eſſe contrarios, vt alterum motum eſſe ab A ad B,alterum à B ad A. quoniam ita contingeret vni motui multos eſſe contrarios, quia inter A & B poſſunt eſſe multæ lineæ circumductæ, etſi vna tantùm recta eſſe poteſt, vt in ſequenti exemplo.




Si dicas motui ab A ad B, contrarium eſſe motum à B ad A: vni illi motui ab A ad B,erunt multi motus contrarij, veluti BCA, BDA, BEA, BFA,& BGA:quoniam hi omnes ſunt à B ad A,vt primus erat ab A ad B.hoc autem abſurdum eſt,multos motus eſſe vni contrarios.

26 ¶ Immo nec motus ſuper arcu eiuſdem ſemicirculi ab A ad B,& à B ad A,vt motus ACB,& motus BCA,contrarij dici debent: quoniam contrarietas ſumitur ex maximâ diſtantiâ,Categ.c.6.partic. 24. diſtantia verò ſumitur ſecundum lineam rectam.


27 ¶ I-



27 ¶ Item motus ſuper arcu duorum ſemicirculorum eiuſdem circuli non ſunt contrarij, vt motus ABC, & motus CDA: cùm ob ſuprà dictam rationem, quia diſtantia ſumitur ex linea recta, AC, non ex illis circumductis, A B C, C D A: tum etiam quia hi motus ſunt continui, contrarij verò motus, continui eſſe nequeunt. 8. Phyſ. cap. 11.



28 ¶ In circulo ABC, motus ABCA, & motus ACBA, non ſunt contrarij, quia vtrique ſunt ab eodem ad idem, id eſt, ab A ad A.




Item phyſicè hi motus ſimul eſſe non poſſunt: quia vel vnum eſt mobile, vel plura mobilia. Si dicatur vnum eſſe mobile, vnus horum motuū ſufficit, alter eſt ſuperuacuus. Si verò duo ſint mobilia, aut habent æqualem virtutem, & ſe inuicem impedient: aut inæqualem, & maior virtus obſtabit minori, adeo vt alterum ex his mobilibus minori virtute præditum moueri non poſſit, proinde fruſtra ſit. abſurdum verò eſt, aliquid in rerum natura fruſtra eſſe: quia Deus & natura nihil fruſtra faciunt.

Cap. VI.


Corpus, quod in orbem mouetur, infinitum eſſe non poſſe.

Cap.5. 92 NEque corpus ſimplex, neque compoſitum poteſt eſſe infinitum: ergo nullum corpus eſt infinitum. Quòd nullum corpus ſimplex ſit infinitum, ſic probo: quia omne corpus ſimplex aut in orbem mouetur circa centrum mundi, aut à centro, aut ad centrum, vt ſuprà expoſitum fuit: hæc autem eſſe finita, mox oſtendam. Vnde patebit etiam corpus compoſitum eſſe finitum: quia quod ex finito componitur, neceſſariò finitum eſt.


30 ¶ Corpus, quod in orbem fertur, id eſt cœlum, infinitum eſſe non poſſe, probatur multis rationibus. Primò ſi infinitum eſſet, etiam lineæ à centro ductæ, ab altera parte eſſent infinitæ, vt linea A B eſſet infinita à parte B, & linea A C eſſet infinita à parte C: centrum enim eſt A.



Quoniam igitur quò magis hæ lineæ à centro recedunt, eò maius eſt inter eas interuallum, & in infinitum à centro abeunt: infinitum quoque erit inter eas interuallum. atque hoc interuallum pertráſibitur, ſi corpus infinitum in orbem vertatur. ſed impoſſibile eſt, ſpatium infinitum pertranſiri: ergo impoſſibile eſt, corpus infinitũ in orbem moueri. Secundò, ſi mũdus ſit infinitus: à centro eius A imaginemur lineã ABC, infinitã ex parte C, quæ motu cœli moueatur: & extra centrũ aliam lineam DD, infinitam ab vtraq; parte, & immobilem.



Quoniam igitur cœlum finito tempore,id eſt, quatuor & viginti horis totum ſpatium conficit:neceſſe eſt etiam partem huius motûs,qua linea ABC ſecat lineam DD,finito tempore fieri.erit igitur principium temporis,quo linea ABC ſecat lineam D,conſequenter erit principium in magnitudinibus ſeſe ſecantibus contra hypotheſim, quâ ſupponebantur eſſe infinitæ.Tertiò,iacto hoc fundamento,quòd ſi duę lineę ſint, altera finita,altera infinita,idémque motus vel alterutri⁹ vel vtriuſque conſideretur,eodem tempore hæc illam,& illa hác pertranſit, hoc inquam fundamento iacto, imaginemur in mundo circulũ cuiuſuis finitæ magnitudinis.hunc circulum cœlum pertranſibit 24.horis:conſequenter hic finitus circulus infinitum cœlum eodem tempore, id eſt 24. horis pertranſibit:quod tamen eſſe impoſſibile probatum fuit 6.Phyſ. cap.11.partic.7.Quartò, quicquid termino vel terminis comprehenditur,eſt finitum:atqui omnis circulus termino,id eſt circumferentiâ comprehenditur:ergo omnis circulus eſt finitus.ſimili ratione omnis ſphæra finita eſt.ſphæra igitur cœleſtis eſt finita:& quod circulo mouetur,eſt finitum.Quintò, imaginemur in mundo lineam AB ab vtraque parte infinitam,tranſeuntem per centrum C:& aliam lineam DE, æquè infinitam,quæ priorem ad angulos rectos ſecet in puncto F: & tertiam lineam CH, infinitam ex parte H, quæ ſecet lineam DE in puncto G,& motu cœli cieatur.



Profectò linea CH numquàm pertranſibit lineam DE, conſequenter cœlum non perficiet motum circularem:quia neceſſe eſt vt linea CG, id eſt à centro vſque ad punctum ſectionis, finita ſit:proinde neceſſe eſt vt ſemper aliquid remaneat vltra G, quod nondum attigit lineam DE, ſiquidem vltra G protendit linea CH in infinitum. Sextò, quia

finitum eſt tempus, quo cœlum voluitur: etiam ſpatium, quod conficitur, eſt finitum, Phyſ.lib.6.cap.11.partic.6. huic autem ſpatio cœlum eſt æquale. ergo cœlum eſt finitum. Oſtendi. corpus quod in orbem vertitur, non eſſe infinitum.

Cap. VII.

Corpus, quod ad medium, vel à medio fertur, infinitum eſſe non poſſe.

Cap. 6. 31 Corpus, quod recto motu ad centrum, vel à centro fertur, infinitum eſſe non poſſe, probatur duabus rationibus. Primò, quia locus inferus eſt finitus, quippe qui centro terminatur: etiam ſuperum, qui hiſce duobus extremis continetur ac terminatur, finitos eſſe oportet: conſequenter etiam corpora, quæ his locis continentur, finita ſunt. Secundò, ſi corpus graue aut leue eſſet infinitum, etiam grauitas aut leuitas eſſet infinita: quandoquidem corporis infiniti pondus finitum eſſe non poteſt, vt ſequenti axiomate oſtendam: atqui grauitas & leuitas infinitæ eſſe nequeunt, vt probabo ax.33. ergo corpus quod graue aut leue eſt, infinitum eſſe nequit.

32 ¶ Corporis infiniti pondus non eſſe finitum probatur per deductionem ad tres abſurditates. Primò totum infinitum, & pars eius finita eiuſdem eſſent ponderis. Nam ſi corporis infiniti pondus ſit finitum, ſit (exempli gratiâ) viginti librarum: & ex eo ſumatur pars aliqua: quæ cùm ſine dubio ſit minoris ponderis, ſit (exempli causâ) quinque librarum. deinde hæc pars augeatur. ſic augebitur etiam eius pondus. & quia totum, quod eſt infinitum, numquàm conſumitur, eius pars pro libitu augeri poterit. augeatur ergo, donec fiat 20. librarum. ita hæc pars aucta erit eiuſdem ponderis, cuius eſt ipſum totum infinitum. Secundò, ſi eadem pars magis augeatur, pondus eius excedet viginti libras. ita pars aucta maioris erit ponderis, quàm totum infinitum. Tertiò, quia finitum & infinitum ſunt inæqualia, erat autem prima abſurditas, ad quam deduxi, idem eſſe pondus finiti & infiniti: certè idem erit pondus magnitudinem inæqualium, licèt eiuſdem generis.

33 ¶ Infinitam grauitatem eſſe non poſſe probatur per deductionem ad abſurditatem, nam quò res eſt grauior, eò breuiori tempore deſcendit, ita vt ſecundum proportionem

augeatur pondus, & minuatur tempus: putà res duplo grauior, dimidia parte temporis idem ſpatium deſcendendo conficit. verbi gratiâ, ſi plumbum eſt duplo grauius lapide, & lapis duabus horis deſcendit, plumbum vnâ horâ deſcendet. Quare ſi res aliqua habeat pondus infinitum: certè quatenus eſt grauis, deſcendet: & quatenus nullam proportionem habet erga rem ponderis finiti, (quia nec duplo, nec triplo, nec quadruplo, nec vllâ aliâ ratione grauior dici poteſt) moueri non poterit.

Cap. VIII.

Nullum corpus eſſe infinitum.

34 NOn ſolùm ſimplicia corpora ſunt finita, vt ſuprà demonſtraui: ſed in vniuerſum neceſſe eſt omne corpus ac totum mundum eſſe finitum. quod multis rationibus euincam. Primò omne corpus conſtat vel ex partibus ſimilaribus, vt ignis, aër, caro, ſanguis, vel diſſimilaribus, vt animal, & planta. Si ex partibus diſſimilaribus conſtat: aut hæ partes numero finitæ ſunt, aut infinitæ. Tribus igitur modis poni infinitum poteſt, id eſt, vel conſtans ex partibus diſſimilaribus infinitis, vel ex partibus diſſimilaribus finitis, vel ex partibus ſimilaribus: quos omnes modos refutabo. Infinitæ partes diſſimilares eſſe non poſſunt: quia cùm omne corpus naturale habeat proprium motum, oporteret infinita eſſe motuum genera, quorum ſingula ſingularium partium diſſimilarium propria eſſet: quod eſt impoſſibile. ſuprà namque oſtendi tria tantùm eſſe ſimplicis motus genera, à medio, ad medium, & circa medium. Quòd ſi numerus partium diſſimilarium finitus ſit: certè totum finitum efficient: aut aliqua ipſarum infinitæ magnitudinis erit: quod tamen eſſe impoſſibile, ſuperiori capite ex eo docui, quòd nec infinita grauitas, aut leuitas, nec infinitus locus eſſe poteſt. Denique ſi dicatur totum infinitum conſtare ex partibus ſimilaribus: certè aut à medio mouebitur, aut ad medium, aut circa medium. atqui nullo ex his motibus moueri poſſe conſtat ex ſuperiori capite. non poteſt igitur poni infinitum conſtans ex partibus ſimilaribus. & antea oſtendi non poſſe conſtare ex partibus diſſimilaribus. quare nullo modo poni poteſt. Se-

Cap. 7.

cundò, nullum corpus infinitum poteſt habere vim agendi vel patiendi, vel vtrâque: omne autem corpus naturale hanc, vel illam, vel vtramque vim habet: ergo nullum corpus naturale eſt infinitum. Minor propoſitio manifeſta eſt. Maior probatur: quia ſi infinitum ageret, ſeu pateretur: id vel finito, vel infinito tempore contingeret: quorum neutrum dici poteſt. Nam infinito tempore nihil fit: cùm omnis actio & omnis paſſio terminentur, ac finiantur terminis à quo & ad quem. Finitum verò tempus rebus finitis conuenit: proinde non conuenit infinitis: alioquin eadem ratio eſſet finiti & infiniti. Tertiò, infinitum moueri non poteſt, nec in orbem, quia hic motus eſt circa medium, in infinito autem medium non eſt: nec motu recto, quia requireret duo loca infinita, vnum à quo, alterum ad quem moueretur, & præterea eſſent duæ res infinitæ, altera mouens, altera quæ mouetur: quandoquidem infinitum non poteſt à finito moueri, cùm longè minor ſit virtus finiti quàm infiniti. Quartò, infinitum moueri non poteſt, nec à ſe, quia eſſet infinitum animal, nec ab alio infinito, quia non tanta eſt vis finiti, vt nuperrimè dixi: nec ab alio finito, quia duo infinita eſſe non poſſunt.

35 ¶ Obiiciet aliquis ſuperiora argumenta valere contra infinitum continuum: ſed nihilominùs eſſe poſſe continuum inani ſeiunctum & interceptum, vt exiſtimarunt Democritus & Leucippus, qui poſuerunt infinita corpuſcula eiuſdem naturæ, diuerſarum autem figurarum, per infinitum inane agitata. ergo hanc quoque ſententiam explodamus. Primò, cùm hæc corpuſcula ſint eiuſdem naturæ, vnum habeant naturalem motum neceſſe eſt. quocirca aut erunt omnia grauia, aut omnia leuia: nec in rebus tam grauitas quàm leuitas inerit. Secundò, ſi eſſent grauia aut leuia: eſſet aliquod medium in vniverſo, ad quod tenderēt, vel à quo recederent: ſed medium in infinito inani eſſe non poteſt. Tertiò, cùm in infinito inani nec ſit ſuperum, nec inferum, nec medium, conſequenter nullus eſt motus localis, quia omnis motus localis per has loci differentias definitur. Quartò, qui locus alicui rei, vt igni, eſt naturalis, alij, vt terræ, eſt præter naturam: ergo non ſunt omnia eiuſdem naturæ, nec omnia grauia, vel omnia leuia.

CAP. IX.

Vnum eſſe mundum non plures.

36 VNum eſſe mundum probatur tribus rationib. Prima ratio deducit ad abſurditatem, quòd, ſi plures eſſent mundi, ignis & terra vnius mundi naturaliter deferrentur ad alterum mundum: quod eſſe abſurdum patet: quia ſic contingeret, vt ignis deſcenderet, ac terra aſcẽderet. Cõſequentia probatur tribus argumentis. Primò, neceſſe eſt vt terra ab alio mundo ad hũc deferatur vel ſecundũ naturam, vel vi. Quod de terra dico, quæ eſt elementum graue, ſimiliter intelligendum de igni elemento leui. Si dicatur deferri ſecundum naturam: hoc ipſum eſt, quod probare volebam. Si vi: conſequens eſt, vt naturâ deferatur ab hoc mundo ad alterum. ita ſemper eueniet eadem abſurditas, quòd terra ab vno mundo ad alterum naturâ moueatur. Secundò, ſi terra naturaliter quieſcit in hoc mũdo, etiam naturaliter huc fertur ex aliis mundis. Tertiò, elementa diuerſorum mũdorum ſunt eiuſdem naturæ: cùm quia, niſi hoc concedatur, mundus dicetur homonymos: tum etiam quia eoſdem motus habẽt, id eſt, à medio ad medium, circa medium, ſiquidem non ſunt plures motus ſimplices, vt ſuprà oſtendi. quare cùm eiuſdem ſint naturæ, eòdem ſecundum naturam deferentur. vt igitur terra huius mundi defertur naturaliter ad hoc centrum, ita etiam terræ, quæ ſunt in aliis mundis, naturaliter deferentur ad hoc huius mundi centrum. Secunda ratio ſumitur ab vnitate primi mouentis. cùm enim vnus ſit primus mouens, vt probatur XI. Metaphyſ. cap. 8. text. 49. vnum eſt etiam primum mobile: conſequenter vnus eſt mundus. Tertia ratio eſt: quia ignis, aëris, & aquæ locus naturalis eſt inter cœlum & terram; non ſunt igitur in aliis mundis. quia eſſent extra cœlum. Cap. 8.

CAP. X.

Nec plures mundos, nec aliquid extra mundum, præter Deum & intelligentias, eſſe poſſe.

37 SI quis obiiciat hunc mundum eſſe ſingularẽ, & conſtare ex certa materia, mundũ autem ſimpliciter cõſideratũ, eſſe vniuerſalem, ideóq; plures mũdos eſſe poſſe ſub illo vniuerſali contentos, tanquàm indiuidua ſub ſuâ ſpecie: Cap. 9.

reſpondebo hoc ideo fieri non poſſe, quia hic mundus conſtat ex vniuerſa materia, adeo vt nulla materia ſuperſit, ex qua alij mundi fieri poſſint. Quòd autem hic mundus cõſtet ex vniuerſa materia, ex eo patet, quòd nullum corpus extra mundum eſſe poteſt, vt mox oſtendam.

38 ¶ Cœlum trifariam accipitur. Primò pro primo mobili. Secundò pro omnibus ſphæris cœleſtibus. Tertiò pro Vniuerſo mundo.

39 ¶ Extra cœlum, id eſt, extra mundum neque ſimplex vllum corpus eſſe poteſt, neque compoſitum. Non ſimplex: quia vel eſſet cœlum, vel vnum ex quatuor elementis. Cœlum eſſe non poteſt: quia cœlum in ſe vertitur, nec mutat locum ſecundum ſe totum. Non vnum ex quatuor elementis: quia cùm in hoc mundo ſit ſecundum naturam, extra mundum eſſet prçter naturam: ergo ibi eſſet aliud corpus ſecundum naturam: quod eſt impoſſibile, cùm nullum ſit aliud corpus præter hęc. Non compoſitum ex elementis: quia ſi compoſita ibi eſſent, etiam ſimplicia ibidem eſſent, quod oſtendi eſſe impoſſibile.

40 ¶ Præterea extra cœlum nec eſt locus, nec inane, nec tempus: quia ſi locus aut inane eſſet, corpus ibi eſſe poſſet: item ſi eſſet tempus, eſſet etiam motus, quandoquidem tempus eſt numerus motus, vt expoſitum fuit quarto phyſico: motus autem non eſt ſine corpore mobili. quare cùm extra cœlum non poſſit eſſe corpus: conſequens eſt, vt nec ſit locus, nec inane, nec tempus.

41 ¶ Extra cœlum igitur nihil eſt, præter Deum & intelligentias cœleſtes à materiâ abiunctas, quę nec ſunt in loco, nec tempori ſubiiciuntur, nec mutantur, ſed perfectiſſimam, beatiſſimam, & ſempiternam vitam degunt.

42 ¶ A Deo cetera omnia vitam & eſſentiam accipiũt, ſed alia pleniùs, alia obſcuriùs.

43 ¶ Nihil eſt Deo melius, nihil præſtantius: nihil mali in eo eſt, nihil ipſi deeſt.

44 ¶ Cœlum perpetuo motu cietur: quia tunc mobile quieſcit, cùm ad ſuum locum peruenit: hoc autem non conuenit cœlo, quod cùm in orbem vertatur, eundem habet terminum à quo & ad quem, idcirco ſemper eſt in principio & in fine motionis.

Veterum philoſophorum de origine mundi ſententiæ refutantur.

45 OMnes veteres philoſophi exiſtimarunt mundum eſſe factum.ſed alij dixerunt eum numquàm interiturum, vt Plato: alij eum ſemel interiturum, nec vmquam posteà futurum, vt Democritus: alij interiturum quidem, ſed poſtea inſtauratum iri, vt Empedocles, & Heraclitus. Ariſtoteles autem cenſet mundum eſſe æternum, & neque genitum, neque interiturum eſſe. Cap.10.

46 ¶ Platonis ſententiam Ariſtoteles ſic impugnat. Primò non eſt probabile mundum eſſe genitum, & fore æternum: quia cetera omnia genita videmus aliquando interire, exceptâ animâ intellectiuâ. xi. Metaphyſ. cap. 3. tex. 17. Secundò, ſi mundus eſt genitus: id, ex quo mũdus eſt factus, eſt mutabile: proinde mundus quandocumque poteſt conſtitui, & conſtitutus diſſolui. Denique quicquid eſt genitum, id eſſe interitui obnoxium, c. 13. probabitur.

47 ¶ Sententia Empedoclis & Heracliti reiicitur: quia ſi corpus, ex quo mundus cõſtat, ſemper manet, ſed aliàs alio modo diſponitur, vt in ſphæro elementa ſunt commixta, in mundo ſeiuncta ſecundum Empedoclem: profectò mundus eſt æternus, ſed eius diſpoſitio ſola mutatur, vt ſi idem homo ex puero vir fieret, & viciſſim ex viro puer.

48 ¶ Sententiæ Democriti reprobatur: quia id, ex quo factus eſt mundus, eſt mutabile, alioquin mundus fieri non potuiſſet: ergo etiam poſt interitum mundi manebit mutabile, ſiquidem mundus non poteſt abire in nihilum. quid igitur vetat iterum mundum fieri? cùm eadem materia ſubſit, quæ tunc ſuberat, cùm mundus olim factus eſt. Si quis reſpondeat hoc argumentum valere de vno mundo, Democritum autem ponere plures, immo infinitos mundos, ita vt diſſoluto mundo in atomos, ex his quidẽ, vt & ex aliis atomis, fieri mundus poſſit, non tamen idem mundus, ſed alius atque alius: aduerſus hanc reſpõſionem replicabo, ſuprà fuiſſe oſtenſum nec infinitos mundos, nec infinitas atómos eſſe poſſe, axio. 35. & 36.

CAP. XIII.

Hypotheſes de vero & falſo, necnon de poſſibili & impoſſibili. Cap. 12.

55 SI quid poteſt eſſe & non eſſe, neceſſe eſt vt certum ac definitum ſit maximum ſeu longiſſimum tempus, quo id eſſe poteſt, & quo eſſe non poteſt. nam ſi hæc tempora definita non ſint, duo erunt tempora infinita: quod eſt abſurdum.

56 ¶ Verum & falſum, necnon poſſibile & impoſſibile accipiuntur duobus modis: nimirum ex hypotheſi, & ſimpliciter. Exempli gratiâ, Socratem eſſe lapidem, ſimpliciter eſt impoſſibile: Socratem autem eſſe doctum, impoſſibile eſt ex hypotheſi, id eſt, ſi ſupponatur Socratem non ſtuduiſſe.

57 ¶ Simpliciter falſum, & ſimpliciter impoſſibile differunt. quod enim eſt ſimpliciter impoſſibile, eſt etiam ſimpliciter falſum, vt Socratem eſſe lapidem. contrà verò non omne falſum eſt impoſſibile: vt cùm Socrates ſedet, falſum eſt eum ſtare, ſed non eſt impoſſibile vt ſtet.

58 ¶ Quocirca non idem valet ſupponere falſum, & ſupponere impoſſibile. nam ex falſa non impoſſibili hypotheſi colligitur falſa non impoſſibilis concluſio: veluti ſi falſò ſupponas Socratem eſſe doctum, inde colligitur Socratem ſtuduiſſe: quod eſt tantùm falſum, non impoſſibile. Ex impoſſibili autem hypotheſi efficitur impoſſibilis concluſio: veluti ſi ſupponatur aſinum volare, inde colligetur aſinum habere alas. 1. Poſter. cap. 15. partic. 9.

59 ¶ Idem ſimul & eodem tempore poteſtatem habet ſuſcipiendi non eodem, ſed diuerſis temporibus oppoſita. vt Socrates eodem tempore poteſt ſtare & ſedere, non tamen vt ſimul eodémque tempore ſtet ac ſedeat. Sed quod plurium infinito tempore poteſtatem habet, omnium eodem tempore poteſtatem habet, quia non ſunt plura infinita. Et ſi quid infinito tempore eſt corruptibile, ſemper poteſt non eſſe.

CAP. XIV.

Theoremata de iis quæ interitui & generationi ſunt obnoxia, vel non obnoxia.

60 QVod ſemper eſt, id ortui & interitui nõ eſſe obnoxium, ſic probo. Si interire poſſit, ponatur interire & nõ eſſe. idẽ igitur ſimul erit & nõ erit: quod eſt impoſſibile quoniam igitur hæc cõcluſio non tantùm eſt falſa, ſed etiam

impoſſibilis:perſpicuum eſt ex ax. 58. etiam hypotheſim illam, *Quod ſemper eſt, poteſt non eſſe*, vnde hæc concluſio colligitur, eſſe non ſolùm falſam, ſed etiam impoſſibilem. Similiter ſi quod ſemper eſt, poſſet generari, poſſet aliquando, id eſt antequàm generaretur, non eſſe. ſimul igitur eſſet, & non eſſet: quod eſt impoſſibile. Ex dictis patet, quod ſemper eſt, nec gigni poſſe, nec interire.

61 ¶ Sunt enim duo contraria, numquàm eſſe, & ſemper eſſe: quibus medium interiectum eſt, quod modò eſt, modò non eſt, id eſt, quod eſt ortui & interitui obnoxium.

62 ¶ Hoc igitur, quod ortui, vel interitui eſt obnoxium, non eſt ſempiternum: alioquin ſimul poſſet ſemper eſſe, & non ſemper eſſe: quod eſt abſurdum.

63 ¶ Ergo generabile & corruptibile reciprocantur.

64 ¶ Proinde etiam ingenitum & incorruptibile reciprocantur. Niſi enim ingenitum eſſe incorruptibile, eſſet corruptibile: eſſet igitur genitum: quia iam docui genitum & corruptibile reciprocari, adeo vt omne genitum ſit corruptibile & omne corruptibile ſit genitum. quis autem non videt hoc eſſe abſurdum, ſi dicatur ingenitum eſſe genitum? Similiter niſi incorruptibile eſſet ingenitum, ſine dubio eſſet genitum: conſequenter eſſet corruptibile.

65 ¶ Ex dictis patet erraſſe Platonem, qui putauit genitum poſſe eſſe incorruptibile, & ingenitum poſſe corrumpi. Et ſanè eius ſententia principiis naturalibus non conuenit. quod enim vel gignitur, vel interit, modò eſt, modò non eſt. à materia verò hoc pendet, vt res modò ſit, modò non ſit, quia materia eſt tam formæ, quàm priuationis capax. cùm igitur ſemper hæc materia ſubſit, neceſſe eſt vt res ſemper ſit ortui & interitui obnoxia.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXVI.

DE COELO SECVNDVS.

Cap. I.

Mundum eſſe æternum.

DE origine mundi ſententiæ veterum philoſophorum ſuperiori libro ſunt reprobatæ. Cap.1.

2 ¶ Veteres religionum auctores dixerunt cœlum eſſe immortale, diuinum, ſempiterno motu verſatum, Deorum domicilium. hæc ſententia Ariſtoteli placet.

3 ¶ Poëtæ fabulati ſunt cœlum caſurum, niſi ab Atlante ſuſtineretur. Hæc ſententia Ariſtoteli diſplicet: quia cœlum nec eſt graue, nec leue, nec ſurſum aut deorſum ferri poteſt, vt ſuperiori libro probatum fuit.

4 ¶ Empedocles exiſtimauit cœlum ideo non ruere, quia velociori motu in gyrum trahitur, quàm naturaliter deorſum ferretur. Sed præter rationes ſuperiori axiomate allatas, quod violentum eſt tam diu durare nequit.

5 ¶ Plato cenſet mundũ eſſe quidem interituí obnoxium, ſed animam eum cogere, vt duret, ac perpetuo motu voluatur. Sed Ariſtoteles cõtradicit: quaſi hac ratione fieret vt anima mundi, id eſt, Deus vitam laborioſam ac minimè beatam degeret.

6 ¶ In ſummâ Ariſtoteles ſtatuit mundum eſſe æternum, & neque genitum, neque interiturum.

Cap. II.

De cœli partibus, ſupera & infera, dextra & ſiniſtra, antica & poſtica.

7 CVm differentiæ loci tres ſint: prima, ſuprà & infrà: ſecunda, antè & retrò: tertia, dextrum & ſiniſtrũ: malè Pythagorei tantùm vltimá cœlo attribuerunt. Cap.2.

8 ¶ Superum eſt principium longitudinis, dextrum eſt principium latitudinis:antè,eſt principium altitudinis.

9 ¶ Superũ eſt principiũ auctionis:dextrum eſt principiũ motus localis:antè,eſt principiũ motus quo ſẽſus mouetur.

10 ¶ Hæ differentiæ non ſpectantur in omnibus corporibus,ſed in ſolis animatis.Nam plantis attribuũtur tantùm ſuperum & inferum: animalibus verò omnes dictæ differentiæ. Rebus autem inanimatis hæ differentiæ ſuâ naturâ non conueniunt, ſed tantùm noſtro reſpectu eis attribuuntur.nam ignis tantùm ſurſum mouetur,terra tantùm deorſum.ſed dici poſſũt ſupra nos,vel ſub nobis, vel ad noſtrum latus dextrum aut ſiniſtrum,vel ante ſeu poſt nos. Quibuſdam etiam per metaphoram ab animalibus ſũptam has differentias tribuimus:vt in ſtatua ſuperiorẽ & inferiorem,anteriorem & poſteriorem ,dextram & ſiniſtrã partem conſideramus exẽplo animalis,quod eâ ſtatua repræſẽtatur.

Cap. 2.

11 ¶ Cùm cœlum ſit animatum,& habeat principium motus omnes dictæ differentiæ ei conueniunt, quamuis ſit figuræ ſphæricæ,& ſemper moueatur.

12 ¶ Cœli longitudo eſt axis ſuper quem voluitur, cuius extremitates ſunt duo poli,ſeptentrionalis ſiue arcticus,qui nobis ſemper apparet,& oppoſitus auſtrinus ſiue antarcticus qui aliis ſemper apparet nobis nunquam.

13 ¶ Mathematici verò in climatibus diſtinguendis longitudinem diſtantiæ locorũ ſumunt ab oriente ad occidentem,latitudinem à ſeptentrione ad meridiem, nimirũ quia non conſiderant totum mundum,ſed orbem habitabilem,putarunt autem nec ſub ſeptentrione nec ſub meridie terram eſſe habitabilem. quod ſi verum eſſet, magis protenderetur locorum diſtantia inter ortum & occaſum, quàm inter meridiem & ſeptentrionem. quare ea vocatur longitudo,hæc latitudo.

14 ¶ Secundum Ariſtotelem locus ſuperus in cœlo eſt ad polum auſtrinum,inferus ad Septentrionalem,pars dextra in oriente,ſiniſtra in occidente,antica in noſtro hemiſphærio,poſtea in altero hemiſphærio.Hæc clariùs percipientur,ſi magnus quidam gigas fingatur caput habere in polo antarctico,pedes in arctico,dexteram manum in oriente, ſiniſtrã in occidente,facie erga noſtrũ hemiſphæriũ erecta:

antarcticus



Ita autem Ariſtoteles partes in mundo conſtituit ratione motus ab ortu ad occaſum. quia ſi homo naturali conuerſione moueretur, à dextra ad ſiniſtram moueretur. vnde cùm cœlum ab ortu ad occaſum voluatur, dextra in ortu, ſiniſtra in occaſu ponenda eſt. Caput igitur ſeu pars ſuperior eſt in polo antarctico. nam ſi ponatur in polo arctico, motus cœli deprehendetur eſſe à ſiniſtra ad dextram.

15 ¶ Augures apud Romanos anticam mundi partem ſtatuebant in meridie, poſticam in ſeptentrione, dextram in occidente, ſiniſtram in oriēte, ſui ratione habita, quia ad meridiem reſpicientes, auguria captabant.

16 ¶ Pythagorei autem noſtrum hemiſphærium vocant ſuperiorem & dexterum, alterum verò inferiorem & ſiniſtrum. quam ſententiam Ariſtoteles non admittit reſpectu primi mobilis, quod ab ortu ad occaſū mouetur, ſed reſpectu motus planetarum ab occaſu ad ortum. hoc ideo, vt motus ponatur à dextrâ incipere, nōn à ſiniſtrâ.

17 ¶ Pythagoreos ſecutus eſt Virgilius lib. 6. Æneidos,

—Iacet, (inquit) *extra ſydera tellus;*
Extra anni ſoliſque vias, vbi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Fingit enim Atlantem humeros, quibus cœlum ſuſtinet, contorquentem, ſimul torquere cœlum in orbem, humeros autem habere ad noſtrum polum.

18 ¶ Lucanus lib. 5. ſeptentrionalem plagam ſiniſtram facit, cùm cecinit.

Ignotum nobis, Arabes, veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Dextra igitur cœli ſecundum Lucanum eſt in meridie, ſiniſtra in ſeptentrione.

Cap III.

Cur cæleſtes orbes & motus plures ſint.


Cap.3. 19 QVia cœlum in orbem vertitur, neceſſe eſt aliud corpus, circa quod voluatur cœlum, in medio quieſcere, nempe terram, quæ eſt elementum graue: conſequẽter neceſſe eſt aliud eſſe elementum leue, id eſt, ignem: proinde neceſſe eſt etiã eleměta media eſſe, aërem & aquã. Quoniam igitur hæc quatuor elementa contrariis qualitatibus prædita ſũt, & motus eorũ naturâ perpetui non ſũt: idcirco oportet eſſe generationẽ & interitum. Hinc eſt, quòd oportet plures eſſe orbes cœleſtes, nec tantùm eſſe primum mobile, quod mouetur ab ortu ad occaſum, ſed etiam orbes planetarum, qui voluuntur ab occaſu ad ortum: quia cùm cœleſtia agãt in hac inferiora, ſi vnum eſſet cœlum, & vnus cœli motus, hæc inferiora ſemper eodem modo ſe haberẽt. ſi verò vnum cœlum modò in hanc, modò in illam partem verteretur, non cõtinuo motu cieretur, ſed aliquãdo quieſ- 107
ceret, vt probatum fuit 8. Phyſ. 12. partic. 6.

Cap. IV.

Cæli figuram eſſe globoſam.

Cap.4. 20 FIgurã cœli ſphæricam ſeu globoſã eſſe probatur ſequẽtibus argumẽtis. Primò quia primo corpori cõuenit prima figura: primũ autẽ corpus eſt cœlum: prima figura plana eſt circulus, quia vnâ lineâ continetur: prima figu- 108
ra ſolida eſt globus ſeu ſphæra, quia vnâ ſuperficie terminatur. Secundò quia ſi cœlum eſſet quadratum, aut triangulare, aut alius ſimilis figuræ, cùm in orbem moueatur, daretur locus ſine corpore, aut corpus ſine loco: quod eſt abſurdum. Anguli namque circumuoluti relinquunt ſpatium ſine corpore, & occupant aliud ſpatium, in quo non erat corpus.

Tertiò

Tertiò motus cœli eſt aliorum menſura. 4.Phyſ. cap.vlt. proinde eſt motus minimus.9. Metaphiſ,cap.1.tex.3. conſequenter eſt celerrimus:ſit igitur ſuper linea breuiſſima, ſuper qua fieri poteſt ab eodem ad eundem terminum: hæc autem eſt linea circularis:cùm igitur cœlum ita moueatur neceſſe eſt vt ſit rotundm.

Cap. V.

Cur cœlum potiùs ad vnam, quàm ad alteram partem moueatur.

21 COElum ab oriente per meridiem mouetur:quia oriens eſt pars dextra,meridies eſt pars anterior: vnde ſicut homo non poteſt commodiùs gyrari, quàm ſi à dextra initio motus ſumpta in anteriorē partē voluatur, ita cœlū nō poteſt meliùs conuerti,quàm ab ortu per meridiē. Cap.5.

Cap. VI.

Motum primi mobilis eſſe æquabilem.

22 PRimum mobile,quod ſecundum Ariſtotelem, & illius ætatis aſtrologos, eſt octaua ſphæra, in quâ ſunt ſtellæ fixæ, vniformi & æquabili motu conuerti, pluribus rationibus probatur. Primò niſi hic motus eſſet æquabilis,intēderetur,remitteretur,& cōſiſteret:proinde haberet principium,mediū,& finem:quia hæc motui accidūt vel initio, vel ſub finem, vel in medio: atqui cœli motus principio,medio,& fine caret:ergo nec intenditur, nec remittitur,ſed eſt ſemper ęquabilis.Secūdò ſi motus eſſet inęquabilis, cauſa inæquabilitatis vel eſſet in ipſo mobili, vel in mouente: ſed in neutro eorum eſſe poteſt :nam primum mobile eſt ſempiternum,nulli variationi obnoxium, vt ſuprà probatum fuit,ergo multò magis primum mouēs. Tertio ſi motus eſſet inæquabilis: hæc inæquabilitas vel ſpectaretur in partibus, vel in toto mobili: quorum neutrum dici poteſt. Nam ſi partes inæquabiliter mouerentur, Cap.6.

ſtellæ fixæ non ſemper æquè inter ſe diſtarent: atqui diſtãtia ſtellarum fixarum ſemper eſt eadem: ergo inæquabilitas in motu partium primi mobilis nulla eſt. Quòd ſi totũ inæquabiliter moueretur, aliquando remitteretur: quod argueret quandam imbecillitatem: imbecillitas autem in primo mouente & primo mobili eſſe non poteſt.

Cap. VII.

Aſtra eius eſſe naturæ, cuius eſt corpus, in quo ſunt fixa.

Cap. 7. 23 STellæ in cælo, in quo inſunt, non naturâ differunt, ſed tantùm denſitate & paritate. nam corpus ſtellæ eſt denſius, quàm aliarum cœli partium.

24 ¶ Calor & lumen à ſtellis fit, non quia ſint igneæ, ſed quia motu earum, præſertim Solis, aër atteritur & friatur. Adeo namque motus calorẽ efficit, vt ſagittarũ emſſarũ plumbum propter vehementiam motus liqueſcat: vnde non eſt dubitandum etiam aërem, qui circa ſagittas eſt, calefieri, & igneſcere. Non tamen vt ſagitta mota aërem calefaciens, viciſſim ab eo calefit: ita ſtellæ ab aëre, quem ſuo motu calefaciunt, inuicem calefiunt: non ſolùm quia non ſunt capacia caloris, ſed etiam quia mouentur in corpore cœleſti, non in aëre, vt ſagittæ.

Cap. VIII.

Aſtra non proprio, ſed orbium motu cieri.

Cap. 8. 25 ASτra non proprio motu, ſed cœli conuerſione moueri probatur. Primò ex eo quòd ſtellę, quę ſunt in octaua ſpæra, ſemper inter ſe ęquè diſtant: nempe quia illius ſphæræ, in qua fixæ ſunt, ratione mouentur. Secundò quia ſtellæ ſunt globoſæ, neque in ſe vertũtur, vt apparet ex facie Lunę, quę ſemper eadem apparet: proinde nec voluũtur, quia non poſſunt volui, quin conuertantur. Tertiò quia ſi progredi per ſe deberent, Natura eis inſtrumenta eiuſmodi motus dediſſet, non minùs quàm animalibus.

26 ¶ Quoniam igitur figura ſphærica ad rotationẽ, quâ res in ſe vertitur, aptiſſima, ad progreſſum verò ineptiſſima eſt: profectò hæc figura tam cœlo, vt in gyrum vertatur, quàm aſtris vt per ſe non progrediantur, maximè conuenit.

Cap. IX.

An corporum cæleſtium motus ſonum & harmoniam efficiat.

27 COeleſtium corporum conuerſio ex ſentẽtia Pythagoreorum maximum & harmonicum ſonum edit: ſed à nobis nõ exauditur, quia eſt continuus: nec poteſt ex oppoſito ſilentio dignoſci: quâ ratione aiunt Nili cadentis ſtrepitum perpetuũ ab iis qui prope cataractas eius habitãt, non exaudiri. Sed hæc Pythagoræ ſententia ab Ariſtotele refutatur: quia ſi (vt Pythagoras putat) tantus eſſet cœleſtium ſphærarũ ſonus, quantus earum magnitudini & velocitati conuenit: profectò hæc inferiora confringeret, ſicut videmus tonitrui vel fulminis ſono lapides aliáque validiſſima corpora ſcindi. Cap.9.

28 ¶ Ariſtoteles igitur ait corpora cœleſtia ſuo rotatu nullum ſonum edere. Primò quia nullus ſonus percipitur, nec auditu, nec diruptione ſeu ſciſſione corporum inferiorum. Secundò quia cùm aſtra per ſe non moueantur, vt iam oſtendimus, motus cœli fit abſque ictu, proinde abſque ſono, quandoquidem ſonus ſine ictu nunquam fit. Tertiò, quia diuinæ bonitati conuenit eiuſmodi motum cœleſtibus corporibus tribuere, quo hæc inferiora conſeruentur non corrumpantur, id eſt, motum abſque ſono.

Cap. X.

De orbium cæleſtium ordine, & motus celeritate vel tarditate.

29 ORdo cœleſtium ſphærarum ab aſtrologis petendus eſt. Ariſtotelis ætate ſummi aſtrologi Calippus & Eudoxus octo ſpæras conſtituebant: primam ſeu ſupremã, in quâ ſunt ſtellæ fixæ, ſecũdã Saturni, tertiam Iouis, quartam Martis, quintam Mercurij, ſextam Veneris, ſeptimam Solis, octauã & infimam Lunæ. quam diſpoſitionem probat Plato in Timæo, & Ariſtoteles cap.2. de Mũdo. Ptolomæus autem poſt Hipparchum nouem ſphæras conſtituit hoc ordine, primum mobile ſtellis vacuum, octauam ſphæram, in qua ſunt ſtellæ fixæ, Saturnum, Iouem, Martem, Solem, Venerem, Mercuriũ, Lunam. Alphonſini adiiciunt decimam ſphærã, quam vocant primum mobile cui ſubiiciunt Cap.10.

nona [illegible] ſtellis [illegible] his reliquas clocant,non aliter quàm Ptolomæus. Nouiſſimè Copernicus Solem in centro mundi conſtituit immobilem,ei Venerem & Mercurium circundat, ſupra Venerem ponit orbem magnum, terram cum aliis elementis & Luná, complectenté: reliquis loca à veteribus attributa relinquit. Huius ordinis primus auctor fuiſſe creditur Ariſtarchus Samius annis ante Ptolomęú quadringétis. Zabarella pręceptor meus, qui ſimul fuit ſummus philoſophus & ſummus aſtrologus,octo tantùm ſphæras ponédas eſſe cécebat,ne contra principia Ariſtotelis detur ſphæra ſine ſtella,cui inſeruiat:ſic tamen,vt quemadmodum planetis, ita etiam octauæ ſphæræ plures orbes tribueret.

30 ¶ Ariſtoteles ait, quia octaua ſphæra,quá ipſe habet pro primo mobili,ab ortu ad occaſum mouetur, ſeptem autem planetæ in oppoſitú proprio motu feruntur ab occaſu ad ortum:idcirco quò inferior & à primo mobili remotior quiſque eſt, eò celeriùs eum ſuo motu cieri. Secundum aſtrologorum ſententiam hoc tempore probatam, decima ſphæra,quæ eſt primú mobile,motú ſuum ab ortu ad occaſú perficit horis 24. Nona ſphæra ab ortu ad occaſum ſuper ecliptica & polis Zodiaci curſum ſuum annis triginta ſex millibus,vel ſecundú Alphonſinos 49000 conficit. Octauæ ſphæræ motus proprius,qui vocatur motus trepidationis, ſeu motus acceſſus & receſſus,fit à ſeptentrione in meridié ſuper duos circulos,quorum poli ſunt initia arietis & libræ: perficitur autem ſpatio ſeptem millium annorum.Saturnus fermè trigenta annis voluitur.Iupiter duodecim. Mars duobus.Sol trecentis ſexaginta quinque diebus,& ſex ferè horis.Venus & Mercurius pene eodem tempore ac Sol.Luna viginti ſeptem diebus,& octo horis.

Cap. XI.

Stellas eſſe globoſas.

Cap. II.

31 ASTrorum figurá globoſam eſſe probatur. Primò, quia per ſe mouentur,atque hæc figura maximè conuenit eiuſmodi corpori, quod per ſe mouetur, vt dictú eſt axio.26.Secundò, quia qualis eſt Luna, talesſunt ſtellæ.

Lunam

Lunam autem eſſe globoſam patet,tum ex augmento & decremento luminis,quod in eâ paulatim fit, tum ex Solis eclipſi,quæ fit ob Lunæ oppoſitionem.

CAP. XII.

Cur non omnes inferiores ſtellæ paucioribus motibus moueantur, quàm ſuperiores: & cur in octaua ſphæra ſint multæ ſtellæ, in ſingulis inferioribus ſingulæ.

32 QVatuor ſunt rerum gradus. Finem enim & optimum aut in ſe habent, aut vno pluribúſve morib. aſſequuntur,aut aſſequi nõ poſſunt.In primo gradu eſt Deus: in ſecundo octaua ſphæra, quæ ſecundum Ariſtotelem eſt primum mobile:in tertio inferiores ſphæræ: in quarto terra. Cap.12.

33 ¶ In primo mobili ſunt multæ ſtellæ:in ſingulis inferioribus ſingulæ:vt multitudo ſtellarum cum vnitate motus, & vnitas ſtellæ cum multitudine motuum coniungeretur. nam primum mobile multas ſtellas deferens,vno motu voluitur:ſingulæ inferiores ſphæræ, quæ ſingulis planetis inſeruiunt,multis motibus cientur.

CAP. XIII.

Veterum ſententia de terræ loco,quiete,& figura.

34 DE ſitu ſeu loco terrę duæ ſunt opiniones.Plerique eam collocant in medio ſeu centro mundi. Pythagorei eam ponunt extra centrum, vt & nouiſſimè Copernicus. Cap.13.

35 ¶ De motu vel quiete terræ tres ſunt opiniones.Prima plerorumque, terram quieſcere. Secunda Pythagoreorum duas vel plures eſſe terras, quæ mouentur, quaſi quædam aſtra circa medium:quamuis aliæ terræ non appareant, quia hæc terra noſtro aſpectui obſtat. Similis eſt opinio Copernici,niſi quòd vnam terram ponit.Tertia eſt opinio Platonis in Timæo,terram in medio conuerti.

36 ¶ De figura terrę duæ ſunt opiniones.Vna,terram eſſe globoſam.Altera,terram eſſe planam inſtar tympani.

37 ¶ Qui terram quieſcere cenſent, varias huius quietis cauſas afferũt.Primò ſecundũ Xenophanẽ nõ poteſt vlterius deſcẽdere,quia deorſũ verſus infinita eſt.Secũdò ex Thaletis

ſententia aquis ſuſtinetur:quaſi æquè poſſit aquis ſuſtineri,ac ligna:& quaſi abſurdum non ſit, elementum leuius grauiori ſubiici,id eſt,aquam terrę.Tertiò ſecundum Anaximenem: Anaxagoram , & Diogenem non rotunda, ſed lata, & aëre ſuſtinetur, quia aër compreſſus non poteſt aliò migrare, atque ita terræ deſcendenti locum dare. Quartò ſecundum Empedoclem velociſſima cœli conuerſio efficit,vt terra ſtet, quemadmodum videmus cyatho celeriter conuerſo aquam non effundi. Quintò ſecũdum Anaximandrum terra in medio quieſcit,quia eodem modo ſe habet ad omnes partes mundi:vnde cùm nulla ſit ratio,cur magis ad vnam quàm ad aliam partem feratur,immobilis permanet: quemamodum ſi quis æquè eſuriat & ſitiat: atque eodem tempore alibi videat cibum,alibi potum,ad neutrum accurret: & ſi capillus æquè extendatur,numquam frangetur, quia nulla eſt ratio cur magis in vna quàm in alia parte frangatur.

Cap. XIV.

Terram in medio quieſcere.


Cap.14. 38 Terram in medio mũdo quieſcere, ſic probatur. Primò ſi moueretur à medio,vel circa mediũ, hic motus eſſet violentus:ergo nõ eſſet diuturnus Conſequẽtia patet.Antecedens probatur:quia terra non poteſt habere duos motus naturales:atqui natura fertur ad medium:(videmus enim eò ferri partes terrę,idem autem eſt motus totius terræ, & partium eius, quia cõſtat ex partibus ſimilaribus,ergo naturâ non mouetur à medio,vel circa medium.Secundò ſi terra in orbem verteretur, pluribus motibus moueretur, id eſt, vno proprio & per ſe,altero,quo raperetur à primo mobili: hoc enim accipit omnibus corporibus,quę ſub primo mobili orbiculariter mouentur.quod ſi terræ accideret,ſtellæ fixæ non orirentur & occiderent ſemper ab eadem parte: cuius oppoſitum apparet : ſemper enim ab eadem parte occidunt. Tertiò pondera,quæ ſurſum in directum proiiciuntur, rectà cadunt in eundem locum à quo ſunt proiecta: quod non eueniret,ſi terræ globus moueretur. Quartò terra naturaliter mouetur ad medium:ergo naturaliter ibi quieſcit.quò enim aliquid natura fertur,ibidem natura quieſcit.ſup.lib. 1. cap.9. partic.

partic.2. Quintò eadem ſententia probatur auctoritate.Nam mathematici hoc docent. Adde auctoritatem Prophetæ,qui Pſal. 104. ait, Fundauit terram ſuper baſes ſuas, ne moueatur in ſeculum & ſeculum.

Cap. XV.

Terram globoſam eſſe,ac paruam,ſi cum aſtris conferatur.

39 Terram eſſe rotundam & globoſam, ita probatur. Primò omnes eius partes æquè tendunt ad medium, adeo vt minores partes à maioribus compellantur & comprimantur.ſic igitur fit globus,cuius centrum eſt centrum mundi. Secundò pondera non deſcendunt per lineas æquidiſtantes,faciunt tamen angulos ſimiles,id eſt rectos ad circumferentiam.quod non contingeret,niſi terra eſſet globoſa:vt in ſequenti figura apparet.



Nam pondera B C D tendunt ad centrum A: lineæ autem A B, A C,& A D,non ſunt æquidiſtantes,quia concurrunt in puncto A: ſed faciunt angulos ad circumferentiam B C D rectos.Tertiò in Lunæ eclipſi,quam terræ vmbra facit,linea ſeiungens partem Lunę lucidam ab opaca,ſemper eſt curua: quod indicat terram eſſe globoſam. Quartò progredientibus ſeptentrionem aut meridiem verſus, horizon mutatur, & aliæ ſtellæ(de fixis loquor)apparere incipiunt, aliæ occultãtur:quod nõ accideret,niſi terra eſſet globoſa.Quintò probabilis eſt ſententia eorum, qui dicũt locũ, qui eſt in extremo occidẽte ad colũnas Herculis, coniungi cum Indica regione oriẽtali,adeo vt oceanus ad colũnas Herculis & mare Indicũ ſint vnum mare: propterea quòd elephãti vtrobique ſimiliter naſcuntur.hæc igitur coniunctio partis oriẽtalis cũ

occidentali arguit terram eſſe rotundam. Sextò mathematici in orbem progrediuntur ſupputantes magnitudinem terræ: quorum nonnulli teſte Ariſtotele ambitum terræ definiuerunt quadringentis ſtadiorum millibus: Macrobius libr. 1. de ſomno Scipionis, ducẽtis quinquaginta duobus millibus: Eratoſthenes ducentis quinquaginta millibus: Poſidonius ducentis quadraginta millibus, referente Cleomede lib. 1. c. vlt. Plinius lib. 2. cap. vlt. vel ducẽtis quinquaginta duobus millibus, vel ducentis quinquaginta quinque millibus: nam vtroque modo legitur: Ptolemæus centum octoginta millibus. Tria poſtrema argumenta non ſolùm oſtendunt terram eſſe ſphæricam, ſed etiam paruam, ſi cum aſtris conferatur.

40 ¶ Si quis obiiciat terram non eſſe rotundam propter maris cauitates, & montium faſtigia, Cleomedes lib. 1. c. vlt. reſpondet hæc adeo eſſe exigua, vt minùs rotunditati terræ officiant, quàm puluiſculus in pila inſidens obſtet ipſius pilæ rotunditati. etenim nec mons eſt vllus editior, nec mare altius quindecim ſtadiis: quæ duo ſi coniungantur, efficiẽt triginta ſtadia: triginta verò ſtadia ad dictam terræ magnitudinem non habent rationem vllam. Alij reſpondent terram vnà cum aquis globum efficere. Plinius lib. 2. cap. 64. ſcribit non eſſe abſolutam orbis terræ formam in tanta montium excelſitate, tanta corporum planicie: ſed amplexum eius, ſi capita linearum comprehendantur ambitu, figuram abſoluti orbis efficere. Ariſtotelis ſententia eſt, terram eſſe naturâ ſphæricam, vt ſuperiores rationes euincunt: ex accidenti verò, & ob cauſas violentas effici montium tumores, & vallium concauitates, quæ impediunt quominùs terra perfectam habeat globi figuram.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXVII.

DE COELO TERTIVS.

Cap. I.

Tranſitio.

Hvcvsqve dictum eſt de cœlo: deinceps dicendum eſt de elementis, & eorum generatione atque interitu. Cap. 1.

Cap. II.

Veterum opiniones de generatione & interitu.

2 De generatione & interitu quinque ſunt veterum opiniones. Primò Parmenides & Meliſſus exiſtimarunt nihil gigni, vel interire. in quam opinionem inquirere, potiùs ad metaphyſicum pertinet, quàm ad phyſicum. Secũdò Heſiodus putauit omnia eſſe genita: ſed ex his alia perpetuò manere, alia interire. Tertiò Heraclitus aſſeruit omnia eſſe ortui & interitui obnoxia, prçter primã materiam. Quartò Plato corpora generat ex ſuperficiebus: harũ enim cõpoſitione per altitudinem facta conſtituit corpora, igni tribuẽs figurã pyramidalem, terrę figurã ſex baſium, aër octo baſium, aquę decem baſium, cœlo duodecim baſium. Quintò Pythagorei nonnulli corpora ex numeris conſtare autumant.

3 ¶ Sententia Platonis ab Ariſtotele refellitur ſeptem argumentis. Primò hæc ſententia repugnat doctrinę mathematicæ. Secundò aduerſatur iis, quæ demõſtrata ſunt 6. Phyſ. cap. 1. vbi probatum fuit, ex indiuiduis nõ componi diuidua, nam ſecundum Platonem corpus fit ex ſuperficiebus, ſuperficies ex lineis, lineæ ex punctis: corpus autem eſt omni ex parte diuiduum: ſuperficies non eſt diuidua ſecundum alti-

tudinē:linea nec ſecundum altitudinē,nec ſecundum latitudinem diuiſionē recipit:punctū nullo modo diuiditur. Tertiò puncta omni pondere carent,quippe quę ſunt indiuidua, & nec rara nec denſa,nec dura nec mollia. ergo ſi ex his cōponantur lineæ, & ex lineis ſuperficies, & ex ſuperficiebus corpora,hæc omnia pondere carebunt. Quartò ſecundū hāc ſententiam dabitur corpus, quod nec erit elementum, nec compoſitum ex elemētis: nempe ſi corpus aliquod ita componatur ex ſuperficiebus,vt nec habeat quinque,nec ſex,nec octo,nec decē,nec duodecim baſes.Quintò,ſi terra igni grauior eſt,quia plures ſuperficies cōtinet,vt ſcriptum eſt in Timæo Platonis,etiam ſuperficies & puncta pōdus & grauitatē habebunt.Si verò terra eſt grauis,& ignis leuis: etiam ſuperficies partim erunt graues,nōnullæ leues.Sextò vnumquodque reſoluitur in ea,ex quibus cōponitur. omnia igitur corpora in puncta reſolui poſſunt: proinde fieri poteſt,vt nulla ſint corpora, & tantùm ſint puncta. Septimò ſimiliter poſſet tempus in vniuerſum tolli,ita vt manerent ſola momenta.

4 ¶ Sententia Pythagoreorum refutatur hoc argumēto, quòd corpora naturalia pondere aut leuitate prædita ſunt:vnitates verò, ex quibus numeri conſtant, nec ſunt graues, nec leues.

CAP. III.

Neceſſe eſſe,vt ſimplicibus corporibus aliquis motus naturâ competat.

Cap.2. 5 NEceſſe eſſe vt ſimplicium corporum ſit aliquis motus naturalis, ſic probatur. Primò cùm appareat ea moueri:aut naturaliter,aut præter naturam mouentur. ſi naturaliter, motum naturalem habent, quo cientur. ſi præter naturam,neceſſe eſt vt ſit aliquis corū motus naturalis, præter quem eſt hic qui dicitur præter naturam. & ſi multi ſunt pręter naturā,vnus tamē eſt naturalis: quia vnūquodque naturaliter vno modo ſe habet: præter naturā autē multis modis:vt vno modo quis ſanus eſt,multis modis ęgrot⁹.Secūdò, terra nō poteſt in infinitū deſcēdere:ergo infimo loco naturaliter quieſcit:proinde ad eum locum naturaliter mouetur.

6 ¶ Errarunt igitur Democritus & Leucippus dicētes atomos per infinitum inane ferri,& fortuito earum concurſu mundū eſſe factū.nam motu accidentario & violento debet eſſe prior alius motus naturalis. & ſi datur primū mouens,& primus motus,vt probatum eſt 8.Phyſ.neceſſe eſt hunc motum eſſe naturalem.

7 ¶ Item

7 ¶ Item errauit Plato, ex cuius ſententia, quæ in Timæo ſcripta eſt, antequàm Deus mũdum faceret, materia fluctuabat, ita vt elementa inordinatè mouerentur. Primò namque vel mouebantur naturaliter. vel præter naturam. ſi naturaliter, certè in eo motu, contra quem dicit Plato, ordo inerat: proinde iam mundus erat, priuſquàm ortus eſſet. Si præter naturã, idem dicimus contra Platonem, quod contra Democritum, & Leucippum, abſurdè poni motum ante motum naturalẽ. nam primum mouẽs, naturaliter mouetur: & primum mobile, naturaliter mouetur. Secundò, cùm elementa ita ſecundum Platonem mouerentur: vel poterant ex eis per talem motum fieri hęc quę ex elemẽtis cõſtant, vt caro, & oſſa, vel fieri nõ poterãt. ſi fieri potuiſſe Plato cõcedat, cogitur fateri, antequàm mundus eſſet, mundum eſſe potuiſſe. Quidni enim mundus eſſet, cùm elementa eſſent, & quæ ex elementis conſtant? Si fieri potuiſſe Plato neget, ſibi contradicit, & malè vocat motum elementorum inordinatum & incertum quaſi quouis modo temerè mouerentur, quandoquidem non poterant ita moueri, vt ex eis fierent oſſa, & caro, &c. Tertiò vel vnum eſt mouens, vel multa mouentia, vel infinita. Si vnum ſit mouens, vnus quoque extat motus, proinde non inordinatus. nam Plato inordinatè elementa moueri dixit, quod temerè & caſu quodam, aliàs alio motu cierentur. Si infinita ſint mouentia. infiniti erunt motus: quod neque verum eſt, neque à Platone ponitur Si multa & finita mouentia ſint, motus erant ordinati. Cur enim vocentur inordinati? an quia non tendebant eodem omnes? ſed & in ipſo mundo alia alio feruntur, nec propterea Plato hos motus inordinatos appellaret. Quarto Plato ad contradictionem ducitur: quod enim eſt inordinatum, eſt præter naturam: quod verò eſt diuturnæ vel infinitæ durationis, eſt ſecundum naturam. hic igitur motus elemẽtorũ ante mũdum genitum ſimul eſt naturalis, quia non habet principium, ſed in infinitum durauit ante creatum mundum: & eſt præter naturam, quia eſt inordinatus.

8 ¶ Rectiùs Anaxagoras, Empedocles, & quidã alij materiã ante conſtitutionem mundi ponunt omni motu carentẽ.

Cap. IV.

Eſſe quædã corpora grauia, & leuia: & quõdo præter naturã moueãtur.

9 ESſe quædam cõrpora grauia,& quædam leuia,id eſt, quę motu recto feruntur à medio, vel ad medium, manifeſtum fiet, ſiue eorum motus naturalis ſpectetur, ſiue motus prętet naturam: neutro enim motu res grauitate carens ferri poteſt. quod vt oſtendam, ſumo duas hypotheſes.

I. Quo res grauior eſt, eò celeriùs deſcendit:& eò tardiùs vi aſcendit. Proinde res grauis celeriùs deſcendit,& tardiùs adſcendit, quàm res grauitate carens. II. Quò res leuior eſt, eò celeriùs naturâ adſcendit,& eò tardiùs vi deſcendit. Quocirca res leuis celeriùs adſcendit, ac tardiùs deſcendit, quàm res non leuis. His ſuppoſitis, dico rem ponderis & leuitatis expertem nec naturâ nec vi ſurſum aut deorſum ferri. Nam Primo ſi dicatur res grauitate carens deorſum naturaliter ferri: ſumamus certum tempus, quo deſcendit:& certam altitudinem, quam eo tempore permeat. exempli gratiâ, conficiat vnius horæ ſpatio altitudinem centum paſſuum. his poſitis, accipio rem aliquam grauem, putà plumbum, quod eodem tempore conficiat altitudinem ducentorum paſſuum. huius igitur plumbi pars aliqua, putà quæ dimidium ponderis habet, eodem tempore conficiet centum paſſus. ita contingit, vt hæc plumbi pars eadem celeritate moueatur, ac res grauitate carés, quia vtraque eodem tempore conficit idem ſpatium, id eſt, vna horâ centum paſſus: quod eſt abſurdum,& contra primam hypotheſim. Secundò, ſi dicatur res grauitate carens naturaliter ſurſum ferri, eodem modo probabo rem leuem eâdem celeritatę adſcendere: quod non minùs eſt abſurdum,& contra ſecundam hypotheſim. Tertiò, ſi dicatur vi ſurſum ferri: ponendum eſt tempus quo fertur, & ſpatium quod permeat. exempli gratiâ, vnâ horâ conficiat quadraginta paſſus. his poſitis, accipiã rẽ grauẽ, quę eodẽ tẽpore minus ſpatij conficiet, putà viginti paſſus. poſtea ſumam huius rei partem, putà dimidiam, quæ eodem tempore per quadraginta paſſus feratur. ita eueniet, vt hęc pars, quę eſt grauis, eâdem celeritate feratur, qua res illa põderis expers: quod eſt abſurdum. aut ſi res põdere vacans celeriùs fertur, ęquè alia quauis re, aut quauis rei particula celerius feretur. quare infinita velocitate mouebitur: quod eſt æquæ abſurdum. Quartò, ſi res pondere carẽs dicatur vi deorſum ferri, ſimiliter oſtendam aut rem leuem eâdem celeritate moueri, aut rem pon-

ponderc carentem infinita celeritate ferri. Ex his apparet, quicquid ſurſum aut deorſum fertur,eſſe graue aut leue.

10 ¶ Vt ea,quæ ſuperiori axiomate tradita ſunt, rectiùs percipiantur:notandum eſt, motum naturalem & violẽtum ita poſſe miſceri, vt naturalem motum vis externa celeriorem reddat,veluti ſi lapis deiiciatur.natura verò motum violentum promouere non poteſt.

11 ¶ Aër tam naturali quàm violento motui conducit, nimirùm adſcenſui, quatenus eſt leuis, & deſcenſui, quatenus eſt grauis. nam ſi cum igni conferatur, grauis dicendus eſt.ſi cum aqua vel terra, leuis nominandus. Hinc eſt, quòd mobile violento motu fertur, etiamſi motor id non ſequatur,quia ſcilicèt ab aëre vehitur, qui motum ab eodem motore accepit, & ſuâ leuitate ſurſum, vel grauitate deorſum fert.

Cap. VI.

Elementa quid ſint,& an ſint.

12 Elementum in præſentia non ſignificat materiam primam,ſed corpus,in quo hæ tres conditiones inſunt.Primò cetera corpora in illud reſoluuntur. Secundò in corporibus ineſt vel poteſtate, vel actu. vtro enim horum duorum modorum inſit,nondum conſtat. Tertiò non diuiditur in partes ſpecie differentes. Cap.3.

13 ¶ Elementa eſſe probatur. Primò ex data definitione,quæ ſecundum Ariſtotelem conuenit igni, aëri, aquæ, & terræ. Secundò auctoritate Empedoclis, & Anaxagoræ, qui licèt in explicandis elementis diſſentiant,tamen in eo conueniunt,quòd ambo elementa quædam ponunt.Tertiò quia cùm alij ſint motus ſimplices, alij mixti: ſicut motus mixti conueniũt corporibus mixtis, ita motus ſimplices conueniunt corporibus ſimplicibus:hæc autem ſunt elementa.

Cap. VII.

Elementa non eſſe infinita.

14 Nvnc videndum, quot ſint elementa. Anaxagoras elementa rerum omnium conſtituit infinitas partes ſimilares,quas vocauit ὁμοιομερείας. Cap.4.

15 ¶ Hæc ſententia falſa eſt. Primò namque multæ partes ſimilares ſunt compoſitæ,& reſoluuntur in ea quæ ſpecie differunt: quod non conuenit definitioni elementi ſuprà traditę: vt partes carnis reſoluuntur in ignem, aërem, aquam, & terram. ergo non omnes partes ſimilares ſunt elementa. Secundò, etiamſi partes ſimilares eſſent elementa: nulla tamen ratio cogit, vt dicamus has eſſe infinitas. ſed cùm finitæ ad naturales effectus producendos ſufficiant, fruſtrà ponuntur ab Anaxagora infinitæ. Tertiò primę corporum differentiæ ſunt finitæ, vt probabitur lib.2. de generat. c.3. ergo prima corpora, quæ quidem ſunt elementa, finita ſunt.

16 ¶ Secundum Leucippum & Democritum, quos poſtea Epicurus ſecutus eſt, elementa ſunt infinita corpuſcula indiuidua, quorum complexu & coniunctione ſingulæ res fiunt. Ideo autem infinita, quia figuris differunt, quas putant eſſe infinitas. Hinc ignis fit rotunda figura præditus: hinc aër, aqua, terra, quę differunt magnitudine & paruitate: quam autem figuram habeant, neque Democritus, neque Leucippus expoſuit.

17 ¶ In hac ſententia ſunt tres errores. Primò ponunt ea corpuſcula eſſe infinita. quod refellitur, cùm quia ſufficiunt finita ad omnes res procreandas, tum etiam quia differentiæ corporum finitæ ſunt, vt dixi axio.15. Secundo ponūt corpora indiuidua moueri: quod repugnat tam doctrinæ mathematicæ, quia mathematici faciunt omnia corpora diuidua, quàm doctrinę phyſicę, quia ſexto phyſico oſtēſum eſt, quicquid mouetur, eſſe diuiduum, eandémque eſſe diuiſionem tēporis, motus, ipſius moueri, ipſius mobilis, & eius in quo fit motus. Tertiò auctores huius ſentētiæ ſibi ipſis contradicūt.

18 ¶ Sunt autem in eorum dictis duæ contradictiones. primò ponunt aërem ex minoribus partibus conſtare quàm aquam, & aquam ex minoribus quàm terram: & nihilominùs aiunt hæc ſemper ex ſe inuicem fieri. atqui ſi ex aqua (exempli gratiâ) fit terra, ſegregantur ex aqua partes maiores, ita vt tandem maneant ſolæ minores, ex quibus terra amplius fieri non poterit. Secundò ponunt infinita corpora infinitis figuris differre: figurarum tamen principia finita faciunt, id eſt, pyramides. ſicut enim figuræ ſuperficiales reſoluuntur in triangula.

ita



ita etiam figuræ ſolidæ reſoluuntur in pyramides,id eſt,figuræ rectilineæ reſoluuntur in pyramides habentes baſim planam rectilineam,ſphęricæ in pyramides habentes baſim cōuexam. vt globus reſoluitur in octo pyramides, quæ fiunt à tribus circulis ſe inuicem in centro ſecantibus ad angulos rectos.earum autem baſes ſunt in circumferentia, faſtigia in centro. Sic ſphæra mundi conſtat octo pyramidibus, quæ duobus coluris & æquinoctiali continentur.Hoc clariùs apparebit,ſi pila aut pomum ter ſecetur in partes ęquales:fient enim huiuſcemodi pyramides octo.

19 ¶ Generaliter elementa eſſe finita,ſic probatur: Cuiuſlibet ſimplicis corporis proprius eſt aliquis motus ſimplex : atqui motus ſimplices ſunt finiti.ſupr. lib. 1. axio.23. & finita quoque ſunt loca, ad quæ feruntur corpora ſimplicia: ergo etiam ipſa corpora ſimplicia ſunt finita. elementa igitur finita ſunt:ſiquidem elementa ſunt corpora ſimplicia.

Cap. VIII.

Non eſſe vnum tantùm elementum.

20 MVlti philoſophi dixerunt vnum eſſe elementum: Cap. 5.
vt Thales aquam, Anaximenes & Diogenes aquam,Heraclitus ignem, Anaximander vaporem quendam medium inter aërem & aquam.

21 ¶ Eorum ſententia, qui vnum elementū ponunt ſiue aërem,ſiue aquam,ſiue medium vaporem,duobus argumentis refellitur.Primò,cùm dicant omnia ex eo elemento fieri per eius rarefactionem vel condenſationem: veluti ſi aër rarefiat,ignem fieri:ſi condenſetur,aquam euadere:conſequēs eſt, vt quò ſubtilius aliquid eſt, eò prius ſit. vnde cùm ignis ſit ſubtiliſſimus, prior eſt aëre & aquâ. quocirca ſecundum hos philoſophos erit aliquid elemento prius,id eſt,ignis.Secundò, ſi hæc ſententia vera eſſet, nihil eſſet abſolutè ignis,

vel aër, ſed idem diuerſo reſpectu eſſet ignis & aër. nam ſi hęc(vt iſti volunt)tantùm raritate ac denſitate differunt:certè nihil aliud eſt inter ea diſcriminis,niſi quòd aliud eſt craſſius,aliud ſubtilius, quorum illud ex maioribus, hoc ex minoribus partibus conſtat. Quare ſecundum hanc ſentētiam, ignis,aër,aqua,& terra ſolùm magnitudine ac paruitate partium differunt. cùm igitur magnum & paruum ſint relata, Categor.cap.6.partic.20. & 21.ignis,& aëris, aliorúmque eſſentia in relatione conſiſtit: nec ſunt abſolutè ignis, vel aër, ſed per relationem ad alterum. Proinde idem elementum reſpectu alterius ſubtilioris erit aër, & reſpectu craſſioris erit ignis.

22 ¶ Iam examinemus ſententiam eorum, qui ponunt vnum elementum eſſe aërem.Horum alij ſimpliciter dicunt ignem habere figuram pyramidis: quia inter figuras pyramis,& inter corpora ignis maximè valet ad incidendum.Alij accuratiùs loquentes inquiunt pyramidem eſſe primam inter figuras ſolidas,ex qua ceteræ componuntur,ignem autem eſſe primum inter corpora, quia eſt ſubtiliſſimum corpus.vnde cùm prima figura primo corpori conueniat,exiſtimandum eſt ignem eſſe pyramidis figurâ præditum. Alij de figura ignis nihil pronunciant, ſed tantùm ignem ex ſubtiliſſimis partibus conſtare inquiunt,ex eóque compoſito cetera fieri,non aliter quàm ex ramentis maſſa conflatur.

23 ¶ Vt omnium horum ſententiam ſimul refutem: quæro ex eis, num ignis ſit diuiduus,an indiuiduus. Si indiuiduum dicant.Primò eis oppono,quod ſuprà axiom.17.obieci Democrito & Leucippo, omne corpus eſſe diuiduum, tam ſecundum mathematicos, quàm ſecundum phyſicos. Secūdò oppono,quòd ignis eſt ſubtilior aëre,& aquâ:proinde eſt maior:conſequenter eſt diuiduus: quia in maiori ineſt minus, & aliquid præterea. Si ignem diuiduum eſſe fateantur:huic igni aut figuram tribuunt,aut minimè. Eos qui igni figuram pyramidis tribuunt,duco ad duas abſurditates. Primò,ſi ignis diuidatur, pars ignis eſt pyramis, pars autem pyramidis non eſt pyramis.Secundò non omne corpus vel erit elementum, vel conſtabit ex elementis: quia pars ignis nec erit ignis,nec aliquid ex elementis compoſitum.Eos autem, qui de ignis figura nihil ſtatuunt, ſed magnitudine, id eſt,

par-

partium ſubtilitate ignem definiunt, itidem duco ad duas abſurditates. Vna eſt, dari corpus prius elemento primo: quia ſi ignis, quem aiunt eſſe primum elementum, in partes diuidatur: pars eius erit prior, & magis habebit naturam elementi. Altera eſt, idem diuerſo reſpectu eſſe ignem & aërem, vel aquam & terram, quia magnitudo eſt relationis vocabulum, vt notaui axio. 21.

24 ¶ Generaliter probatur non eſſe vnum elementum: quia ſi vnum eſſet elementum, vnus eſſet naturalis motus: atqui ſunt plures motus naturales, vt primo libro declaratum fuit: ergo ſunt plura elementa.

Cap. IX.

Elementa eſſe ortui & interitui obnoxia.

25 Elementa non eſſe æterna, ſed ortui & interitui obnoxia, ſic probatur. Suppono, quod ſenſibus patet, ſimplicia corpora, ignem, aërem, aquam, terram diſſolui. quo poſito ſic argumentor: Aut hæc diſſolutio eſt infinita, id eſt, in infinitum abit, aut aliquando finem accipit, atqui non eſt infinita: alioqui tempus quoque diſſolutionis eſſet infinitũ, & ſimiliter tempus compoſitionis eſſet infinitum: proinde duo eſſent tempora infinita, alterum quo elementa componuntur, alterum quo elementa diſſoluuntur: quod eſt abſurdum. Finem igitur aliquando diſſolutio accipit. Hoc probato, vlteriùs pergo: ac dico hoc in quo diſſolutio ſtat, aut eſſe indiuiduum, aut diuiduum. atqui nõ eſſe indiuiduum, docui ſuprà axio. 17. eſt igitur diuiduum, proinde poteſt corrumpi & interire. Et ſiquidem totum corpus erat interitui obnoxium, multò faciliùs hæc particula, in quam reſolutio facta eſt, interibit: vt videmus paruam aquæ particulam faciliùs corrumpi, quàm magnam aquæ quantitatem. Cap. 6.

Cap. X.

Elementa ex ſe inuicem gigni.

26 Qvia oſtendi elementa eſſe generabilia neceſſe eſt, vt vel gignantur ex incorporeo, vel ex alio corpore, vel inuicem ex ſeipſis: atqui nec generãtur ex incorporeo,

nec ex alio corpore:ergo gignuntur ex ſe inuicem, vt aqua ex aëre,& aër ex aqua. Huius ſyllogiſmi maior propoſitio eſt manifeſta:minor eſt probāda,id eſt,elemēta nec gigni ex incorporeo,nec ex alio corpore ab omnibus elementis diuerſo. Non gigni ex incorporeo,probo per deductionem ad abſurditatem. quicquid enim fit, in aliquo fit,Phyſ.lib.5.cap.2. part.8.& lib.6.cap.6.partic.1.locus igitur,in quo fit corpus elementare,aut eſt inanis, aut habet aliquod corpus. Vtrumuis dicas,incides in abſurditatem. Nam inane refutatum eſt quarto phyſico. Si verò ſit in eo loco corpus, conſequens erit, vt in eo loco ſint duo corpora, id eſt, quod ante generationem elementi ibi erat, & elementum ibi generatum. Si reſpondeas primum corpus,quod ibi erat, moueri & cedere elemento:replicabo generationem fieri in inſtanti, omnem autem motum fieri in tempore.Phyſ.lib. 6.c.2.adeo vt antequàm corpus cedat,elementum ibi generetur, atque ita ſint aliquamdiu duo corpora ſimul in eodem loco.Tandem non gigni elementum ex alio corpore quod non ſit elementum, probo duobus argumentis. Primò,ſi fierent ex alio corpore, hoc corpus eſſet prius elementis:quod eſt abſurdum.Secundò hoc corpus vel eſt graue, vel leue, vel nec graue nec leue.Si eſt graue, aut leue, certè eſt elementum. Si nec graue nec leue eſt,eſt immobile:ergo ex eo elementum gigni non poteſt. Vt igitur hanc ratiocinationem in pauca colligam, quoniam elementa gignuntur, non tamen ex incorporeo vel ex alio corpore gignuntur, neceſſe eſt vt ex ſe inuicem gignantur.

Cap. XI.

Quomodo elementa ex ſe inuicem gignantur.

Cap.7. 27 QVatuor modis dici poteſt elemēta ex ſe inuicem gigni. Primò ſecundum Empedoclem & Democritum partes inexiſtentes ſegregantur: vt cùm aër fit ex aqua,partes aëris,quę in aqua inſunt,ſecernuntur ex illa aqua. Secundò aliis videtur transfiguratione elemēta gigni: differunt enim figuris inter ſe,adeo vt mutatâ figurâ elementum mutetur.veluti ſi figura ignis eſt pyramidalis,terræ cubica:ſi ex pyramide fiat cubus,ex igne fiet terra:cōtrà ſi ex cubo fiat pyramis,ex terra fiet ignis. Tertiò ſecundū Platonē elemēta reſol-

reſoluuntur in ſuperficies,atque hac ratione ex ſuperficiebus in quas vnum elementum eſt reſolutum,aliud gignitur elementum.hanc mutuam reſolutionem ponit Plato tantùm in tribus elementis,igne,aëre,& aqua. Quartò ſecundum Ariſtotelem mutua elementorum generatio fit per mutationem ſubſtantialem,quia omnia conſtant ex eadem materia, non ex eadem formâ.vnde mutatâ formâ mutatur elementum:materia verò,quę ſubinde has formas recipit,ęterna eſt.

28 ¶ Prima ſententia reprobatur ſequentibus argumentis.Primo ſecundum hanc ſententiam elementa non generantur,ſed videntur generari,dum extrahuntur ex alio elemento, quaſi ex vaſe quodam. Secundò, cùm aqua ex aëre generatur,fit elementum grauius: quod non contingeret, ſi aqua in aëre ineſſet,& ex eo ſegregaretur. Tertiò,cùm aër fit ex aqua,occupat maiorem locum:quod ſimiliter non eueniret,ſi ex aqua ſegregaretur. Quartò vel infinitæ partes vnius elementi erunt in altero elemento, putà aëris in aqua: vel non ſemper ex vno elemento alterum generabitur. nam ſegregatis ex aqua omnibus partibus aëris,non poterit ampliùs ex aqua gigni aër.

29 ¶ Secunda ſententia refutatur: quia ſi eſſentia elementorum in figura cōſiſtaret,& figurę mutatione elementa gignerentur:certè aut elementa eſſent indiuidua,aut pars elementi non eſſet elementum:aut pars ignis non erit ignis, quia pars pyramidis non eſt pyramis,& pars ſphęræ non eſt ſphæra.

30 ¶ Tertia ſententia refellitur ſequentibus argumentis. Primò Plato abſurdè negat mutuam reſolutionem terræ & aliorum elementorum: cùm quia hoc repugnat ſenſui, tum etiam quia terra eſſet maximè elementum, quippe quæ non reſoluitur in aliud elementum ſecundum Platonem.Secundò quædam triangula eſſent ſuperuacua. veluti ſi elemento viginti triangulorum fieret elementum duodecim triangulorum,reliqua octo triangula ſuperfluerent. Tertiò ſecundum hanc ſententiam corpus fit ex non corpore, ſiquidem fit ex ſuperficiebus, quæ non ſunt corpora. Quartò vel elementa ſunt indiuidua: vel quædam corpora,id eſt, partes elementorum,nec ſunt elementa, nec conſtant ex elementis. Nam ſi ignis diuidatur, pars, eius non erit ignis:

ſiquidem ignis eſt pyramis, & pars pyramidis non eſt pyramis. pars igitur ignis nec erit elementum, nec conſtabit ex elementis,ſed erit quiddam elemento,id eſt,igne prius.

31 ¶ Quoniam igitur alię ſententiæ falſæ ſunt, probanda eſt quarta ſententia Ariſtotelis,de qua pluribus agetur in libris de ortu & interitu.

Cap. XII.

Elementa figuris non differre.

Cap. 8. 32 QVidam elementa figuris diſtinguebant ignem namque alii ſphæram eſſe dicebant, alij pyramidem: ærem putabant eſſe ὀκτάεδρον, id eſt, figuram octo baſium:aquam eſſe εἰκοσάεδρον,id eſt,figuram viginti baſium:terram eſſe cubum.

33 ¶ Hæc ſententia ſequentibus argumentis refellitur. Primò ſecundum hanc ſententiam in loco aëris & aquæ eſſet aliquid inane:quia figura octo, vel viginti baſium locum non implet,vt ſciunt mathematici, qui docent inter figuras planas tantùm triangulum, quadrangulum, & hexagonum replere totum, inter figuras autem ſolidas tantùm pyramidem & cubum.Secundò corpora ſimplicia figuram non tam habent à ſeipſis,quàm accipiunt à continente:vt aqua in vaſe rotundo eſt rotunda,in quadrato quadrata.Tertio elementa habent rationem materiæ, & ſuſcipere debent omnes figuras:ergo non habent ex ſe certam aliquam figuram. Quartò hæc ſententia tollit generationem carnis,& oſſis, & ceterorum corporum,quæ continua ſunt,& ex partibus ſimilaribus conſtant.hæc enim neque ex elementis certâ figurâ præditis componuntur,alioqui non eſſent continua: neque ex ſuperficiebus,quia ſecundum huius ſententiæ auctores ex ſuperficiebus non fiunt mixta,vt caro, & os, ſed tantùm elementa. Quintò figuræ elementis aſſignatæ non valēt ad motus elementorum,vt iſti credunt.nam alius motus conuenit ſphærę & pyramidi, nempe volutatio: alius igni, nempe adſcenſus. Sextò,ſi terra ideo eſt cubica, quia non mouetur: etiam alia elementa in ſuis locis erunt cubica, quia naturaliter omnia quieſcunt in ſuis locis.Septimò,ſi ignis (vt iſti autumant) per angulos calefaceret, atque vreret, etiam reliqua elementa calefacerent & vrerent. quin etiam corpora mathematica: quandoquidem

quandoquidem omnia ſunt angulis prædita. Octauò, cùm ignis vrit, ignem facit. ſi igitur ignis eſt pyramis, pyramis pyramidem facit. Nonò malè figuram igni tribuunt tantùm propter vim diuidendi & diſſipandi, cùm magis habeat vim colligendi: ſiquidem per ſe ea quę ſunt eiuſdem naturę coniungit, per accidens verò ea quę ſunt diuerſę naturæ, ſeparat. veluti ſi ramentorum auri, & argenti congeries igni apponatur: aurum cum auro, argentum cum argento cõiungetur: aurum autem ab argento ſeiungetur. Decimò, ſi calidum, id eſt, ignis haberet certam figuram: contrarium, id eſt, frigidum haberet contrariam figuram: quod eſt impoſſibile: quia figuræ nihil eſt contrarium. Si cum nonnullis dicas calidum & frigidum differre, quia illud paruis, hoc magnis partibus conſtat: incides in duo incommoda. Vnum eſt, calidum & frigidum non differre figuris, ſed tantùm magnitudine & exiguitate partium: quod illorum ſententiæ non conuenit. Alterum eſt, magnam pyramidem nec eſſe ignem; nec cauſam calefaciendi, ſed potiùs refrigerandi.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXVIII. DE COELO QVARTVS.

Cap. I.

Dicendum eſſe de graui & leui, quæ vel abſolutè accipiantur, vel in relatione ad alterum ſpectentur.

GRAVE & leue bifariam ſumuntur, id eſt, vel ſimpliciter & abſolutè, vel per relationem ad alterum. Abſolutè graue eſt, quod naturâ deorſum fertur. Abſolutè leue, quod naturâ ſurſum fertur. Graue per relationem ad alterum, ſeu grauius dicitur, quod celeriùs deſcendit. Leue per relationem ad alterum, ſeu leuius dicitur, quod celeriùs adſcendit. Cap. 1.

Cap. II.

Aliorum de graui & leui ſententiæ, earúmque confutatio.

Cap.2. 2 ANaxagoras & Empedocles de graui & leui nihil pronunciarunt. Alij non animaduerterunt ſe tantùm grauius & leuius, non graue & leue definire. Eſt autem inter hęc diſcrimen: quia quod leue eſt, etiam leuius dici poteſt: & quod graue, grauius. ſed contra non quicquid grauius, etiá abſolutè graue dici poteſt: nec quicquid dicitur leuius, etiam abſolutè leue dici poteſt. Etenim leuius dicitur etiam de re graui per comparationem cum re grauiori, vt aqua eſt leuior terrâ, non tamen aqua eſt leuis. & grauius dicitur de re leui, relatione habita ad rem leuiorem, vt aër eſt grauior igni, non tamen aër eſt grauis.

3 Plato ait omnia conſtare ex eadem materia. itaque grauius eſſe, quod ex pluribus triangulis conſtat: leuius, quod ex paucioribus. Platoni oppono. Primò, quod quò maior eſt ignis copia, eò ex pluribus triangulis conſtat: non tamen eſt grauior, immò celeriùs adſcendit, quàm paruus ignis. Secundò maximus ignis ex pluribus conſtat, quàm minimus aër, eſt tamen minimo aëre leuior, non grauior.

4 ¶ Democritus & Leucippus leuius definiunt, cui plus ineſt vacui ſiue inanis. Huic definitioni oppono ſequentia argumenta. Primò nihil vetat, quominùs id, quod habet plus inanis, ſit grauius, dummodò etiam plus ſolidi in ſe habeat. exempli causâ, plus eſt inanis & plus ſolidi in magna auri maſſa, quàm in paruo aëre: hoc tamé aurum eſt illo aëre grauius. Secundò, qui ſic leuius definiunt, non poſſunt commodè definire, quod eſt abſolutè graue. Tertiò magnus ignis celeriùs adſcédit, quàm paruus ignis: & magna plumbi maſſa citiùs deſcendit, quàm parua plumbi maſſa. quod igitur eſt maius, aliàs eſt leuius, aliàs grauius, quamuis plus in ſe habeat tam vacui quàm ſolidi. Quartò, ſi propter inane res leuis ſurſum ferretur, multò magis ipſum inane ſurſum ferretur. ita inane moueretur à loco ad locum: quod eſt perſpicuè abſurdum. Quintò, cùm res, quæ mouetur, ex inani & ſolido conſtet, cur potiùs dicatur inane quàm ſolidum eſſe cauſa motus? præſertim ſi ponamus in re tantumdem ineſſe inanis & ſolidi.

Cap.

CAP. III.

Cur leuia & grauia ſurſum & deorſum ferantur.

5 MOtiuū ad locum ſuperum eſt,quod habet vim efficiendæ leuitatis. Motiuum autem ad locum inferum eſt,quod habet vim efficiendæ grauitatis. Cap.3.

6 ¶ Ferri ad ſuum locum, nihil aliud eſt, quàm ad ſuam formam ferri. Idcirco elementum graue aut leue ad ſuum locum mouetur,tamquàm ad ſuam formam:neque enim eſt perfectum,priuſquàm ad ſuum locum peruenerit. Nam elementum ſuperius quod continet, reſpectu inferioris quod continetur,quodammodo formæ rationem habet.

7. ¶ Elementum igitur per ſe ad ſuum locum mouetur à generante,per accidens à remouente impedimentum, vel ab eo à quo reflectitur,vt pila à pariete.vide 8.Phyſ.c.4.

CAP. IV.

Quatuor eſſe grauium & leuium differentias,ſeu quatuor materias proximas, vnâ communi contentas: proinde quatuor eſſe elementa.

8 SImpliciter graue eſt,quod omnibus ſubſtat: vt terra. Cap.4. Simpliciter leue,quod ſuper omnia eminet, vt ignis. Partim graue,partim leue eſt,quod aliis ſubſtat, & ſuper alia eminet,vt aër,& aqua.

9 ¶ Grauitas & leuitas corporum mixtorum pendet ex grauitate & leuitate corporum ſimplicium.ſic terreſtria ſunt grauia,ignea ſunt leuia.

10 ¶ Ignis eſt tantùm leuis,terra eſt tantùm grauis. aër, ſi conferatur cum igne, eſt grauis:ſi cum aqua, aut terra, eſt leuis.ſimiliter aqua reſpectu ignis & aëris eſt grauis,reſpectu terræ eſt leuis.

11 ¶ Ignis igitur vbique leuitatem, nullibi grauitatem habet. è contrario terra vbique eſt grauis, nuſquam leuis. aër in loco ignis & in ſuo grauis eſt,alibi leuis. aqua in loco terræ eſt leuis,alibi grauis.

12 ¶ Hinc eſt, quòd grauia & leuia alibi aliter ſe habent.ſint enim lignum centum librarum & plumbum vnius libræ in aëre,lignum eſt grauius plumbo,& celeriùs deſcendit:in aqua verò eſt leuius:ſiquidē lignū ſupernatat, plūbum

verò demergitur. Ratio eſt: quia lignum plus habet in ſe aëris, aër autem ſecundùm Ariſtotelem in ſuo loco pondus habet, in aqua eſt leuis. Dixi, ſecundum Ariſtotelem: quia Ariſtoteles putat omnia elementa, igne excepto, in ſuo loco eſſe grauia: ideóque vtrem inflatum plus ponderis habere quàm vacuum. Vide ſect. 21. probl. 19. & ſect. 25. probl. 13. Ceterùm alij teſtantur ſe expertos deprehendiſſe vtrem inflatum eſſe leuiorem pleno: alij verò idem eſſe pondus vacui & inflati. Credibile eſt diuerſitatem harum experientiarum pendêre ex diuerſitate aëris: quia cùm aër non ſit purus, aliàs eſt leuior, aliàs grauior, prout minus vel plus aquæ in ſe continet. quàm differẽtiam etiam in aqua compertam habemus. nam qui aquam ſalubrem quærunt, ſolent eam appendere. vt hac ratione cognoſcant quænam ſit leuior, proinde ſalubrior. Themiſtius quoque ab Ariſtotele diſſentiens, putat aërem in ſuo loco eſſe leuem.

Cap. 5. 13 ¶ Materia grauium & leuium re eſt vna, ratione quadruplex: vnde oriuntur quatuor elementa, quæ in ſe inuicem mutantur. eadem enim materia certo modo affecta ſuſcipit leuitatem ſimpliciter & formam ignis, alio modo grauitatem ſimpliciter & formam terræ, alio leuitatem ſimul & grauitatem aëri aut aquæ conuenientem, vnà cum ipſius aëris vel aquæ forma.

CAP. V.

Figuras rerum grauium & leuium non eſſe principales cauſas motus, ſed concauſas.

Cap. 6. 14 QVæritur, cur ferrum latum ſuper aquam natet, cùm alia minora & minùs grauia, ſi ſint rotunda, vel longa, deorſum ferantur. ſimiliter, cur quædam res graues lata figura præditæ ſuper aërem natent. Democritus ait hoc in aqua ideo euenire, quia vapores calidi attolluntur, quorum magna copia rei latæ occurrens eam ſuſtinet, pauci autem vapores occurrũt rei anguſtæ. in aëre verò inquit hoc minùs accidere, quia licèt in aëre maior vaporum copia attollatur, tamen propter aëris tenuitatem vapores magis diſſoluuntur & rareſiunt, ideóque minùs ſuſtinere poſſunt. Sed hoc eſt falſum: quoniam è contrario leuitas aëris facit, vt vapores

pores magis vniti adſcendant, eò quòd faciliùs ſcindunt & pertranſeunt aërem, quàm aquam. Ariſtoteles igitur aliam rationem affert: ſecundum quem duo ſunt conſideranda, videlicèt corpus deſcendens, & corpus per quod deſcenditur: in eo ſpectatur vis actiua ſcindendi, non enim aliter deſcendit, quàm ſcindens aërem, vel aquam, per quam fertur: in hoc ſpectatur facultas reſiſtendi, & quò maius hoc eſt, eò faciliùs reſiſtit. vnde aër vel aqua faciliùs reſiſtit ponderi lato, quàm rotundo, vel oblongo: quia maior copia à corpore lato ſcindenda eſt: & ſi quidem vis ponderis, id eſt, vis ſcindendi ſuperet facultatem obſiſtentem, res deſcendit: & quò magis ſuperat, eò celeriùs deſcendit. ſin minùs, res ſupernatat. Figura igitur non eſt principalis cauſa motus, ſed cauſa adiuuans, quam concauſam vocant, quatenus figura ad ſcindendum apta motum iuuat, & celeriorem reddit: figura autem lata deſcenſum impedit, aut tardiorem efficit.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXIX.

DE ORTV ET INTERITV PRIMVS.

CAP. I.

Examinantur veterum Philoſophorum inter generationem & variationem diſtinguentium ſententia.

SVPERIORE volumine de corpore ſimplici, quod in cœlum & quatuor elementa diuiſimus, dictú eſt: deinceps de corpore compoſito videamus: cuius propriæ affectiones ſeu propriæ mutationes ſunt, generatio, interitus, auctio, deminutio, & variatio. Cap. 1.

2 ¶ Quamuis autem in hoc opere omnes hi motus ex-

plicentur ? tamen quia plurimus ſermo eſt de generatione & interitu,idcirco hinc ſumpta eſt libri inſcriptio.

3 ¶ Subiectum igitur huius operis eſt corpus naturale mixtum,id eſt,compoſitum ex elementis.Principia eius ſunt ipſa quatuor elementa,ignis,aër,aqua,terra.Proprias eius affectiones iam recenſui axio.1.

4 ¶ Hinc apparet,aliter hic conſiderari elementa,aliter in libris de cœlo.ibi enim erant ſubiecta:hic verò ſpectantur vt principia ſubiecti.

5 ¶ Cùm veterum philoſophorum alij vnum principium ponerent,alij multa:illi generationem & interitum putarũt nihil aliud eſſe quàm variationem:hi verò à variatione ſeiũxerunt,quia variatio vnam materiam requirit, quæ diuerſas qualitates recipiat,ipſi verò ex multis materiis res cõficiunt, vt Anaxagoras ex infinitis partibus ſimilaribus, Democritus ex infinitis atomis,Empedocles ex quatuor elemẽtis, itaque generatio ſecundum hos nõ eſt variatio, ſed eſt materierum cõpoſitio. interitus verò eſt earumdẽ ſeiunctio & diſſolutio.

6 ¶ Immo hac ratione oſtenditur variationem nullam eſſe.quod certè hi fateri coguntur: cùm dicant qualitates, vt calidum,frigidum,album,nigrum,&c. eſſe differentias elementorum,elementa autem in ſe inuicem non mutari,vt ex aqua non fieri aërem, nec ex aëre aquam : proinde non fieri ex albo nigrum,ex nigro album,ex calido frigidum,ex frigido calidum,& cetera quæ variationem efficiunt.

7 ¶ Mirandum porrò eſt, quomodo Empedocles dixerit nullum elemẽtum ex alio fieri, cùm diſcordia ſecundum eius ſententiam elementa ex ſphæro producat. neque enim cẽſet Empedocles elemẽta eſſe actu in ſphæro,& per diſcordiã inde educi,ſed ex ſphæro fieri,cũ antea nõ eſſet:alioquin ſphærus nõ eſſet vnũ quidpiã,vt ipſe Empedocles exiſtimat.

8 ¶ Mirandũ quoque eſt,cur potius ignẽ, aërem,aquam, & terrã,quàm ſphærum,elementa vocauerit: cùm ex ſphæro elementa per diſcordiam,& inuicem ex elementis ſphærum per concordiã fieri aſſerat.

CAP. II.

Examinantur ſententiæ Platonis, & Democriti,atque Leucippi,qui magnitudines indiuiduas ponebant.

Cap.2. 9 IN hac philoſophiæ parte Platonis doctrina imperfecta eſt : quia locutus eſt ſolùm de generatione elemen-

mentorum,non de generatione mixtorum,vt carnis,& oſſis, nec de variatione,nec de auctione & deminutione.

10 ¶ Denique nemo fuit diligentior Democrito. quid enim aliud apud alios reperias,quàm rem acceſſione rei ſimilis augeri? neque autem,quomodo hoc fiat,exponunt, neque de mixtione,neque de actione & paſſione quicquā differūt.

11 ¶ Democritus & Leucippus aiunt res gigni coniunctione indiuiduorum corpuſculorum,interire eorundem ſeiunctione,variari eorundem diuerſa poſitione atque ordine. Vnde,quia putant, quæcumque videntur, vera eſſe, infinita autem ſunt,quæ aliis aliter videntur, vt hæc omnia vera eſſe poſſint,infinitas conſtituunt corpuſculorum illorum figuras, quorum mutatione fit,vt alij alia res videatur.ſic enim res diuerſas inquiunt ex iiſdem principiis componi,vt diuerſas orationes,putà comœdiam & tragœdiam ex iiſdem litteris.

12 ¶ Vt autem Democritus ex indiuiduis corporibus, ita Plato ex indiuiduis ſuperficiebus conſtituit corpora naturalia.quare,etſi vtraque ſententia eſt falſa, & iam confutata. 6. Phyſ.& 3.de cœlo,tamen ſententia Platonis deterior eſt.

13 ¶ Ratio quoque Democriti tolerabilior eſt quàm ratio Platonis. huius enim ratio non phyſica, ſed logica eſt, dum ait, niſi res in ſuperficies indiuiduas reſoluantur, euenire hanc abſurditatem, vt ideæ figurarum, putà idea trianguli, ſint diuiduæ. Democritus autem phyſicè diſſerit, ducens ad abſurditatem,quòd corpora ex punctis,vel ex nihilo conſtēt ſi enim omne corpus diuiduum ſit: ponamus eſſe omnino actu diuiſum:certè nihil ſupererit præter pūcta,aut nihil.Si dicas poſſe quidem actu diuidi,non tamen vnquàm contingere vt omnino ſit actu diuiſum,non tollis difficultatem? quia quotieſcumque conſequens eſt impoſſibile, antecedēs quoque non ſolùm eſt falſum,ſed etiam impoſſibile,quandoquidem poſito eo quod falſum & poſſibile eſt, falſum quidem ſequitur, non tamen impoſſibile. Prior.lib.1. cap.15.part.9.& Phyſ.lib.8.cap.5.partic.11. vnde cùm corpus conſtare ex punctis vel ex nihilo,non ſolùm ſit falſum, ſed etiam impoſſibile,inde colligimus antecedens, ex quo hoc infertur, id eſt, omne corpus eſſe diuiduū,non ſolùm eſſe falſum, ſed etiam impoſſibile.Præſertim autē ratio Democriti valet, ſi (vt ipſe cenſet)generatio fit congregatione, interitus ſegregatione.

14 ¶ Hanc rationem Democriti ſoluens Ariſtoteles, Primò non concedit Democrito, vt ſumat magnitudinem omnino actu diuiſam, ita vt nulla diuiſio ampliùs fieri poſſit: quia ſicuti numerus poteſt ſemper augeri, ita magnitudo poteſt ſemper diuidi: & ſicuti nó poſſumus ſumere omnem numerum actu, ita non poſſumus ſumere omnes partes magnitudinis actu diſtinctas. Quædam enim potentiæ ſunt, quæ numquàm reducuntur ad actum, vt dicitur cap. 13. de interpret. partic. vlt. id eſt, quæ non reducuntur ad totum actu ſimul, ſed ſucceſſiuè, vt euenit etiam in tempore, & motu. nam omnis pars temporis eſt poſſibilis, non ita tamen vt præteritum & futurum ſimul eſſe queant. item motus partes ſimul eſſe non poſſunt, quia motus in fluxu quodam & ſucceſſione conſiſtit. eàdem igitur ratione diuiſio magnitudinis ſucceſſiuè fit in infinitum, nec poſſumus omnem diuiſionem & omnes partes ſimul actu accipere, non magis quàm partes temporis, vel motus. Secundò negat Ariſtoteles res gigni cógregatione, & interire ſegregatione: aliter enim res habet, vt poſteriùs declarabitur.

Cap. III.

An aliquid ſimpliciter generetur, & ſimpliciter intereat.

Cap. 3. 15 HActenus aliorum opiniones excuſſimus: nunc Ariſtotelis ſententiam enarremus. In primis ſciendum eſt, ſimplicem generationem & ſimplicem interitum eſſe, id eſt, ſubſtantiam gigni & interire.

16 ¶ Obiiciet aliquis ens ſimpliciter non gigni ex ente, quia iam eſſet antequàm fieret: neque ex non ente, quia ex nihilo nihil fit: proinde nullo modo fieri. Reſpondeo id ex quo ens ſimpliciter fit, eſſe actu non ſubſtantiam, & non ens, poteſtate verò eſſe ſubſtantiam & ens: quod quidem eſt primum ſubiectum ſeu prima materia, vt primo phyſico expoſitum fuit.

17 ¶ Occurrit hoc loco dubitatio. Nam ſi hoc, quod dixi non eſſe actu ſubſtantiam, ſimiliter non ſit actu quantum, nec quale, nec alicubi: certè eſt quid ſeparatum à rebus ſenſibilibus, immo eſt omnino nihil. Si verò eſt actu quantum, aut quale,

quale,aut alicubi:iam hæc accidentia actu ſubſiſtēt ſine ſubſtantia:quod eſt abſurdum. Reſpondeo non fieri ens in vniuerſum,ſed ex aliquo ente fieri aliud ens, vt ex ouo pullum, adeo vt vnius interitus ſit alterius generatio. Etenim materia prima, ſi per ſe ſpectetur, eſt actu non ens, poteſtate ens: ſed ita non reperitur niſi in noſtro intellectu, per quem à forma abſtrahitur:reipſa autem ſemper eſt ſub aliqua forma, per quam eſt ens actu, & eſt qualis, & quanta: dum autem hanc formam amittit,putà oui,& aliam recipit,vt pulli,illud dicitur interire, hic dicitur generari. Ergo id ex quo res fit, non eſt nihil, ſed eſt ens, non tamen eſt actu id quod fit: vt ouum eſt actu ens, non tamen eſt actu pullus, ſed tantùm poteſtate.

18 ¶ Hinc eſt, quòd generatio & interitus numquàm deficiunt:quia vnius generatio eſt alterius interitus, & contra interitus vnius eſt generatio alterius.

19 ¶ Ergo ſimpliciter res gignitur,cùm ſubſtantia gignitur: & ſimpliciter interit, cùm ſubſtantia interit. Non ſimpliciter autem gignitur vel interit, cum aliquod accidens fit aut perit:vt cum res alba denigratur,album perit,nigrum fit.

20 ¶ Ex dictis conſtat,numquàm aliquid gigni,niſi ex eo quod interit:vt ex ouo nō fieret pullus, ſi maneret ouum: ſed neceſſe eſt,vt forma oui tollatur, & in eius locum forma pulli ſuccedat in eadem materia.

21 ¶ Hoc non ens,ex quo ens fit,non eſt ex duobus contrariis alterum,vt exiſtimauit Parmenides, qui vocabat terram non ens, ignem autem ens: ſed eſt ſubiectum vtrique contrario,id eſt,materia illa,quæ modò recipit formam terræ,modo ignis:hæc igitur materia,ſi per ſe ſpectetur, dicitur non ens,quoniam actu non eſt terra,nec ignis, poteſtate verò eſt vtrumque. ignis autem,& terra ſunt entia.

22 ¶ Neceſſe eſt vnam eſſe materiam eorum quæ ex ſe inuicem fiunt,vt ignis,aëris,terræ. nam ſi quatuor elementorum, quatuor ſeparatæ materiæ eſſent,numquàm alterum ex altero fieret.

Cap. IV.

Diſtinctio generationis, & variationis.

Cap. 4. 23 CVm ſubiecto ſenſibili, id eſt, ſubſtantia, eôdem manente accidens mutatur, vt cùm paries ex albo fit viridis, aut niger, variatio dicitur. cùm autem ipſa ſubſtantia mutatur, vt cùm ex ouo fit pullus, generatio & interitus nominatur. Potiſſimùm autem generatio vocari ſolet, cùm ex minùs ſenſibili fit magis ſenſibile, vt ex aëre aqua. Interitus autem è contrario, cùm ex magis ſenſibili fit minùs ſenſibile, vt ex aqua aër. nam aër minùs ſenſibus percipitur, quàm aqua.

24 ¶ Interdum eadem affectio eſt eius quod interit, & eius quod ex illo corrumpitur: vt cùm ex aqua fit aër, vel ex aëre aqua, in vtroque perſpicuitas ineſt. Intellige affectionem eandem eſſe ſpecie, non numero.

25 ¶ Cùm igitur ſubiecto eodem permanente fit mutatio in quantitate, auctio vel deminutio dicitur: cùm in qualitate, variatio: cùm in loco, latio ſeu motus localis. cùm autem ſubiectum mutatur, generatio vel interitus appellatur.

26 ¶ Quamquàm ei quod in generatione ſubiicitur, nomen materiæ maximè conuenit, tamen aliarum quoque mutationum ſubiectis tribuitur: propterea quòd omni mutationi commune eſt, vt ſubiectum aptum ſit ad contraria recipienda.

Cap. V.

De auctione, & deminutione.

Cap. 5. 27 AVctio & deminutio à generatione differt. I. Generatio ſpectatur in ſubſtantia, auctio & deminutio in quantitate. II. Quod generatur, vt & id quod variatur, non neceſſariò mutat locum: quod verò augetur vel minuitur, neceſſario mutat locum: non ita tamen, vt ea quæ localiter moueri dicuntur. cùm enim aliquod rectà fertur, totum mutat locum: cùm autem globus in orbem vertitur, omnes partes locum mutant, ſed ipſum totum æquali in loco manet: at cùm res augetur vel minuitur, & partes eius mutāt locum, & ipſum totum, quamuis non feratur in aliū locum, tamen

tamen æquali in loco non manet: quia quod augetur, maiorem occupat locum: quod verò minuitur, minori loco continetur. III. Generatione id fit, quod prorſus non erat, vt ex non homine fit homo, id eſt, ex ſemine, quod nõ erat homo actu, ſed poteſtate, fit homo actu: auctione autem non fit ex magnitudine magnitudo: ſed magnitudo incrementum recipit: adeo vt non fiat quantitas ex non quantitate, ſed quod eſt actu quantum, maiorem quantitatem ſuſcipiat. IV. In generatione ſubſtantia mutatur, in auctione & deminutione manet eadem. idcirco cùm ex aqua fit aër, non vocatur auctio, licèt aër maiorem locum occupet, quàm aqua occuparat: ſed eſt interitus aquæ, & generatio aëris. ſimiliter cùm fit ex aëre aqua, non dicitur deminutio, quamuis res in minorem locum coanguſtetur, ſed dicitur interitus aëris, & generatio aquæ. V. In generatione res per ſe mutatur: in auctione verò non mutatur res per ſe, ſed recepta ab eo quod augetur, vt mox docebo axio. 35.

28 ¶ Auctio generationi ſimilis eſt, quatenus ſicut non generatur ſubſtantia vniuerſalis, vt idea, ſed particularis, vt Socrates, ita per auctionem non fit quantitas in genere, ſed certa quantitas, vt octo, vel decem pedum.

29 ¶ Eius quod incrementum ſuſcipit, quæuis pars augetur: & eius quod decreſcit, quæuis pars minuitur. Alioqui totũ nõ diceretur augeri vel minui per ſe, ſed ratione partis.

30 ¶ Res aliquo accedente augetur, & aliquo decedente minuitur.

31 ¶ Quemadmodum non variatur affectio, ſed ſubiectum, quod affectionem recipit: ita non augetur alimentum, ſed id quod alitur, vt animal, & planta.

32 ¶ Primò augentur partes ſimilares, vt caro, & ſanguis: deinde horum merito augentur diſſimilares, vt manus, & pes.

33 ¶ Vtræque augentur ſecundum formam, non ſecundum materiam: quia materia non manet eadem, cùm ſubinde aliquid decedat, ſed forma eadem manet ſub maiori mole, id eſt, ſub maiori materiæ quantitate.

34 ¶ Alimentum itaque nutrit & auget, quia poteſtate eſt id quod alitur & augetur, id eſt, in eius naturam conuerti poteſt: vt cibus & potus in carnem & ſanguinem.

35 ¶ Hæc mutatio non fit alimenti per ſe, id eſt, ſeorſum ab eo quod alitur: ſic enim eſſet generatio & corruptio: ſed alimenti recepti ab eo quod alitur. exempli gratia, animal recipit alimentum, ídque ſibi adiunctum, in ſuam naturam conuertit, ita vt alimentum ex diſſimili fiat ſimile ei quod alitur.

36 ¶ Porrò idem diuerſa ratione alit & auget, vt cibus, quatenus eſt poteſtate caro, alit: quatenus autem eſt caro quanta, auget.

37 ¶ Cur igitur animal, quamdiu viuit, neceſſariò alitur: non tamen ſemper augetur, ſed in pueritiâ augetur, ἐν ἀκμῇ conſiſtit, in ſenio minuitur? Quia ſemper aliquid de animalis materia decedit. quare accedente alimento, quamdiu vis auctrix plus poteſt inde reparare quam amiſſum ſit, animal augetur: cùm autem tantum ex alimento in carnem & ſanguinem conuertit, quantum deperiit, animal in eodem ſtatu conſiſtit: at cum minus reparat, quam amiſit, animal minuitur, donec tandem vi illa prorſus conſumpta, ipſum animal perit.

Cap. VI.

De tactu.

Cap.6. 38 DEinceps dicendum eſt de tactu, de actione & paſſione, & de mixtione: quibus expoſitis, agemus de quatuor elementis, quæ ſunt materia generationis.

39 ¶ Tactus accipitur quatuor modis, quorum alij ſunt priores, alij poſteriores. In prima ſignificatione tactus attribuitur iis quæ habent poſitionem & locum, quorum extrema ſimul ſunt. 5. Phyſ. cap. 5. part. 4. Secunda ſignificatio primæ addit hanc conditionem, vt ea quæ ſe tangunt, ſint motiua & mobilia, id eſt, vt alterum habeat vim mouendi, alterum habeat vim vt moueatur. Tertia ſignificatio continetur ſub ſecũda, quaſi ſpecies ſub genere. vt enim mouere & moueri, latiùs patet quàm agere: (motus enim tum demum vocatur actio & paſſio, cùm variatur tertia qualitatis ſpecies, id eſt, patibilis qualitas) ita ſecunda ſignificatio latiùs patet, quàm tertia, quâ tangere & tangi ea dicuntur, quorum alterum habet vim agendi, alterum patiendi.

40 ¶ Ple-

40 ¶ Pleraque tanguntur ab eo quod tangunt: vt corporibus accidere videmus: ideoque agendo repatiuntur. In quibuſdam tamen res aliter ſe habet. vt intelligentia tangit cœlum, quod mouet, ab eo tangitur, quia nec mouetur. Cœlum quoque tangit ſphæram ignis, nec ab eâ tangitur, quoniam in eam agit, ſed inuicem ab ea non patitur. Item inferius cœlum tangitur à ſuperiori, non ſuperius ab inferiori: quoniam hoc ab illo mouetur, illud verò ab hoc inuicem non mouetur. Simili ratione dicimus rem nos tangere, quæ nos moleſtiâ afficit, eam verò à nobis tangi non dicimus.

Cap. VII.

Vtrum ſimile patiatur à ſimili, an contrarium à contrario: & num omne agens agendo repatiatur: & ad quod cauſa genus paſſio referatur.

41 Agens & patiens, ex plerorumque philoſophorum Cap. 7. ſententia, ſunt contraria: ſecundum Democritum ſunt ſimilia: ſecundum Ariſtotelem, quodammodò idē ſunt, quodammodò differunt & ſunt contraria. Nam I. Sunt idem genere, ſed differunt tamquàm contraria ſub eodem genere contenta: vt color agit in colorem, id eſt, nigrum in album, aut in viride II. Cùm ab initio contraria ſint, poſtea fiunt ſimilia: nam agens aſſimilat ſibi paſſum: vt nigrum ita agit in album, vt ex albo efficiat nigrum. III. Cùm actio & paſſio modo tribuatur ſubiecto, (vt cùm dicimus hominem ſanare, vel ſanari) modò contrariis: (vt cùm dicimus calidum calefacere, ægrotum ſanari) eadem poteſt eſſe agentis & patientis materia ſeu idem ſubiectum, ſed contraria dici non poſſunt idem eſſe.

42 ¶ Plerumque agentia agendo repatiuntur, nempe quæ habēt eandem materiam, vt calor naturalis cibum concoquens. Quæ verò non habent eandem materiam, vt corpora cœleſtia, quæ agunt in hæc inferiora: & multò magis quæ omni materia carent, vt Intelligentiæ, quæ mouent orbes cœleſtes, agendo non repatiuntur.

43 ¶ Agens refertur ad genus cauſæ efficientis: patiens verò ad genus cauſæ materialis.

CAP. VIII.

De modo agendi & patiendi quatuor opiniones.

Cap. 8. 44 PRæter ſententiam Meliſſi & Parmenidis, qui omnem motum, proinde omnem actionem & paſſionem negarũt, tres ſunt antiquorum philoſophorum de modo agendi & patiendi opiniones. Prima eſt opinio Empedoclis exiſtimantis actionem & paſſionem fieri, eò quòd agens per rei patientis meatus in eam ingreditur. Altera eſt Democriti, & Leucippi, qui dixerunt infinita corpuſcula ſolida atque indiuidua per inane ferri: atque horum mutuo contactu res agere & pati, compoſitione generari, ſeparatione interire, ingreſſu per meatus augeri & variari. Nam hi quoque, vt Empedocles, meatus ponunt, per quos agens in patiens ingrediatur, ſed eò diſſentiũt: quòd Empedocles ponit meatus plenos corpore, quod cedit, dum agens ingreditur: Democritus verò & Leucippus ponunt meatus vacuos & inanes. Tertia eſt ſententia Platonis, qui ex principiis indiuiduis omnia componit, vt Democritus & Leucippus: à quibus tamen diſſentit. I. Namque Democritus & Leucippus ea indiuiſibilia dicũt eſſe corpora, Plato autem ſuperficies. II. Illi ponunt figuras infinitas, quia ponunt infinita corpuſcula figuris differentia, hic figuras finitas. III. In generationis modo explicando illi vtuntur vacuo & corpuſculorum tactu: hic ſolo contactu ſuperficierum abſque vacuo, quia vacuum eſſe negat.

45 ¶ Hæ ſententiæ ferè ſunt à nobis iam confutatæ: videlicèt Parmenidis & Meliſſi, primo phyſico: Platonis, necnon Democriti & Leucippi, tertio de cœlo. Sententia Empedoclis hic reprehenditur potiſſimùm duobus argumentis. I. Quia ex eius principiis, quomodo res generentur, intereant, varientur, explicari nequit. II. Quia fruſtra meatus ponit, cùm eos corpore pleno ponat. Non ſatis Empedoclem defendes, ſi dicas meatibus opus eſſe, vt per eos corpus incluſum agenti cedere poſſit. cùm enim corpus vndiquaque ſit diuiſibile, etiam abſque meatibus agens viam ſibi facere, & ad internas patientis partes accedere poteſt.

CAP.

CAP. IX.

Sententia Ariſtotelis de modo agendi & patiendi.

46 MEatus non faciunt, vt res ſit patibilis, ſed vt res, quæ patibilis eſt, faciliùs pati poſſit. Cap. 9.

47 ¶ Vt actio & paſſio fiat, neceſſe eſt, vt duo diſtincta ſint, alterum agens, alterum patiens. Et vt agens vel immediatè tangat patiens, vt ignis comburens lignum: vel mediatè, i. per aliud corpus, quod ſimul patiatur & agat: vt ignis calefacit hominem, quem non tangit, quia ignis calefacit aërem interiectum, & aër calefactus hominem calefacit.

48 ¶ Quod patibile eſt, id non ex parte, ſed in totum eſt patibile. Nec opus eſt, vt actu ſit per poros ſeu meatus diuiſum, vt Democritus, Leucippus, & Plato opinati ſunt, ſed ſufficit poſſe diuidi.

CAP. X.

De mixtione.

49 NOn eſſe mixtionem quidam ita probant: Cùm duo commiſceri dicuntur; aut permanet vtrumque, vt antea fuit, aut alterum interit, aut vtrumque interit: ſed nullo ex his modis eſt mixtio: ergo omnino non eſt mixtio. Reſpondet Ariſteles dari quartum modum, quo mixtio reuerâ fit: nempe cùm vtrumque aliquo modo manet, aliquo modo interit: id eſt, manet poteſtate, non manet actu id quod antea erat: retinet enim vim & poteſtatem, quam antea habebat, ſed vtroque mixto fit actu tertium quiddam. Cap. 10.

50 ¶ Hinc apparet, cùm in elementis tria ſpectentur, materia, forma, & primæ qualitates, vt calor, frigus, humor, ſiccitas, mixta ex elementis ſecundum Ariſtotelem ita componi, vt materia maneat, forma pereat, qualitates quodammodò maneant, quodàmodò pereant. nam contrariæ qualitates à ſe inuicem retunduntur & hebetantur, vt calidum à frigido, & frigidum à calido quare manent in eſſe (vt ſcholaſtici loquuntur) refracto.

51 ¶ Itaque mixtio diſtinguitur. I. A generatione & interitu. Cùm enim lignum ab igne comburitur, nõ dicitur lignum cum igne miſceri: ſed lignum interit, ignis generatur.

II. A nutritione:quia nutritio eſt generatio quædam & interitus.ſiquidem cibus & potus interit, ſanguis autem & caro ex eo gignitur. III. A variatione:quoniam accidentia neque cum ſubiecto miſcentur,vt album cum homine:neque inter ſe,vt album & muſicum,quæ ſunt in eodem ſubiecto.

52 ¶ Nonnulli mixtionem ad ſenſum fieri aiunt,id eſt, cùm rerum quæ miſcentur partes adeo paruæ,vt ſenſu percipi nequeant, iuxta ſe collocantur, ſuam naturam miſcentes: veluti paruæ partes vini,& paruæ partes aquæ. Sed hæc ſententia ab Ariſtotele refellitur tribus argumentis. I.Quia hoc modo eſt compoſitio,quæ a mixtione differt. II. Quia quod mixtum eſt,ex partibus ſimilaribus conſtat:non poſſunt autem dici partes ſimilares,quæ habent diuerſas naturas,vt partes vini,& partes aquæ.III.Quia ſecundum hanc ſententiam idem alij habenti ſenſum obtuſum & hebetem,erit mixtum quia non poterit rerum mixtarum partes ſenſu percipere: alij verò,qui ſenſu valeat,vt Lynceo,non erit mixtum,quia videbit eſſe diuerſas partes.

53 ¶ Alij mixtionem eſſe inquiunt,quando partes minimæ diuerſarum rerum iuxta ſe ponuntur. Hanc ſententiam falſam eſſe conſtat,quia ſexto phyſico probauimus non dari minimam rei diuiſibilis partem.

54 ¶ Vt aliqua inter ſe miſceri poſſint , requiritur , I. Vt conſtent ex eadem materia,& habeant inter ſe contrarietatem aliquam , adeo vt mutuo in ſe agant , & à ſe inuicem patiantur. ideo cœlum cum elementis miſceri non poteſt : quia non conſtat ex eadem materia , & agit quidem in elementa , ſed ab eis inuicem non patitur. II. Vt facilè diuidantur , ſicut aqua , & vinum. III. Vt habeant potentias æquales , aut quaſi æquales : nam ſi alterum ab altero plurimùm ſuperetur . non erit mixtio , ſed alterum interibit , alterum augebitur : veluti ſi gutta vini infundatur in maximam aquæ quantitatem , vini forma deſtruetur , & fiet aqua , nec erit mixtio vini cum aqua.

55 ¶ Faciliùs miſcentur parua quàm magna: vt parum aquæ & parum vini faciliùs miſcentur,quàm multum aquę & multum vini:propterea quòd parua faciliùs mutantur, quam magna:in mixtione autem diximus mutationem aliquam.

rerum fieri,cùm deſinant actu eſſe id quod erant.

56 ¶ Rurſus facilè miſcentur, quæ non ſolùm diuidua ſunt, ſed etiam facilè terminantur, id eſt, quæ facilè in exiguas partes diuiduntur, nempe quæ ſunt humida,non viſcoſa ſeu tenacia.

57 ¶ Cùm duarum rerum altera tantùm habet vim patiendi,mixtio fieri nequit,vt cœli & aëris. cùm autem in altero magna patiendi poteſtas ineſt,in altero parua: difficulter mixtio fit,vt ſtanni & æris: quia ſtannum facillimè patitur,æs autem reſiſtit: proinde ſtannum ferè in nihilum abit, ac tota maſſa ferè eſt ærea: adeo vt videatur æs ſubire rationem materiæ, ſtannum formæ, ac tantùm tribuere æri colorem.

58 ¶ Mixtilia igitur ſunt,quę facilè terminantur,& mutuò agendi & patiendi poteſtatem habent.

59 ¶ Mixtio verò eſt mixtilium variatorum vnitio. Dixi *variatorum:* quia quæ miſcentur,vt antea docui, neque intereunt,neque eadem permanent. Dixi *vnitio:* quia ex duobus mixtis fit tertium quid,vt ex vino & melle mulſum.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXX.

DE ORTV ET INTERITV SECVNDVS.

CAP. I.

De principio generationis materiali.

GENERATIO & interitus ſenſibilibus corporibus attribuuntur: adeo vt eadem ſit materia ſenſibilis corporis,& generationis atque interitus. Non dixi *corpus* ſimpliciter, ſed adieci epithetum *ſenſibile*, vt

ſignificarem corpus naturale, excluſo corpore mathematico.

2 ¶ Hanc materiam alij vnam numero ſtatuunt, alij multas. Qui vnam ponunt, in diuerſas abiêre ſententias. nam alij dicunt eſſe ignem, vt Heraclitus, & Hippaſus: alij aërem, vt Anaximenes: alij aquam, vt Thales, & Hippon: alij medium quid inter aërem & ignem, vt Diogenes: alij medium inter aërem & aquam, vt Anaximander. atque hi omnes philoſophi fuerunt. terram autem ſtatuit Heſiodus poëta. Ij quoque, qui plures materias ponunt, inter ſe diſſentiunt: quatenus alij ſumunt duo elementa, vt Parmenides ignem & terram: alij tria, vt ignem, aërem, terram: alij quatuor, vt Empedocles ignem, aërem, aquam, & terram.

3 ¶ Omnes autem in hoc conſentiunt, vt fateantur prima ſubiecta rectè vocari principia & elementa, ex quibus congregatione & ſegregatione, vel alia ratione tranſmutatis, generatio & interitus accidunt.

4 ¶ Falſa eſt eorum ſententia, qui dicunt vnam eſſe ſubſtantiam, eámque corpoream & ſenſibilem, contrariarum tamé qualitatum, vt caloris & frigoris, leuitatis & grauitatis expertem: quia fieri nequit, vt corpus actu ſenſibile omnibus his qualitatibus careat.

5 ¶ Plato reprehenditur ab Ariſtotele. I. Quia non docuit dilucidè, vtrùm prima materia ſeparetur ab elementis, an neceſſariò ſit cum eis coniuncta. II. Quia hoc principio non vtitur in ſuis diſputationibus. III. Quia non diſtinguit inter ſubiectum generationis, & ſubiectum variationis: ſed vt aurum vocatur, etiam poſtquàm ex eo facta eſt ſtatua: ita primam materiam exiſtimat Plato nomen ſuum retinere, poſtquàm ex ea res genita eſt: immo res veriùs appellari cenſet ex nomine materiæ quàm formæ, verbi gratiâ, verius dici aurum, quàm ſtatuam. Quod autem de materia generationis hoc à Platone falsò dicatur: patet: quia cùm homo ex terra conditus ſit, homo non dicitur, terra, ſed terreſtris. eadem ratio eſt omnium aliarum rerum ex materia genitarum. IV. Quia prima rerum naturalium elementa, in quę poſtremùm res naturales diſſoluuntur, ſunt ſolida: vnde Plato peccat, reſoluens in ſuperficies, quæ ſunt ſolidis ſimpliciores, exiſtimans prima elementa non eſſe ſolida, ſed ſuperficies.

6 ¶ Pri-

6 ¶ Prima rerum naturalium materia, ex qua quatuor elementa conſtant, ſecundum Ariſtotelem non ſeparatur actu ab omnibus formis, & ab omnibus qualitatibus, ſed tantùm per intellectum, cùm reipſa ſemper prædita ſit aliqua forma, & aliqua ex contrariis qualitatibus. Verbi gratiâ, ex aëre fit aqua, id eſt, ex prima materia, quæ habebat formam & qualitates aëris, fit aqua, dum formâ & qualitatibus aëris ſublatis, introducuntur forma & qualitates aquæ.

7 ¶ Tres principiorum gradus Ariſtoteles conſtituit. In primo collocat primam materiam: in ſecundo contrarias qualitates, quibus materia afficitur & præparatur ad recipiendam formam: in tertio quatuor elementa, quæ ex ſe inuicem generantur, quia ex eadem materia conſtant, propriis autem formis & qualitatibus diſtinguuntur. Quoniam igitur de prima materia primo phyſico & tertio de cœlo dictum fuit: nunc de primis contrariis qualitatibus, & de elementis diſſeremus.

Cap. II.

De primis qualitatibus tangibilibus.

8 CVm quæramus primas qualitates corporis tangibilis, eæ ſunt conſiderandæ, quæ ſub tactum cadunt: vt omnibus propoſitis, ex his primas colligamus.

9 ¶ Septem ſunt tangibilium qualitatum contrarietates: vnde quatuordecim qualitates oriuntur: calidum, frigidum: humidum, ſiccum: graue, leue: durum, molle, viſcoſum, aridum: aſperum, læue: craſſum, tenue. His videntur addi poſſe rarum & denſum. ſed hæc ſignificant potiùs poſitionem partium, vt exponam axio. 16.

10 ¶ Ex his omittenda ſunt graue & leue, quæ tantùm ſunt cauſæ motus localis, nec habent vim agendi vel patiendi, id eſt, variandi & miſcendi elementa. nam in præſentiâ quærimus qualitates actiuas & paſſiuas, per quas elementa commiſcentur, & in ſe inuicem mutantur, vt aër in aquam, & aqua in aërem.

11 ¶ Calor & frigus ſunt qualitates actiuæ: humor &

ſiccitas,paſſiuæ. Nam calidum colligit homogenea, & ſeparat heterogenea:vt ignis purgat aurum,colligens partes auri, & ab iis ſeparans alia metalla, quæ commixta erant. Frigidum colligit tam homogenea, quàm heterogenea: vt gelu non tantùm aquam conſtringit, ſed vnà etiam paleas, ligna, &c.coniungit.

12 ¶ Humidum definitur,quod à ſe difficilè, ab alio facilè terminatur. Siccum è contrario definitur, quod à ſe facilè,ab alio difficulter terminatur.

13 ¶ Tenue,viſcoſum,& molle referuntur ad humidum: craſſum,aridum,durum,ad ſiccum.

14 ¶ Humidum & ſiccum accipiuntur tribus modis. I. Quod habet propriam humiditatem,vt aqua,vel ſiccitatem, vt terra. II. Quod in ſe recipit alienam humiditatem, vt terra irrigata,vel ſiccitatem, vt aqua concreta. III. Cui adhæret aliena humiditas,vel ſiccitas,vt lapis & aqua,ſi ſibi inuicem adiungantur. Sed omnia humida referuntur ad primum humidum,quod per ſe humidum eſt:& omnia ſicca ad primum ſiccum,quod per ſe eſt ſiccum.

15 ¶ Aſperum & læue referuntur ad durum, cui addunt poſitionem partium.Nam aſperum eſt durum,cuius aliǫ partes eminent,alio ſuperantur. læue eſt durum,cuius partes ex æquo ſitæ ſunt.

16 ¶ Similiter rarum & denſum referuntur ad molle & durum, & ad leue & graue, quibus addunt poſitionem partium:quia in raro partes ſunt à ſe inuicem remotæ, in denſo propinquæ.Vide 4.Phyſ.cap.13.part.13.

17 ¶ Quatuor igitur ſunt primæ elementorum qualitates: duæ actiuæ, inter ſe contrariæ, calidum & frigidum & totidem paſſiuæ, ſimiliter inter ſe contrariæ, humidum & ſiccum. Has qualitates notauit Ouidius 1.Metamorph. illo carmine.

Frigida pugnabant calidis,humentia ſiccis.


Cap. III.

De numero elementorum.

Cap.3. 18 QVatuor illæ qualitates coniungi quatuor modis poſſunt, adeo vt quatuor ſint primarum qualitatum

tum ſizygiæ:calidum & ſiccum,calidum & humidum, frigidum & ſiccum,frigidum & humidum. Nam calidum & frigidum,ſiccum & humidum coniungi nequeunt.

19 ¶ Merito igitur ſunt quatuor elementa: ignis,calidus & ſiccus: aër, calidus & humidus:aqua, frigida & humida: terra,frigida & ſicca.Hæc eſt Ariſtotelis de numero elementorum ſententia.



Alius typus.



20 ¶ Veterum autem philoſophorum opiniones variæ fuerunt.nam alij elementa infinita ſtatuebant, vt Democritus & Leucippus:alij finita,id eſt, vnum, vel duo,vel tria, vel quatuor.nemo enim plura quàm quatuor poſuit.

21 ¶ Qui vnum elementum ponunt,hoc aiunt eſſe ſubiectum,cui addunt duo principia, rarum & denſum:ſeu calidum quod rarefacit, & frigidum quod condenſat. nam per rarefactionem & condenſationem illius ſubiecti omnia gigni putant.

22 ¶ Parmenides duo ſtatuit elementa, ignem & ter-

ram : ex quibus inter ſe mixtis elementa media generat, aërem & aquam.

23 ¶ Similis eſt ſententia Platonis, qui tria elementa ponit, duo extrema, & vnum medium. Nam ſi hoc medium diuidatur in aërem & aquam, hæc ſententia nihil differret à ſententia Parmenidis.

24 ¶ Empedocles ſtatim ponit quatuor elementa, ignem aërem, aquam, terram, mox tamen ad duo refert, cetera tria vni igni opponens.

Cap. IV.

Elementorum proprietates aliquot.

25 Elementa, quæ ſentimus, non ſunt pura, ſed ſingula habent aliquid ex alio elemento admixtum.


26 ¶ Purum elementum in exceſſu vnius qualitatis conſiſtit: nempe ignis in exceſſu caloris, aër in exceſſu humidi, aqua in exceſſu frigidi, terra in exceſſu ſicci. Itaque ignis eſt magis calidus quàm ſiccus, & eſt omnium elementorum calidiſſimum: aër eſt magis humidus quàm calidus, & eſt omnium elementorum maximè humidum: aqua eſt magis frigida, quàm humida, & eſt omnium elementorum maximè frigida: terra eſt magis ſicca, quàm frigida, & eſt omnium elementorum maximè ſicca. Hæc intellige de qualitatis contentione & remiſſione in ſubiecto, non de actione & virtute. alioqui vt vinum frigidum magis ſtomachum calefacit, quàm aqua calida : ita aqua magis humectat quàm aër, quia eſt aëre denſior, licèt aër ſit naturâ humidior quàm aqua.

27 ¶ Ex puro elemento nihil gignitur.

28 ¶ Quamuis quatuor ſint elementa, tamen duo ponuntur loca, ſuperum & inferum. Nam duo ad locum ſuperum tendunt, ignis & aër: duo ad inferum, aqua & terra. Eſt tamen diſcrimen : quia ignis obtinet locum abſolutè & omnino ſuperum, eodem modo terra infimum : aër autem locum ſuperum ſub igne, & aqua locum inferum ſupra terram, ideóque hæc vocantur elementa media. Vide lib. 4. de cœlo cap. 4.

29 ¶ V-

29 ¶ Vnum elementum vni contrarium eſt ratione qualitatum ſuprà expoſitarum : videlicet ignis aquæ , & aër terræ.



Cap. V.

De mutua elementorum generatione.

30 EX quolibet elemento quodlibet fieri poteſt:propterea quòd elementa,vt oſtendimus, contrariis qualitatibus ſunt prædita,generatio verò è contrario in contrarium fit. Cap. 4.

31 ¶ Elementorum alia dicuntur habere inter ſe ſymbolum id eſt , communem qualitatem, aliam non habere. Symbolum habent, I. Ignis & aër,quia vterque eſt calidus. II. Aër & aqua,quia ſunt ambo humida. III. Aqua & terra,quia vtraque eſt frigida. IV. Terra & ignis, quia vtrumque eſt ſiccum. Symbolum non habent ea, quæ ſuprà diximus eſſe contraria : nempe ignis,& aqua, quorum ille eſt calidus & ſiccus,hæc eſt frigida & humida:necnon aër & terra,quorum ille eſt calidus & humidus,hæc autem eſt humida & ſicca:

32 ¶ In habentibus ſymbolum facilis eſt vnius in

hoc eſt materia prima,quæ non eſt actu corpus ſenſibile. ſuprà axio.4.)nec eſt vnum, vel duo, vel tria ex elementis, ſed æquo omnia quatuor elementa ſunt prima corpora ſenſibilia: quoniam omnium eſt eadem ratio, id eſt, omnia ſunt tranſmutabilia, & ex quolibet elemento quodlibet aliud elementum fit.ſupr.axio.30.

CAP. VII.

Diſputatio contra Empedoclem.

38 HOc loco aliquot Empedoclis errata notemus. I. Negat elementa in ſe inuicem mutari, & nihilominus aſſerit ea eſſe inter ſe comparabilia & æqualia. Atqui comparantur aut ſecundum quantitatem, adeo vt ſint æqualis quantitatis: aut ſecundum proportionem, id eſt, ſecundum potentiam diuerſarum qualitatum, veluti quantum vnum calefacit, tantum alterum humectat: aut ſecundum potentiam eiuſdem qualitatis; vt quia æquè calefaciunt. Si primam comparationem Empedocles accipiat, elementa habebunt communem menſuram: proinde conſtabunt ex eadem materia:(nam quæ eſt menſura interna & per ſe,ex eadem eſt materia, ex qua eſt res quam metitur. 4.Phyſic.cap.19.partic.1.& capite 20.partic. 7.) conſequenter poterunt in ſe inuicem mutari: quod tamen negat Empedocles. Si verò ſecundam comparationem ſumat: quoniam hæc in qualitate ſpectatur, elementa non ſunt dicenda æqualia,ſed ſimilia. Denique ſi tertià comparatione vtatur,elementa habebunt eaſdem qualitates,ſed alia magis,alia minus.verbi gratiâ,alterum erit calidius, alterum minus calidum: poterunt igitur in ſe inuicem mutari, quod Empedocles negat. Expoſitus eſt primus error Empedoclis. II. Non ponit veram auctionem, quæ in animantibus non ſine elementorum mutatione fit, ſed eam tantùm quæ fit additione, ſicut aceruus augetur adiecto alio frumento, & cumulus terræ adiectâ aliâ terrâ. III. Nec explicat,nec explicare ex ſuis principiis poteſt veram naturalis generationis cauſam. IV. Mixtionem elementorum celebrat, quaſi cauſam præcipuam, neglectâ eſſentiâ, quæ eſt longè potior. V. Diſcordiæ tribuit hunc effectum, vt elementa Cap. 6.

ſeparet, ac mundum conſtituat, atque ita malæ cauſæ tribuit optimum effectum, è contrario bonæ cauſæ, id eſt concordiæ, peſſimum effectum adſcribit, nempe mundi ſubuerſionem. VI. Non declarat quomodo concordia & diſcordia ſint cauſæ motus localis. VII. Diſcordiam facit rem naturalem: & concordiam, præter naturam: quoniam illam vult eſſe cauſam motus naturalis, hanc verò eſſe cauſam motus violenti, vt terra per diſcordiam recedit in ſuum locum, qui motus naturalis eſt: & per concordiam recedit à ſuo loco, vt cum aliis elementis miſceatur, qui eſt motus præter naturam. VIII. Variat in cauſa motus localis afferenda: quia modò concordiam & diſcordiam tantùm mouere cenſet, modò motum tribuit caſui, modò naturæ. IX. Ponit concordiam & diſcordiam quaſi primas motus localis cauſas: cùm tamen oporteat eſſe alium priorem motorem, qui ſit cauſa huius varietatis, quòd aliàs concordia mouet, aliàs diſcordia. X. Omnia componit ex elementis: cùm tamen hæc compoſitio non conueniat animæ. Conſtat enim, muſicam, memoriam, obliuionem, & eiuſmodi alias animæ affectiones non eſſe corporales.

Cap. VIII.

Quomodo mixta corpora componantur ex elementis.

Cap. 7. 39 ERrauit inſuper Empedocles in expoſitione modi, quo mixta corpora componuntur ex elementis. putauit enim ita componi, vt ex lateribus & lapidibus fit murus, adeo vt exiguæ portiones elementorum, vt portio aëris, & portio terræ iuxta ſe inuicem collocentur in carne (exempli causâ) conſtituenda. Quę ſententia ſi vera eſſet, non poſſet ex qualibet parte carnis extrahi quodlibet elementum, vt non poteſt ex qualibet parte muri extrahi lapis: ſiquidem vbi ſunt lateres, ibi non ſunt lapides: & vbi eſt aër, ibi non eſt terra.

40 ¶ Ariſtoteles autem pulchrè diſtinguit. Nam ſi elementorum vires ſunt valdè inæquales, id quod eſt imbecillius, in alterius naturam conuertitur. ſin æquales ſint, aut ferè æquales: ex eis fit tertium quid, id eſt, corpus mixtum: quod

quod vel æquè particeps eſt vtriuſque contrariæ qualitatis, vel alterius magis, alterius minùs: putà vel æquè eſt calidum & frigidum, vel magis calidum quàm frigidum. nam contrariæ elementorum qualitates non omnino ſeruantur in mixto, ſed à ſe inuicem eneruatæ & informatæ: ita vt dum corpus mixtum componitur, elementa nec omnino conſeruentur, nec omnino intereant. Hac igitur ratione mixtio differt à generatione & interitu: quia mixtione elementa quodammodò manent, quamuis eneruata ob contrariarum qualitatum concurſum.

Cap. IX.

Quodlibet mixtum perfectum conſtare ex quatuor elementis.

41 Mixtorum corporum alia ſunt imperfecta, quæ ex quibuſdam, non ex omnibus elementis conſtant; vt nubes, grando: alia perfecta, quæ ex quatuor elementis conſtant. Cap. 8.

42 ¶ Ex omnibus autem elementis conſtant, quæcumque ſunt circa mediam mundi partem, vt animalia, & plantæ. Hoc autem probatur primò ſpecialiter & diſtinctè de ſingulis elementis, deinde argumento generaliter pertinente ad omnia elementa. Quod ad ſpeciales rationes attinet. I. Conſtant potiſſimùm ex terra: quia ſunt in terræ loco, tamquàm in proprio loco. II. Conſtant ex aqua: quia hæc terminat, & ſine hac terra non conſiſteret, ſed diſſiparetur, vt arena. III. Ex igne, qui eſt contrarius aquæ: & ex aëre, qui eſt contrarius terræ: quia neceſſe eſt, vt conſtent ex elementis contrariis, vt qualitates elementares in ipſis mixtis ſint fractæ & eneruatæ. Generaliter autem ſic argumentor. Quale eſt alimentum, tale eſt id quod alitur: atqui alimentum eſt mixtum ex elementis: ergo etiam id, quod alitur, ſimiliter mixtum eſt, vt animalia, & plantæ. Hoc argumentum voco generale, non quia pertineat ad omnia mixta, ſed quia pertinet ad omnia elementa.

43 ¶ Obiter notetur inter omnia elementa potiſſimùm igni tribui quòd alitur: quia id quod alitur, eſt forma in materia: quod maximè conuenit igni, proptereà quòd

cùm ſuperiori loco ſit collocatum, cetera elementa continet. nam & forma continet materiam. Ceterùm aliter ignis continet reliqua elementa, aliter forma materiam. & ignis impropriè dicitur ali: quoniam hoc eſt viuentium proprium.

Cap. X.

De cauſis & principiis generationis.

Cap. 9. 44 CAuſa generationis, vt & ceterorũ, eſt quadruplex, materialis, formalis, finalis, efficiens.

45 ¶ Quod ad cauſam materialem attinet: materia eiuſmodi eſt, vt per eam res poſſint eſſe & non eſſe, quia eſt contrariarum formarum capax, ita vt altera forma priuationem alterius contineat.

46 ¶ Forma autem eſt cuiuſque rei eſſentia, quam materia recipit, cùm res generatur: abiicit, cùm res interit.

47 ¶ Præter has duas cauſas requiritur cauſa efficiens: quam veteres, vt Plato, Parmenides, & alij videntur tantùm ſomniaſſe, non expoſuiſſe. Etenim Plato in Phædone nullam aliam cauſam generationis & interitus affert, quàm formam, cuius adeptione res oritur, abiectione interit. Alij ſolam materiam conſiderant, cui tribuunt vim efficiendi. Parmenides verò duo accidentia actiua vnà cum materia poſuit, nempe calidum & frigidum: quorum illud diſſipat, hoc autem congregat. Hæ ſunt tres ſententiæ in præſentia refellendæ.

48 ¶ Sententia Platonis impugnatur. I. Quia ſæpe, etiamſi ſit forma & materia ad eam ſuſcipiendam apta, tamen non eſt generatio, quia ſcilicèt deeſt efficiens. II. Quia in artificioſis, id quod efficit, non eſt forma, ſed eſt efficiens diuerſum à materia, & à forma: vt ſanitatem non efficit ſanitas, ſed medicus: eodem igitur modo fit etiam generatio naturalis.

49 ¶ Secunda ſententia eſt quidem tolerabilior, quàm ſententia Platonis, quoniam huius ſecundæ ſententiæ auctores expreſſè mentionem faciunt cauſæ efficientis. Peccant tamen, I. Quia vim efficiendi tribuunt materiæ. nam re verâ cauſa efficiens à materia eſt ſeiuncta: immò materia patiendi, non efficiendi vim habet: vt lignum non efficit lecti-

lecticam, ſed accipit formam lecticæ ab artifice. II. Quia prætermittunt cauſam præcipuam, id eſt, formam.

50 ¶ Sententia Parmenidis refellitur. I. Quia ſi calidum tantùm ageret: ignis, qui eſt calidus, tantùm ageret, non pateretur: atqui videmus ignem non tantùm agere, ſed etiam pati, vt cùm ab aqua extinguitur: ergo calidum non tantùm agendi, ſed etiam patiendi vim habet. II. Quia accidentia ſunt inſtrumenta efficientis principalis: quod principale efficiens malè eſt à Parmenide prætermiſſum.

51 ¶ Ex ſententia Ariſtotelis motus Solis per Zodiacum eſt cauſa perpetuæ generationis & interitus: nempe Sol accedens ad noſtrum punctum verticale, quod Arabes Zenit appellant, eſt cauſa generationis: ab eodem recedens, eſt cauſa interitus. Cap. 10.

52 ¶ Quocirca naturalis generationis & interitus tempus æquale eſt: nam tempus acceſſus & receſſus Solis eſt æquale. videmus autem Sole accedente multa gigni, vt vere herbarum & animalium varia genera, eodem autem recedente interire. Hic tamen ordo à cœleſti cauſa pendens variat ratione materiæ, quæ aliàs meliùs, aliàs deteriùs affecta eſt ad formam recipiendam, necnon ratione cauſarum particularium. vtputà agricolæ irrigatio efficiet, vt herbæ citiùs naſcantur, & diutiùs durent.

53 ¶ Finalis cauſa generationis eſt, vt res perpetuò ſint, quoad eius fieri poteſt. Cùm enim ea, quæ ſunt à Deo valde remota, perpetuò durare nequeant, Deus perpetua generatione æternitatem ſpeciei his conceſſit. Nam duplex eſt æternitas: altera indiuidui, vt cœli: altera ſpeciei, vt hominis. quia verò illa eſt præſtantior: idcirco in rebus eo modo æternis nulla eſt generatio: ſed quæ res illius æternitatis capaces non ſunt, aliquo modo per generationem & ſucceſſionem perpetuam æternæ redduntur.

CAP. XI.

De continuitate cœleſti motus.

54 QVot ſunt cœleſtes motus, ſeu ſphæræ cœleſtes, quę
1. mouentur, tot ſunt æterni & immobiles motores.

ſed vt omnes aliæ ſphæræ ſub prima comprehenduntur, ita etiam alij motores ſub primo motore continentur.

55 ¶ Quia cœleſte corpus, cum ſit orbiculare, eſt continuum, idcirco efficit motum continuum: hic autem continuus motus eſt cauſa continui temporis: quia tempus non eſt ſine motu, ſed eſt eius numerus & menſura, vt in Phyſicis fuit expoſitum.

CAP. XII.

An quædam neceſſariò futura ſint.

Cap. 11. 56 Alia neceſſariò, alia contingenter fiunt: vt probari poteſt duobus argumentis. Primum ſumitur à diſtinctione verbi *Erit*, & verbi *Futurum*. nam quod verè dicitur fore, neceſſariò erit. quod autem verè dicitur futurum, fortaſſe non erit. Alterum eſt: quia res vel ſunt neceſſariò, vel contingenter: ergo etiam fiunt vel neceſſariò, vel contingenter.

CAP. XIII.

De conſecutionis neceſſitate inter prius & poſterius generandum.

57 A Poſteriùs generando ad priùs generandum valet conſecutio: veluti, ſi domus facta erit, fundamentum iactum erit.

58 ¶ A priori ad poſterius non valet conſecutio, niſi ſupponamus rem neceſſariò fore. Verbi gratiâ, fundamenta iacta erunt, ergo domus conſtructa erit: conſecutio non valet. at verò, pluet, ergo terra madefiet, conſequentia bona eſt.

59 ¶ Hæc neceſſitas arguit generationes circulo fieri, id eſt, in orbem redire, vt ex pluuia madefit terra, ex terra madefacta attollitur vapor, ex vapore gignitur nubes, ex nube fit iterum pluuia, quæ madefacit terram, & ita deinceps res in orbem progreditur, vt etiam ex 2. Poſterior. cap. 12. didicimus. Nam ſi generatio in directum progrediatur: aut non erit perpetua, aut erit infinita: quorum illud ſuprà refutatum eſt: hoc autem poſito tollitur principium generationis, quo ſublato ſequentia non gignentur: ita ge-

neratio nulla erit. Quod dixi, generationem redire in orbem, confirmatur à cauſa eius, id eſt, à motu cœli, qui eſt orbicularis. Nam quia Sol per Zodiacum orbiculariter mouetur, etiam anni tempora, ver, æſtas, autumnus, hyems, in orbem redeunt: proinde etiam rerum generationes & interitus ſimiliter in orbem eueniunt.

CAP. XIV.

Vtrùm omnia eodem modo in orbem redeant.

60 QVæ æterna ſunt, redeunt eadem numero: vt ſolſtitia & æquinoctia, quæ verò non ſemper ſunt, non redeunt eadem numero, ſed ſpecie, vt homines, & cetera animalia.

61 ¶ Quid ergo, cùm ex aëre fit aqua, & iterum ex eadem aqua fit aër. eſtne hic aër idem numero, an diuerſus ab eo qui antea erat? Videtur quidem idem numero, quia eadem eſt numero materia: ſed reuera numero differt: quia prior forma periit, & alia forma ſucceſſit, quę non eſt cum priori eadem numero, ſed ſpecie tantùm. Alia ratio eſt reſurrectionis: quia reſurgentes non ſolùm recipiemus eandem materiam, quam Deus nobis reſtituet, ſed etiam eandem formam, id eſt, eandem animam. Etenim nulla materia in nihilum abit, ſed ſemper manet ſub aliqua forma, vt in ſuperioribus fuit probatum: anima verò intellectiua eſt immortalis, vt ſuo loco demonſtrabitur.

62 ¶ Hactenus de corpore mixto in vniuerſum diſſeruimus: conſequenter de eius ſpeciebus dicendum eſt: & primò de mixtis imperfectis, quæ ex quibuſdam, non ex omnibus elementis conſtant: mox de mixtis perfectis, quæ ex quatuor elementis componuntur.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXXI.

METEOROLOGICORVM PRIMVS.

CAP. I.

Proœmium ea quæ hactenus ſunt expoſita, & quæ deinceps ſunt explicanda, complectens.

Cap. 1. METEOROLOGIA eſt ſermo de meteoris. Meteora propriè dicuntur, quæ in ſublimi fiunt, vt pluuiæ, grando, cometæ; ſed in præſentiâ conſideraturi ſumus omnia mixta imperfecta, quæ ex aliquot, non ex omnibus elementis componuntur; ſiue in ſuperiori loco gignantur, vt ea, quæ modò nominaui, ſiue in inferiori, vt fontes, flumina, maria, terræ motus.

CAP. II.

De meteororum cauſis materiali & efficiente.

Cap. 2. 2 HOrum generalis materia ſunt elementa: efficiens verò eſt corpus cœleſte: quod in elementa agit: propterea quod hic mundus inferior, quem ſublunarem vocant, ſuperiori, id eſt, cœleſti, cohæret, adeò vt ab eo regatur, & gub ernetur.

CAP. III.

De elementorum mutatione, natura, & ordine: cur in ſuperiori aëris parte non gignantur nubes: & quomodo Sol ſit cauſa caloris.

Cap. 3. 3 QVatuor elementa, vt in ſuperioribus libris expoſitum fuit, in ſe inuicem mutantur.

4 ¶ Ter-

4 ¶ Terreſtris globus, qui ex terrâ & aquâ conſtat, multò minor eſt quibuſdam ſtellis.

5 ¶ Supra hunc globum eſt aër: ſupra aërem ignis: ſupra ignem corpus cœleſte, diuerſum à quatuor elementis.

6 ¶ Qui putant cœlum eſſe igneum, falluntur. I. Quia hæc ſententia non eſt demonſtrationibus mathematicis cōſentanea. II. Quia id quod videtur, accipiunt pro vero, putantes Solem & aſtra eſſe puſilla, quia ita nobis videntur. III. Quia cùm maxima ſint cœlorum interualla, ſi omnia eſſent ignea, iampridem omnia alia elementa conſumpta eſſent. IV. Quia meteora ignea, vt ſtellæ excurrentes quæ vocantur, ibi non fiunt. V. Quia Sol, qui maximè videtur calidus, non apparet igneus, ſed candidus.

7 ¶ Supra terreſtrem globum non eſt tantùm aër, quoniam hac ratione aër longè maior eſſet, quàm elemētorum analogia requirat. Etenim ſi ex aquæ portione aër fiat, quam proportionem habet hic aër ad hanc aquam, eandem habere debet totus aër ad totam aquá. Hac ratione etiam oſtenditur, non eſſe tantùm aërem & ignem: quia tam vaſtum eſt ſpatium terram ambiens, vt non poſſit vnum vel duo tantùm elementa continere, quin debita proportio tollatur.

8 ¶ Itaque ſummo loco eſt cœlum: ſub cœlo ignis (ſic enim appellari ſolet, quamuis non ſit propriè ignis: nam ignis eſt caloris exſuperantia quædam, & veluti feruor) ſub igni aër: ſub aëre aqua & terra.

9 ¶ Nubes neque in ſphæra ignis, neque in ſuperiori aëris parte gignuntur, partim ob calorem, qui ibi eſt, nec patitur nubes conſiſtere, partim ob conuerſionem cœleſtem, quæ ſecum rapit ignem & ſuperiorem aëris partem montes ſuperantem.

10 ¶ Calor à corporibus cœleſtibus in his inferioribus fit. I. Quia cœlum, dum circumagitur, aërem ſecum rapit, vnde aër motus incenditur: & quia corpus Solare aërem atterit, quippe quod eſt ſolidum, & mouetur celeriter, neç eſt nimis remotum. Luna verò tardiùs mouetur: reliqua aſtra remotiora ſunt. Ariſtoteles enim ſupra Lunam ponit Solem, vt dictum eſt 2. de cœlo, c. 10. II. Quia ignis cœleſti motu diſſipatur, & deiicitur, atque ita aërem incendit.

CAP. IV.

De flammis ſuccenſis, facibus, capris, & ſtellis diſcurrentibus.

Cap. 4. 11 E Terra à Sole calefacta duplex exhalatio attollitur: altera humida, ex vapore qui in terra & ſupra terram eſt: altera ſicca, ex ipſa terra. hanc diſtinctionis causâ vocabimus habitum: illam, vaporem. Eſt itaque habitus, calidus & ſiccus, vt ignis: vapor, calidus & humidus, vt aër.

12 ¶ Ignearum imaginum materia eſt habitus. Cauſa verò efficiens eſt duplex. Vna eſt, cùm hic habitus ad ſuperiorem partem adſcendens, à cœleſti motu ſuccenditur. Altera eſt cùm ab aëre ob refrigerationem concreto calidum ſecernitur, & extruditur. Ab hac cauſa in inferiori: ab illa in ſuperiori loco gignuntur.

13 ¶ Materiæ verò poſitio & copia diuerſas efficit ſpecies. Nam quæ eſt longa & lata, vocatur flamma. Quæ verò longa eſt, & parum latitudinis habet: ſcintillas quaſdam emittunt (quod ideo fit, quia per partes incenditur) capra nominatur. ſin minùs, fax appellatur. Cùm autem exhalationis longitudines per partes exiguas & frequentes, æqualiſque longitudinis & latitudinis, ſparſæ fuerint, ſtellæ fiunt, quæ proſilire videntur.

14 ¶ Hæ in diuerſas, partes proſilire videntur: quia cùm ex humida exhalatiône concreta & denſata extruduntur, ab ea parte exſiliunt, quæ eſt minùs denſa. plerumque autem in tranſuerſum ferũtur: quia hic motus eſt quodammodò mixtus & naturali & violento. naturaliter enim hæc cùm ſint ignea, ſurſum feruntur: vi autem, quia extruduntur, deorſum feruntur. ergo ex mixtione horum duorum contrariorum motuum fit motus ex tranſuerſo.

15 ¶ Hæc omnia infra Lunam fieri conſtat, ex eo quòd celerrimè moueri videntur. Nam & ea, quæ à nobis iaciuntur, quia non procul diſtant, celeriùs quàm Sol & aſtra, moueri videntur, quamuis longè tardiùs moueantur.

CAP. V.

De hiatu, & cruento colore.

Cap. 5. 16 EX eadem materia fiunt, qui vocantur hiatus ſiue foueæ, & cruenti colores.

17 ¶ Hi non ſunt veri colores,ſed videtur:nec videtur omnes ob eandem,ſed ob duplicem cauſam.Vna cauſa eſt lumen exiguum exhalationis accenſæ, quod per dēſius corpus tranſit. qua ratione etiam aſtra, cùm oriuntur & occidunt, ob humidam exhalationem, per quam eorum lumen ad nos tranſit, punicea videntur. Altera cauſa eſt luminis reflexio ex denſo corpore, quod quia in minutas partes diuiſum eſt, luminoſi corporis tantùm lumen excipit, non etiam figuram.

18 ¶ In ſumma omnes qui non ſunt veri colores (vt hoc obiter addam, ex lucis & tenebrarum ſeu lucidi & opaci inter ſe vel cum veris coloribus mixtione oriuntur, vt in cóllo columbarum in pennis pauonum,& aliis quibuſdam rebus.

19 ¶ Redeo ad cruentos colores,qui exiguo tempore durant,propterea quòd illa materię lumen excipientis conſtitutio citò diſſoluitur.

20 ¶ Cauſa hiatus ſeu foueæ eſt lumen exhalationis accenſæ, quod atro & ceruleo denſi aëris colore interrumpitur.Nam quia quod obſcurius eſt,aſpectum tardiùs mouet: quod verò candidum aut lucidum eſt,magis mouet: idcirco nigrum aut ceruleum albo ac fulgenti colori interiectum, dum remotiùs videtur,imaginem foueæ refert.

21 ¶ Omnino candidum nigro permixtum,varios facit colores.Sed nec ij,qui ad candidum accedunt,interdiu apparent,quoniam Solis,qui candidus apparet,lumine obſcurantur: nec qui ad nigrum vergunt,noctu apparēt,quia tenebris ſunt ſimiles,præter puniceum,qui etſi ac nigrum propè accedit, tamen multum ſplendoris habet, vt facilè in tenebris appareat.

CAP. VI.

Veterum philoſophorum de cometis ſententiæ, & earum refutatio.

22 DE cauſis ſtellarum crinitarum, quas vocamus cometas, quatuor ſunt ſententiæ. Prima Anaxagoræ & Democriti. Secunda Hippocratis Chij, & Æſchili eius diſcipuli: Tertia Pythagoreorum:Quarta Ariſtotelis. Cap.6.

23 ¶ Anaxagoras & Democritus dixerunt cometem eſſe ſpeciem quandam, quæ ex planetarum coniunctione apparet. cùm enim propiùs acceſſerint, vt ſe mutuò tangere videantur, coniunctio illa luminum cometem efficit.

24 ¶ Pythagorei putant cometen eſſe vnam ex ſtellis errantibus, quæ rarò apparet, quia tardè à Sole recedit.

25 ¶ Hippocrates & Æſchilus I. Cum Pythagoreis ſentiunt, cometen eſſe vnum ex planetis. II. Ab eis diſſentiunt, quia non putant comam eſſe vllo modo ſyderis partem, ſed aduentitiam: quia ſydus errando vapores attrahit: qui cùm paulò denſiores ſunt, ab eis quaſi ſpeculo aſpectus noſter ad Solem reflectitur: atque ita inſtar ſpeculi circa ſydus lucent, & comam illam effingunt. III. Hanc ſtellam rarò apparere aiunt, quia plerumque à Sole proximo obſcuratur. cùm enim eàdem ferè celeritate, qua Sol, moueatur, tardiſſimè ab eo relinquitur. IV. Inquiunt hoc ſydus à Sole deſeri tam auſtrum quàm Septentrionem verſus: ſed in Septentrione tantùm apparere, cùm à Sole circa ſolſtitium æſtiuum exiſtente receſſerit, quia ibi tantùm comam accipit. Etenim dum inter duos tropicos vagatur, non poteſt vaporem attrahere, quia vapores ibi à Sole conſumuntur. In auſtro autem copiam quidem vaporum ad ſe trahit, non tamen apparet comatum, licèt Sol ſit in tropico brumali: quia noctu (quo tempore cometes apparere debet) cùm hoc Sydus eſt ſupra horizontem, Sol infra horizontem eſt. quare cùm hoc tempore magna circuli à Sole deſcripti pars ſit ſub horizonte, exigua ſit ſupra horizontem: (quæ cauſa eſt cur noctes ſint longiores) aſpectus noſter non poteſt à vapore illo ad Solem reflecti propter nimiam Solis diſtantiam. Cùm autem ſydus ad ſeptentrionem derelinquitur, Sole circa tropicum cancri exiſtente: tunc & copiam vaporum attrahit, & quia tūc temporis exigua eſt circuli à Sole deſcripti ſub horizonte portio, vt ex noctium breuitate dignoſcitur, adeo vt Sol minùs à vaporibus illis remotus ſit: facilè aſpectus noſter ab eis ad Solem reflectitur, atque ita in iis vaporibus lumen Solis intuemur.

26 ¶ Tres hæ, quas expoſui de cometis ſententiæ, ſequentibus pronunciatis refutantur.

27 ¶ Cometes non eſt vnus è planetis. Hoc probatur,

I. Quia

I. Quia cometæ apparent extra Zodiacum, extra quem planetæ numquam conſpiciuntur. II. Quia interdum plures cometæ ſimul apparent.

28 ¶ Cometes non accipit comam extrinſecùs, quia numquàm apparet ſine coma.

29 ¶ Cometes non fit tantùm ſub ſeptentrione, Sole ad Tropicum cancri exiſtente: quia experientia contrarium docet. interdum enim apparuit in parte occidentali, interdum in auſtrali, interdum Sole exiſtente circa tropicum capricorni.

32 ¶ Coma non arguit cometen eſſe planetam, quiâ interdum etiam ſtellæ quædam fixæ, crinitæ apparent, vt poſt Ægyptios ipſe quoque Ariſtoteles obſeruauit. Immo non arguit eſſe ſtellam, quia coma euaneſcente, plerumque nulla ſtella apparet.

31 ¶ Concurſus ſtellarum non efficit cometen. Hoc probatur I. Ab experientia: quia obſeruatæ ſunt planetarum coitiones tum inter ſe, tum etiam cum ſtellis fixis, ſine cometæ apparitione. II. Quia cùm ſtellæ minima magnitudine ac penè indiuiduę nobis appareant: non poſſunt ſuo concurſu efficere, vt nobis magnum quoddam corpus videatur: ſiquidem indiuiſibilium coniunctio nullam efficit magnitudinem, vt ex 6. Phyſ. cap. 1. didicimus.

Cap. VII.

De cometis ſententia Ariſtotelis.

32 DE cometis & aliis eiuſmodi rebus à ſenſu remotis ſufficit eas rationes afferre, quæ nihil impoſſibile contineant. Cap. 7.

33 ¶ Secundum Ariſtotelem cauſa efficiens cometæ eſt igneum principium à cœli conuerſione manans, quod nec tantum eſt, vt confeſtim amplam materiam conſumat, nec tam debile, vt ſtatim extinguatur, ſed eſt magnum & validum.

34 ¶ Cauſa materialis eſt exhalatio aptè temperata ad ignem concipiendum, & aliquamdiu retinendum.

35 ¶ Duplex eſt ſecundum Ariſtotelem cometarum figura. Alij ſunt rotundi, qui propriè cometæ, ſeu ſtellæ crini-

tæ vocantur, quia vndiquaque comam ſeu crines expanſos habent.alij in longum porrecti, qui Pogoniæ, id eſt, barbati nominantur,quia barbæ inſtar flamma eis dependet.

36 ¶ Qui præter hos nominantur ab aliis auctoribus,ad hos referri debent,vt Lampades, Xiphiæ,Acontiæ,Ceratias, Pithetes, Hippeus. Lampades ſunt ardentibus facibus ſimiles.Acontiæ & Xiphiæ iaculis magno impetu vibratis:ſed Acontiæ ſunt longiores,Xiphię breuiores.Ceratias cornu ſpeciem habet.Pithetes dolio ſimilis eſt.Hippeus equinas iubas circa ſe euntes,& celerrimè motas habet.

37 ¶ Rurſus cometarum alij ſuperiores ſunt,alij inferiores.hi per ſe apparent,& per ſe moueri videntur. illi comam ſtellæ,ſub qua conſtituti ſunt,adiungere,& ſtellæ motu ferri videntur:quia circa ſtellam non aliter apparent,quàm coronæ,quæ halo vocantur,circa Solem & Lunam: niſi quòd halo ob luminis reflexionem apparet:cometa verò ob igneam, ex qua conſtat,materiam fulget : quandoquidem ſæpius per ſe,quàm circa ſtellas apparet.

38 ¶ Quia materia cometæ eſt halitus calidus & ſiccus: idcirco ventos & ſiccitates denunciat: & quò plures aut frequentiores ſunt cometæ, eò magis ventoſa & ſicca tempeſtas eſſe ſolet.Vide Plin.lib.2.cap.25.

39 ¶ Quæritur I. Cur non multi cometę ſimul fiant,ſed plerumque vnus, raro duo, rariſſimè tres. II. Cur etiam vnus raro appareat. III. Cur potiùs extra, quàm intra tropicos gignatur. Ad has omnes quæſtiones ſimul reſpondet Ariſtoteles, duplicem afferens cauſam.Vna eſt motus Solis,& aliorum planetarum per Zodiacum,qui non ſolùm calidum excernunt,ſed etiam diſſipant. Altera eſt, quòd maior copia eius materiæ,ex qua cometæ fieri ſolent, in lactei circuli regionem ad eum generandum cogitur. putat enim Ariſtoteles lacteum circulum ex ſicco halitu conſtare,quaſi magnum quendam & diuturniorem cometem. de qua ſententia ſequenti capite dicetur.

CAP. VIII.

De lacteo circulo.

Cap.8.

40 DE lacteo circulo quatuor opiniones ab Ariſtotele conſiderantur. Prima eſt Pythagoreorum:ſecunda

cunda Anaxagorę & Democriti:tertia quorundam innominatorum:quarta ipſius Ariſtotelis.

41 ¶ Pythagorei cenſent eum lactei circuli locum vel ſyderis alicuius lapſu,vel quòd Sol aliquando illac iuerit, eſſe combuſtum,aut ſimile quidpiam paſſum eſſe,vnde candoris & lactis ſpeciem referat.

42 ¶ Si hæc ſententia vera eſſet,multò magis idem color appareret in Zodiaco,per quem Sol & alij planetæ continuò conuertuntur.

43 ¶ Anaxagoras & Democritus aiunt hoc lac nihil aliud eſſe,quàm lumen quorundam ſydcrum,quæ Sol ob terræ interpoſitionem noctu non adſpicit.nam aliæ ſtellæ,quæ à Sole ſpectantur,non ſuo,ſed Solis ſplendore,à quo propium ſtellarum lumen obſcuratur,fulgent.

44 ¶ Hæc ſententia reprobatur. I. Quia ſi vera eſſet, oporteret lacteum circulum in eodem loco non manere, quandoquidem Sol locum mutans, modo has, modò illas ſtellas non adſpiceret:lacteum tamen circulum ſemper eodem cœli loco videmus. II. Quia,vt Aſtrologi ſciunt, tanta eſt terræ paruitas,& tanta ſydcrum à terra diſtantia, vt terræ vmbra ad ſydera vſque peruenire non poſſit, ſed omnes ſtellæ à Sole adſpiciantur.



45 ¶ Alij dicunt lac eſſe refractionem noſtri aſpectus à lactei circuli ſtellis ad Solem.

46 ¶ Hæc ſententia ab Ariſtotele refutatur duobus argumentis. I. Hę ſtellæ non ſemper æquè diſtant à Sole: & ipſæ tamen & Sol æquè ſemper diſtant à nobis. quare oporteret variari hanc reflexionem, quemadmodum ſpeculo locum mutante, variatur repercuſſio Solis radiorum a ſpeculo: videmus tamen hoc in lacteo circulo non accidere: hoc igitur lac eſt aliud, quàm repercuſſio radiorum Solarium, ſeu reflexio adſpectus à ſtellis ad Solem. II. Lac noctu cernitur in aqua aut ſpeculo, vnde aſpectus noſter ad Solem reflecti non poteſt.

47 ¶ Ex ſententia Ariſtotelis lacteus circulus eſt halitus calidus & ſiccus, multarum & maximarum ſtellarum, quæ in ea ſunt parte vbi ipſum lac apparet, motione ſuccenſus.

48 ¶ Hinc ſatisfacit quæſtionibus, quæ de lacteo orbe moueri poſſunt. I. Cur non apparet ſub Zodiaco? Quia cùm illac planetæ diſcurrant, nimius ibi calor eſt, ita vt halitum omnino diſſoluat & conſumat II. Cur eo loco apparet, vbi eum videmus? Quia multę & magnę ſtellę ſunt, quę poſſunt halitum attrahere: hic autem locus recedit à Zodiaco, ita vt halitus à planetis non diſſipetur. III. Cur lacteus circulus eſt perpetuus, cùm cometę, qui eodem modo gignuntur, raro appareant? Quia ſemper halitus adſcendit, & perenni ſtellarum motu perpetuò accenditur. huc autem halitu tranſlato, raro ſupereſt materia, & qua cometæ fiant. Itaque magnitudine tantùm & duratione lacteus orbis differt à cometa circa aliquam ſtellam apparente.

49 ¶ Hæc quoque ſentētia (quod pace Ariſtotelis dictum ſit) falſa eſt, & meritò ab ipſis quoq; Peripateticis improbata. I. Namque ſi lacteus orbis eſſet exhalatio quædam, variationem admitteret, vt cometæ, nec ſemper eodem modo appareret: cùm quia Sol & alij planetæ modò propiùs, modò longiùs abſunt à Septentrione, & à lacte: proinde propiùs accedentes, materiam orbis lactei, ſi non omnino, ſaltem ex parte aliqua diſſiparent: tum etiam quia conſtat, ea, quæ in ſuprema aëris parte gignuntur, à ſtellis derelinqui, nec eâdem celeritate moueri: atqui perpetuò lacteus orbis eſt idem, & apparet idem, nullâ ſui parte vel minimam recipiens ſiue reipſa ſiue in aſpectu mutationem: non eſt: igitur

igitur exhalatio ſicca ſub orbe Lunæ accenſa. II. Hæc exhalatio,ſi ſub ſtellis eſſet, quaſdam ſtellas aliis occultaret, aliis minimè,vt nubibus accidere videmus. Quin etiam planetas tegeret, cùm ad eam Zodiaci partem, quæ lacteo circulo ſecatur, peruenirent: aut ſi planetæ lumen tranſmitterent,certè eo colore infici viderentur:quorum neutrum fieri cernimus. III. Si tanta exhalatio perpetuò à terra & aqua attolleretur, iampridem terreſtris hic globus eſſet abſumptus.

50 ¶ Fabuloſæ lactei circuli expoſitiones hæ ſunt. Prima Pythagoreorum,locum eſſe in cœlo vel lapſu alicuius ſyderis,vel à Sole combuſtum. Manilius:

An melius manet illa fides per ſecula priſca,
Illa Solis equos diuerſis curribus iſſe,
Atque aliam triuiſſe viam,longúmque per æuum
Exuſtas ſedes,incoctáque ſydera flammis,
Ceruleam verſo ſpeciem mutaſſe colore.

Huc refer etiam fabulam Phaëtontis. (Ouidius 2. Metamorphoſ.

At cœli miſerere tui,circumſpice vtrimque
Fumat vterque polus)

Secunda Eratoſthenis,Iunonem inſciam Mercurio lac præbuiſſe:cùm autem eum Maij filium eſſe intellexit,eum reieciſſe: ita lac Iunonis profuſum inter ſydera iacere. Tertia, Iunoni dormienti Herculem appoſitum,& ab ea expergefacta reiectum;ſimiliter lac profuſum fuiſſe.Manilius,

Nec mihi celanda eſt famæ vulgata vetuſtas,
Mollior è niueo lactis fluxiſſe liquorem
Pectore reginæ diuûm,cœlúmque liquore
Infeciſſe ſuo quapropter lacteus orbis
Dicitur,& nomen cauſa deſcendit ab ipſa.

Quarta Herculem nimio lacte accepto, id ore profudiſſe. Quinta,Opem,cùm lapidem pro partu Saturno attuliſſet,lac dare iuſſam,mammam preſſiſſe,ita profuſo lacte circulum ſignaſſe. Sexta, cœlum è duobus hemiſphæriis eſſe compactum: & eo loco vbi coagmentatum eſt, claritatem videri. Vnde Manilius,

An coëat mundus,duplicíſque extrema cauernæ
Conueniant,cœlique oras & ſydera tangant,

Pérque ipſos iungat nexus manifeſta cicatrix,
Fiſſuram faciens mundi,ſtipatus & orbis
Aëriam in nebulam clara compagine verſus.

Septima Diodori & Poſſidonij, lacteum orbem nihil aliud eſſe,quàm ignem concretum, ideóque videri, cùm reliquus ignis ob tenuitatem nimiam non appareat: hunc autem ignem ait Poſſidonius ſolidiorem effectum eſſe, vt ſeptétrionalem partem, alioqui nimis frigidam, ſuo calore temperaret. Octaua Empedotimi, hanc eſſe viam, quâ animæ ex inferno ad cœlum adſcendant,& per quam obambulent. Nona Ouidij 1.Metamorph. hanc eſſe viam ad Iouis regiam, in qua via poſita ſunt Deorum domicilia.

Eſt via ſublimis,cœlo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet,candore notabilis ipſo:
Hac iter eſt ſuperis ad magni tecta tonantis,
Regalémque domum.dextra,læuáque Deorum
Atria nobilium valuis celebrantur apertis.
Plebs habitat diuerſa locis:à fronte potentes
Cœlicolæ clarique ſuos poſuère penates.
Hic locus eſt,quem ſi verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixiſſe palatia cœli.

Decima,hanc eſſe heroum ſedem.vnde Manilius,

Altiùs ætherei qua candet circulus orbis,
Illa Deûm ſedes,hæc illi proxima Diuûm,
Qui virtute ſua ſimiles veſtigia tangunt.

51 ¶ Reliquæ ſunt duæ ſententiæ probabiles. Vna eſt, lacteum orbem nihil aliud eſſe, quam multarum minimarum ſtellarum in octaua ſphæra inhærentium, & parum inter ſe diſtantium, adeo vt interuallum à nobis diſcerni nequeat, lumen inter ſe commixtum & confuſum. Altera eſt,partem cœli,in qua lacteus circulus apparet, eſſe minùs denſam, quàm aſtra, denſiorem autem, quàm reliquas cœli partes, ideóque ex repercuſſione luminis, quod tam à Sole quàm à ſyderibus candorem accipit, candorem illum præ ſe ferre. Hanc poſtremam ſententiam veriſſimam eſſe puto.

52 ¶ Itaque lacteus orbis latitudinem habet, vt Zodiacus,quem in ſagittario & geminis ſecat. Vt autem quædam Zodiaci ſigna tangit, ſic præterea ſyderum imagines haſce

haſce complectitur, Caſſiopeam, cygnum, aquilam, aram, centaurum, nauim Argiuam, quæ Argo vocatur, Heniochum, Perſeum, vt Manilius, arâ prætermiſſâ, cecinit libr. 1. Aſtronomic. his carminibus, deſcriptionem Zodiaci ſequentibus.

Alter in aduerſum poſitus ſuccedit ad Arctos,
Et paulùm à Boreæ gyro ſua fila reducit,
Transitque inuerſæ per ſydera Caſſiopeæ:
Inde per obliquum deſcendens tangit olorem,
Aeſtiuóſque ſecat fines, Aquilámque ſupinam,
Temporáque æquantem gyrum, Zonámque ferentem
Solis equos, intra caudam qua ſcorpius ardet,
Extremámque ſagittari læuam atque ſagittam.
Inde ſuos ſinuat flexus per crura pedéſque
Centauri alterius. rursúſque aſcendere cœlum
Incipit, Argiuámque ratem per aplustria ſumma,
Et medium mundi gyrum, geminóſque per imum
Signa ſecat: ſubit Heniochum: téque inde profectus,
Caſſiopea, petens, ſuper ipſum Perſea tranſit,
Orbémque ex illa cœptum, concludit in illa.

CAP. IX.

De pluuia, nube, & nebula, rore, pruina, niue, & grandine.

53 DIctum eſt de iis, quę in ſuperioris aëris parte, id eſt, ſupra montium ſummitates accidũt: iam dicamus de iis, quæ in inferiori parte aëris accidunt, vt pluuia, nube, nebula, rore, pruina, niue, & grandine. Cap. 9.

54 ¶. Horum omnium communis cauſa efficiens eſt motus Solis per Zodiacum.

55 ¶ Nubes ita fit: Cùm terreſtris globus in medio mundi conſtitutus permaneat, ex eo humor à Solis radiis & ſuperno calore in vaporem conuerſus adſcendit. caloris enim proprium eſt, attenuare, & rariora corpora efficere, ac leuiora: vt accidit aquæ in lebete calefactæ. ergo humor calefactus & rarefactus conſcendit. Duplex autem eſt calor, qui vaporem attollit: alter eſt ſupernus calor, qui vaporem efficit: alter eſt exhalationis calidæ & ſiccæ, à qua vapor non eſt omnino ſecretus. hic igitur

duplex calor vaporem in ſublime tollit, eúmque comitatur, donec aliquantò remotus ſit vapor à terra. ibi verò eum deſerit. nam ſuperus calor ad altiorem locum adſcendit: exhalationis autem calor à loci frigore extinguitur. ita vapor vtroque calore deſtitutus concreſcit, & in nubem vertitur.

56 ¶ Sciendum porrò eſt, ex duabus nubem conſtare partibus: quarum altera eſt tenuior & humidior, altera craſſior & ſiccior.

57 ¶ Cùm humidior pars facilè in aquam, id eſt, pluuiam vertatur: altera pars ob ſiccitatem non poteſt in pluuiam conuerti, & propter grauitatem deſcendit, ac locum terræ proximum occupat. Hæc eſt, quam nebulam vocamus.

58 ¶ Fit tamen nebula, non ſolùm ex nube, vt modò expoſui, ſed etiam ex vapore: quia dum vapor in nubem vertitur, ea vaporis pars, quæ in nubem denſari nequit, nebulam facit.

59 ¶ Ex dictis conſtat, nebulam eſſe potiùs ſerenitatis, quàm pluuiæ argumentum. Quandoque tamen ſecus videtur: quia cùm nebula vi Solis orientis attollitur, ſimul etiam extrahitur vapor, qui deinde in pluuiam vertitur, vt ſuprà expoſui.

60 ¶ Si pluuia exiguis partibus decidat, gutta nominatur. ſi maioribus & plenioribus, imber vocatur.

Cap. 10. 61 ¶ Ros & pruina fiunt ex vapore, quem diurnus exiguus calor in locum minùs ſublimem tollere potuit. quare noctu congelatus deſcendit. Et ſiquidem ipſe vapor priùs congeletur, quàm in aquam vertatur, pruina eſt. ſin poſtea, ros vocatur.

62 ¶ Pruina fit potiſſimùm hyeme, & in regionibus frigidis. ros autem in cœli temperie, & locis temperatis magis gignitur.

63 ¶ Vtrumque fit nocte ſerena & tranquilla: quia niſi ſudum ſerenúmque fuerit, vapor non attolletur. ſi ventus ſpiret, vapor non conſiſtet.

64 ¶ Hæc non procul à terra fieri patet: quia non fiunt in locis paulò altioribus, etiamſi ibi pluat. Cauſa duplex affertur. Vna: quia vapor ex locis humilibus & aquoſis in

ſublime à calore attollit: adeo vt calor, quaſi qui ferat pondus ſuis viribus maius, non poſſit vaporem vlteriùs tollere. Altera: quia aër in locis editioribus maximè fluitat, & agitatur, ideóque huiuſmodi vaporem diſſoluit ac diſſipat.

65 ¶ Vt pluuia rori, ita nix pruinæ proportione quadam reſpondet. nam eodem modo fiunt pluuia & nix in ſuperiori regione, ros & pruina in inferiori. Cap. 11.

66 ¶ Non tantùm autem loco, ſed etiam quantitate pluuia rorem, nix pruinam ſuperat: quoniam ſuperiora illa in amplioris aëris regione, & ex maiori halitus copia fiunt: hæc inferiora anguſtiori loco, & ex pauciori materia generantur.

67 ¶ Vt igitur pruina eſt vapor concretus: ita nix eſt nubes, quæ frigore concreuit. Quocirca nix indicat vel regionem, vel tempeſtatem eſſe frigidam. cùm enim calor, qui humorem in vaporem conuerſum ſuſtulit, omnino in nube extinctus non ſit, ſed multus adhuc maneat: certè nubes non poſſet ſine multo frigore concreſcere.

68 ¶ Grando in eadem regione aëris fit, in qua pluuia & nix: ſed nihil eſt, quod ei proportione in inferiori parte reſpondeat, vt pruina niui, & ros pluuiæ. Cap. 12.

69 ¶ Quamuis grando ſit glacies quędam, tamen contra quam accidat in glacie quæ in hyeme fit, vere & autumno potiſſimùm gigni ſolet, interdum æſtate, raro hyeme, tūc ſcilicèt, cùm minor eſt frigoris vis

70 ¶ In temperatis regionibus grando, in frigidis nix generatur.

71 ¶ Cùm grando ſit glacies quædam, dubitatur, quomodo poſſit aqua in loco ſupero conglaciari. Aut enim antequàm fiat, aut poſteaquàm facta eſt, conglaciatur. Sed antequàm fiat, qui poteſt congelari? Poſteaquàm verò facta eſt confeſtim deſcendit, & ne tantillum quidem temporis in pendenti manet. vnde non videtur poſſe in ſublimi concreſcere. Nec dicere poſſumus: vt exiguæ guttæ pluuiæ in aëre gignuntur, & deſcendendo augentur & magnæ fiunt; ita grandinis exiguas guttas gigni, & in deſcenſu augeri: quia concreta non poſſunt vt liquida coaleſcere.

72 ¶ Cauſa grandinis ſecundum Anaxagoram eſt frigus aëris ambientis, cùm nubes in eam aëris regionem per-

uenit,quæ frigida eſt,eò quòd remotior eſt à terra, quàm vt reflexio radiorum Solarium eò peruenire poſſit. Secundum Ariſtotelé autem,quia grando ex tam alto loco nō decidit,eius cauſa eſt antiperiſtaſis, id eſt, calor aëris ambientis, qui efficit,vt nubis frigus contractum,eam in aquam vertat,&,ſi magnum ſit frigus,etiam conglaciet.Hinc eſt,quòd maiores guttæ maioréſque imbres æſtate fiunt, quàm hyeme, quia ſcilicèt æſtate maior eſt calor circumfuſus: propterea maiorem vim habet antiperiſtaſis, & frigus magis coarctatur atque vnitur.

73 ¶ Ad dubitationem 71. axio. propoſitam ſic reſpondetur:Aqua propter grauitatem deſcendit, & propter frigus concreſcit.cùm igitur maior eſt vis grauitatis quàm frigoris, aqua celeriùs deſcēdit quàm vt poſſit concreſcere. ſed cùm vehemens eſt frigus, adeo vt vim grauitatis ſuperet, congelatio deſcenſum anteuertit: ſic aqua concreta deſcendit, quam vocamus grandinem.

74 ¶ Quò propiori terræ loco, & quò celeriùs generatio pluuiæ & grandinis fit, eò maiores guttæ, & maiores grandines decidunt.quò verò ex altiori loco cadunt,eò magis guttæ diuiduntur,& grandines colliduntur.Hac de cauſa cùm magnæ guttæ ſunt,raræ cadunt:cùm autem diuiduntur,ſpiſſiores apparent.

75 ¶ Calor non tantùm eſt cauſa congelationis,quatenus circumfuſus efficit, vt frigus contrahatur, ſed etiam celeritatis, id eſt, cur pluuia celeriter concreſcat, ita vt citiùs concreſcat, quàm cadat: aqua enim calida citiùs concreſcit, quàm frigida:quia calore rarior fit,adeo vt faciliùs frigus recipiat. Quocirca ſolent,qui aquam refrigerare volunt, eam priùs Soli exponere. & Ponti accolæ, qui, cùm piſcantur,ad firmandos calamos glacie pro plumbo vtuntur, aquâ calidâ arundines perfundunt.

76 ¶ Ex dictis intelligi poteſt, cur in Arabia & Æthiopia æſtate potiùs quàm hyeme pluuiæ generētur,eæque impetuoſæ, ac ſæpe eodem die: nimirùm propter antiperiſtaſim,quam vehemens regionum illarum æſtus efficit.

CAP.

CAP. X.

De ventis, fluuiis, & fontibus, aliorum ſententiæ examinantur.

77 ETſi ventus propriè dicitur, qui nomen habet, vt Eurus, Aquilo, flatus, qui nomine caret: promiſcuè tamen his vocabulis vtar. Cap. 13.

78 ¶ Anaximander, Hippocrates lib. de flatibus, & Stoici putant ventum nihil aliud eſſe, quam aërem motum, ſiue aëris motionem: proinde cùm vnus ſit aër, vnum etiam eſſe ventum, licèt diuerſi venti videantur, quia ex diuerſis partibus emittuntur. ex eodem verò aëre concreſcente fieri nubem, & aquam, ideóque eandem eſſe aquæ & ventorum materiam. Secundum quam ſententiam, ſicut omnes venti ſunt vnus ventus, ita etiam oportet omnia flumina eſſe vnum flumen.

79 ¶ Fluminum enim originem hanc eſſe putant, quòd aquâ ſolaribus radiis ſublatâ rurſum pluit, atque hæc cœlo delapſa pluuia in terræ cauernis colligitur, vnde fluuij ſcaturiunt. aquam verò ſub terra gigni negant.

80 ¶ Hanc igitur eſſe cauſam exiſtimant, cur omnes hyeme maiores fluant, quia ſæpiùs pluit, quàm æſtate.

81 ¶ Hinc etiam rationem afferunt, cur alia flumina ſint perennia, alia minimè. Nam ſi aquæ receptaculum, ex quo flumen promanat, amplum & capax ſit, tanta aquæ copia per hyemem ibi colligitur, vt non priùs æſtate abſumatur, quàm nouæ ſequentis hyemis pluuiæ ſuperueniant, quæ iterum locum implent. ſi verò receptaculum ſit anguſtum, æſtate euacuatur, ac curſus fluminis ceſſat, donec nouis pluuiis aqua iterum eodem colligatur loco.

82 ¶ Huius ſententiæ abſurditas ex eo apparet, quòd tâta ſingulis diebus aqua profluit: vt eius conceptaculum vel tota terra maius eſſe oporteat, vel certè parum abſit quin maius ſit. Quare etſi huiuſmodi cauernæ in multis terræ partibus reperiuntur, tamen quæ eſt in iis aqua, non poteſt fluminibus ſufficere.

CAP. XI.

De fluminum ortu.

83 ARiſtoteles duplicem ortus fluminum cauſam ponit. I. Namque in locis ſubterraneis propter

corum frigus aqua gignitur eodem modo,quo pluuia in loco ſupero. II. Aqua pluuia à montibus per minutas partes excepta,ex iis deſcendens augetur diuerſarum partium coniunctione. Adeo vt quamuis aqua etiam ex terrę cauernis profluat, (neque enim hoc eſt negandum) tamen ibi non ſit ponenda prima aquę origo,ſed ex montibus deſcẽdat.Quod confirmatur, I. Quia qui aquęductus ſtruunt,aquam ex altioribus locis deducunt. II. Quia pleraque & maxima flumina è montibus deriuari conſtat. III. Quia fontes ſunt montibus vicini,in locis autem planis pauci ſunt ſine fluuiis. IV. Quia paludes quoque, ex quibus flumina manant, excelſis locis proximę ſunt.In montibus igitur origo fluminum conſtituitur,quatenus montes,tanquàm magnę quædam quaſi ſpongiæ,locis humilibus impendentes,aquam de cœlo receptam ad inferiora loca demittunt.& vaporem egredientem refrigerantes,in liquorem cogunt.

84 ¶ Huic ſententiæ non aduerſatur,quod ait Eccleſiaſtes cap.1.ver.7: Omnia flumina in mare fluere,nec mare impleri, ſed flumina eò redire vnde diſceſſerunt, vt iterum ad mare reuertantur. Nihil enim vetat,quominùs ita interpretemur, & dicamus flumina ad ſuos fontes redire, non per loca ſubterranea, ſed quatenus in vaporem & pluuiam conuerſa, à montibus excipiuntur,& ad cauernas ſubterraneas tranſmittuntur.Quamquàm vt ſimplicior,ita fortaſſe verior interpretatio erit,ſi dicamus aquam in mari collectam percolari, & per ſubterraneos meatus ad terræ cauernas redire: quia cùm mare procul à litoribus altiùs ſit quàm terra, nihil prohibet aquam è mari etiam ad montes peruenire. Ceterùm pluuia cur potiùs excipitur à montibus, quàm à mari? quod ſi ob ſuam latitudinem facilè ſiccatur, vt Ariſtoteles ait,etiã multum pluuiæ in ſe recipere immediatè poteſt.Et cur non poſſimus Ariſtoteli obiicere,quod ipſe antiquis obiecit, pluuias non ſufficere ad tantam aquæ copiam ſuppeditandam,quanta continenter fluit?

85 ¶Quoniam autem flumina quædam ſe condunt & abſorbentur,& alibi iterum erumpunt, argumento eſt, in terra cauernas eſſe aquam recipientes. Exempli cauſâ,Tigris,Rhodanus,Eridanus terram ſubeunt,& alio loco emergunt. Item Licus & Eraſinus,de quibus Ouid.15.Metamorph.

Sic

Sic vbi terreno Lycus eſt epotus hyatu.
Exiſtit pulcher hinc, aliòque renaſcitur ore.
Sic modo combibitur, tacito modò gurgite lapſus,
Redditur Agricolis ingens Eraſinus in vndis.

Idem magno cuidam ad montem Caucaſum ſtagno, quod propter magnitudinem ab accolis mare vocatur, cùm propriè mare dici non poſſit, quia dulcem aquam continet. (alij paludem Marotidem, alij mare Caſpium eſſe putant) accidere Ariſtoteles auctor eſt. ex multis enim ingentibus fluminibus collectus, non habet exitum, ſed aqua, quæ effluere non poteſt, terram ſubit, & occulto fluxu ad loca Ponti peruenit, quæ propter immenſam profunditatem Bathea nominantur. ibi longè à continenti trecentis ferè ſtadiis tripartitò in mare influit. Adde Plinium lib. 2. c. 102.

Cap. XII.

De locorum aridorum & aquoſorum mutatione.

86 Aridi & ſicci tanta mutatio fit, vt neque flumen Cap. 14. vllum ſecundum Ariſtotelem, neque mare, neque arida perpetuò maneat eodem loco. Quamquàm hoc in maribus, & magnis fluminibus non apparet, quia tam longò temporis tractu horum mutatio fit, vt hominum memoriam ſuperet. Hæc ſententia probatur I. Ex mutationibus, quæ apparent. quædam enim loca nunc habitantur, quæ olim fuerunt maria: & quædam ſunt occupata à mari, quæ olim habitabantur. II. Ab æternitate temporis. nam ſi tempus æternum ſit, vt Ariſtoteles cenſet, probabile eſt, nihil eſſe in hoc terreſtri globo, quod perpetuò duret in eodem ſtatu.

87 ¶ Cauſam igitur huius mutationis ab aliis allatam, quia vniuerſum eſt genitum, & eſt interitui obnoxium, Ariſtoteles reiicit, quia putat mundum eſſe æternum, ex terræ autem & aquæ, quæ eſt minima mundi portio, mutatione non debet vniuerſi mutatio colligi. Ipſe cauſam refert in naturam terreſtris globi, & cœli motum, per quem modò exſiccationes magnæ fiunt, vt tempore Phaëtontis, modò cataclyſmi & aquarum diluuia, vt Deucalionis tempore: globus autem terreſtris hoc patitur, quia terræ

partes,vt animalia & plantæ, iuuentuti & ſenio ſunt obnoxiæ.Sed in eo eſt diſcrimen, quòd animal aut planta in totum iuueneſcit ac ſeneſcit,terrã verò per partes.

88 ¶ Has igitur in terreſtri globo mutationes Ariſtoteles naturâ certis temporibus,quæ tamen ipſe non definit, fieri cenſet. Sed verius eſt, mundum, quem ſacræ literæ docent ante certum annorum numerum à Deo creatum eſſe, non tamdiu duraſſe, vt maria, aut ingentia flumina, veluti Tanais aut Nilus,locum mutarint Cùm enim a Moſis tempore ad noſtram vſque ætatem eodem loco manſerint, non eſt credendum ea locum mutaſſe breuiori illo tempore, quod à creatione mundi vſque ad Moſis ætatem fluxit. Vniuerſale autem diluuium,non vi naturali, ſed Dei iuſto iudicio factum eſſe conſtat,vt hominum peccata punirentur: ſed in poſterum id numquàm futurum, ipſe Deus eſt pollicitus, & huius promiſſionis ſignum, in nubibus arcum eſſe voluit.Sed cùm hæc theologica ſint, nos ad philoſophica & Ariſtotelica conuertamus.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXXII.

METEOROLOGICORVM SECVNDVS.

CAP. I.

Antiquorum opiniones de maris origine,& obiter de eius ſalſedine.

Cap.I. PRISCORVM philoſophorum de mari ſententiç ab Ariſtotele relatæ,quatuor ſunt. I. Theologi mari fontes tribuunt, aiúntque mare eſſe non exiguam mundi portionem,ſed præcipuam,cuius gratiâ cœlum,vt ipſum ambiat,ſit conſtitutum. II. Anaximander & Diogenes mare ita eſſe factum autu-

autumant: initio totum terræ ambitum fuiſſe humidum: vaporibus autem per calorem Solis inde ſublatis, id, quod remanſit, & in dies remanet eſſe ipſum mare: id quod attollitur, efficere flatus ac ventos, necnon Solis & Lunæ conuerſiones, per cœlum errantium, nec ſemper eâdem ſemita inſiſtentium, vt vaporem quærant, quaſi pabulum quo alantur. Vnde, quia quotidie vapores extrahuntur, mare in dies minus eſſe, ac tandem omnino ſiccatum iri. III. Empedocles ait terram à Sole calefactam veluti ſudaſſe: hunc ſudorem eſſe mare: ideóque mare eſſe ſalſum, quia ſudor ſalſus eſt. IV. Anaxagoras & Metrodorus cenſent propter admixtam terram mare ſalſum fieri, quemadmodum aqua per cinerem tranſmiſſa.

¶ Sacræ literæ docent mare Dei verbo factum eſſe iubente vt aquæ in vnum locum ſecederent, & appareret arida. Geneſ. cap. 1. ver. 9.

Cap. II.

Nullos eſſe maris fontes.

3 NVllos eſſe fontes maris, Ariſtoteles probat: I. Quia quæ aquæ fontes habent, vel fluunt, vt fluuij, vel opere manu facto colliguntur, vt in puteis, mare autem nec fluit, vt aquæ ex fontibus deriuatæ, nec manu factum eſt. II. Quia cùm ſint quædam maria, inter ſe diſiuncta, & circumquaque accolas habeant, eorum fontes, ſi qui eſſent, latere non poſſent. nulli tamen apparent.

4 ¶ Sunt tamen quidam fluxus maris, à fluuiorum curſu diuerſi. I. Propter libramentum, quia mole ſua quodammodò laborat, & hinc inde à litoribus pellitur, fluit ac refluit. qui fluxus & refluxus in latiſſimo mari minùs apparent, prope litus autem & in anguſtiis ac fretis magis conſpiciuntur. Huius motus cauſam quidam in Lunam referunt: alij alias cauſas afferunt. Vide Plutarch. libr. 3. de placit. philoſoph. capite 17. Melan libr. 3. cap. 1. II. A ſeptentrione ad auſtrum defluit, cùm quia loca maris auſtralia magis caua ſunt; tum etiam quia plurima & maxima flumina ex ſeptentrionali plaga defluentia

magno impetu in mare aquas euomunt, & mare propellunt. Obſeruarunt præterea nautæ motum maris ab ortu ad occaſum, quem fluxum probabile eſt effici à cœli conuerſione, vt & motum ignis, & aëris. Inſuper in mari mediterraneo obſeruarunt motum huic contrarium, teſte Contareno libro 2. de elementis. Nam in intimo ſinus Adriatici receſſu, vbi Venetiæ poſitæ ſunt, deprehenderunt mare ad meridiem flecti verſus Flaminiam: indéque declinare Apuliam verſus, aliquantulum ad ortum Solis: adeo vt hoc mare quodammodò in orbem agi videatur. Cauſa eſt: quia cùm aquæ inter terras concluſæ, nequeant ab ortu in occaſum perpetuò ferri, neceſſe eſt vt prope terras in gyrum flectantur. Sed horum duorum poſtremorum motuum Ariſtoteles nullam mentionem facit.

Cap. III.

De aqua & maris loco, & obiter de maris ſalſedine, & quòd Sol vaporibus non alatur.

Cap.2. 5 CVm pars aquæ dulcior ac leuior à Sole in vaporem conuerſa, ſurſum feratur: pars altera remanet quaſi fæx & excrementum, ideóque ſalſa eſt. Quapropter locus à mari occupatus, non eſt locus maris, ſed vniuerſi aquei elementi: ſiquidem nullus alius locus aquæ tribui poteſt: & hic eſt locus ei maximè conueniens, quò aquæ omnes decurrunt. ſed ob dictam cauſam dulcedine ſublata, & ſalſedine permanente, fit mare: ſicut in animalibus ea parte potus quæ dulcis eſt, in alimentum conuerſa, excrementum ſalſum remanet.

6 ¶ Qui Solem humore ali, ideóque vapores attrahere, &, ne vapor deficiat, per cœlum errare Septentrionem & Auſtrum verſus, vnde conuerſiones fiunt, potiùs fabulosè quàm philoſophicè tradunt, iure optimo ab Ariſtotele reprehenduntur. I. Namque Solem flammæ comparant, eodémque modo flammam & Solem ali vaporibus cenſent. Atqui flamma non alitur vaporibus, ſed ſemper noua gignitur. quare ſi idem Soli accidit: non tantùm

in dies

in dies ſingulos nouus erit Sol, vt Heraclitus aſſerit, ſed in ſingula momenta, quippe qui continenter gignetur, vt flamma. II. Vt ignis non alitur ex aqua, quam calefacit, & euaporat: ita credendum eſt, Solem aquâ non ali, ne quidem ſi totam aquam in vaporem conuertat. III. Reprehenduntur ab Ariſtotele, quia tantùm Solis rationem habent, neglectis aliis multis & maximis ſtellis. nam ſi Sol eget eiuſmodi alimento, idem dicendum eſt de omnibus aliis ſtellis: quas tamen non aiunt vapores attrahere, vt iis alantur, nec vagari per cœlum eâ de cauſa: præſertim cùm paucæ ſint errantes, pleræque fixæ. Fortaſſe hoc argumento excitati poſteriores philoſophi, nempe Stoici; qui eandem ſententiam probarunt, eodem modo alias ſtellas ali vaporibus affirmarunt, vt Plutarchus refert in libro de Iſide. Seneca libro ſexto Naturalium quæſtionum capite 16. *Totum hoc cœlum, quod igneus æther, mundi ſumma pars claudit, omnes hæ ſtellæ, quarum inueniri non poteſt numerus, omnis hic cœleſtium cœtus, & (vt alia præteream) hic tam propè à nobis agens curſum Sol, omni terrarum ambitu non ſemel maior, alimentum ex terreno trahunt, & inter ſe partiuntur, nec vllo alio ſcilicet, quàm halitu terrarum ſuſtinentur. hoc illis alimentum: hic paſſus eſt.* Cicero quoque 2. de natura Deorum, ex Stoicorum ſententia hæc ſcribit: *Sunt ſtellæ naturâ flammeæ. quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur, qui à Sole ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur, quibus altæ renouatǽque ſtellæ, atque omnis æther, refundunt eadem, & rurſum trahunt in idem, nihil vt ferè intereat, aut paululum.* Hæc Cicero: quaſi Sol, vt mercenarius quidam, non ſibi tantùm, ſed & aliis ſtellis victum paret. IV. Obiicit Ariſtoteles, quòd vapores, qui attolluntur, poſtea in nubem conuerſi decidunt: quod non contingeret, ſi à Sole, qui inde aleretur, conſumerentur.

7 ¶ Hæc poſtrema ratio valet etiam contra eos, qui, cùm terra initio eſſet humida, & ea mundi pars, quæ terram ambit, à Sole calefieret, aërem inquiunt fuiſſe genitum, & cœlum creuiſſe, & Solis conuerſiones factas eſſe. Nam ſecundum hanc ſententiam vapor

in ſublimi manſiſſet, non decidiſſet in nubem & pluuiam conuerſus.

Cap. IV.

Cur aqua, quæ in mare non influit, nuſquam apparet.

8 QVamuis immenſa aquarum copia continenter in mare influat, tamen mare non excreſcit. Ratio ſecundum Ariſtotelem eſt: quia ob aquas latè extenſas facilè à Sole exſiccatur: ſicut videmus aquam, quæ in poculo diu conſeruaretur, effuſam citò areſcere.

9 ¶ Platonis in Phædone ſententia eſt, in mundi centro receptaculum eſſe aquarum, cui nomen fecerunt Tartaro: hunc ſedem, in qua conſiſtat, non habere, ſed ſemper agitari ac fluctuare: hinc omnes aquas ortum ducere, & huc redire. Quare ſecundum hanc ſententiam ideo mare influente aqua non augetur, quia aqua ad Tartarum redit.

10 ¶ Hæc ſententia Ariſtoteli diſplicet. I. Namque flumina hac ratione non minùs adſcenderent, quàm deſcenderent: atque ita id eueniret, quod prouerbialiter dicitur, Surſum flumina, cùm res abſurda & incredibilis contigit. II. Malè ait Plato eandem aquæ molem ſemper manere, nec augeri influxu fluminum, eò quòd hæc aqua ad Tartarum redeat. Nam & aqua gignitur, & à Sole in vapores conuertitur: vnde neceſſe magnam fieri in aquæ quantitate mutationem. III. Videmus flumina in mare deſinere, non per terræ hiatus ad neſcio quem Tartarum deſcendere. IV. Flumina in progreſſu augentur: ergo non ex Tartaro dumtaxat aquam capiunt. V. Mare à fluminibus efficitur: ergo flumina ad Tartarum non redeunt. Poſtremò locus à mari occupatus, eſt locus aquæ, vt ſuprà docui: ergo huc aqua tendit, tamquàm ad finem & terminum, non ad Tartarum.

Cap. V.

De maris æternitate.

Cap.3. 11 SI mundus eſt genitus, vt omnes philoſophi Ariſtotele vetuſtiores ſtatuunt, certè etiam mare geni-

genitum eſſe patet. Si verò dicamus cum Ariſtotele mundum eſſe ingenitum,ſimul etiam cum eodem dicemus mare eſſe ingenitum:quia mundus ex omnibus ſuis partibus conſtat,& ſine his non conſiſtit.

12 ¶ Democritus cenſet mare in dies ſiccari, quia videmus loca quædam arida quæ olim mari occupata fuêre.

13 ¶ Hæc ſententia diſplicet Ariſtoteli. I. Quia ſimilis eſt fabulę Eſopicæ.Nam Eſopus portitori iratus,vt cum aliquando officio ſuo priuatum iri ſignificaret, Charibdim dixit bis mare abſorbuiſſe, ac primùm montes, deinde inſulas apparuiſſe: fore autem vt tertiò abſorbens, omnia reddat arida, adeo vt nullus ſit ampliùs portitoribus futurus locus.
II. Quia vel Solis motus durabit,vel ceſſabit. Si durabit: vt ſuo receſſu aquam è mari educet,ita ſuo receſſu in mare demittet.videmus enim humores in ſublime elatos, rurſus deorſum ferri,& ad mare redire.Si ceſſabit:nihil erit,quod mare ſiccare poſſit.

14 ¶ Ad argumentum Democriti, quòd videmus quædam loca exaruiſſe,reſpondet Ariſtoteles ex iis quæ ſupra expoſita ſunt,loca terreſtia per vices modò arida fieri, modò humida:& hoc in terræ partibus contingere: vniuerſum autem mare numquàm ſiccari poſſe.

Cap. VI.

Aliorum opiniones de maris ſalſedine.

15 CAuſa,propter quam mare ſalſum eſt, multiplex affertur. Quidam dixerunt terram initio aquis tèctam fuiſſe, deinde calore Solis partem aquæ dulciorem attollente,atque ita terram ſiccante, reſiduum aquæ effeciſſe mare.Hæc ſentētia ſic refutatur:Aut mare initio ſalſum fuit, priuſquàm eius pars à Sole ſiccaretur, aut tunc non fuit ſalſum.Si dicatur tunc quoque fuiſſe ſalſum:certè exſiccatio illa à Sole facta,non fuit cauſa ſalſedinis,quæ anteà inerat. Si verò ab initio fuit potabile,ſed propter euaporationem partis dulcioris, quæ à Sole ſublata eſt, effectum eſt ſalſum: cur vapore in pluuiam conuerſo,& ad mare redeunte,non fit iterum mare,quale antea fuit? Nam ſi receſſus dulcioris partis effici ipſum ſalſum,eiuſdē acceſſus debet adimere ſalſedinē.

16 ¶ Alij dixerunt aquam ſalſam fieri propter terræ admixtionem, ſicut videmus aquam tranſeuntem per cinerem fieri ſalſam, hanc igitur aquam in mare influentem reddere ipſum ſalſum. Huic ſententiæ opponitur, quòd hac ratione etiam flumina, quæ aquam illam in mare euomunt, ſalſa eſſe deberent.

17 ¶ Empedocles dixit mare eſſe terræ ſudorem: & ideo eſſe ſalſum, quia omnis ſudor eſt ſalſus. Ariſtoteles Empedocli opponit, I. Quòd imperfectè rem explicat: quia non conſtat, quam ob cauſam ſudor ſit ſalſus, & hæc cauſa debuit ab Empedocle tradi. II. Quia tanta eſt magnitudo maris, vt terræ ſudor dici nequeat. III. Quia ſi ob calorem initio mundi terra ſudaſſet, & ideo liquor ille eſſet ſalſus: etiam nunc, vbi terra calefit à Sole, ſudaret eodem modo, quod tamen fieri non videmus.

Cap. VII.

Ariſtotelis ſententia de ſalſedine maris.

18 ADmixtio eius, quod minimè concoquitur, & vim ignis effugit, ſalſedinem inducit. Idcirco animalium excrementa ſalſa ſunt. Item ſudor ſalſus eſt: quia vnà cum ſudore corpus eiuſmodi ſecernitur.

19 ¶ Mare ſalſum eſt ex aduſtæ exhalationis, quę pluuię coniuncta vnà deſcendit, admixtione. Hinc eſt, quòd auſtrales & autumnales pluuiæ ſalſiuſculæ ſunt. Hinc etiam eſt, quòd mare eſt calidum, vt & excrementa calida ſunt, eorum præſertim animalium, quorum aluus eſt calidiſſima.

19 ¶ Huic ſententiæ. I. Obiici poteſt, quòd mare hac ratione in dies ſalſius fieri deberet; cùm ſemper ex pluuia aliquid ſalſedinis accedat: quod tamen fieri non videmus. Reſpondeo, quantum ſalſedinis ex pluuia accedit, tantum ex euaporatione, quam Solis calor efficit, decedere. Nec officit huic reſponſioni, quòd vapor in aquam conuerſus, iterum deſcendit, qui ſalſedinem amiſit. experientia namque docet vinum & omnes humores vaporantes, ſi rurſum in humorem concreſcant, aquam fieri puram: propterea quòd omnis liquor nihil aliud eſt, quàm aqua certas qualitates ex admixtione

tione recipiens, quæ qualitates in vaporatione amittuntur.

20 ¶ Superiora refutantur ſequentibus argumentis. I. Si inane vas cereum bene obturatum in mare immittatur, aqua in illud ſe inſinuans, dulcis erit. I I. Aqua ſalſa eſt dulci grauior: vt ponderanti facile eſt videre. I I I. Aqua ſalſa eſt craſſior dulci. Idcirco nauigia facilius ſuſtinentur mari, quàm flumine. Et Aſphaltites, Palæſtinæ lacus, omnia corpora ſuſtinet, adeo vt ſi homo vinctus in eum proiiciatur, non demergatur. piſces autem in eo non naſcuntur: & veſtimenta, ſi illius aqua madefiant, quaſi lixiuio purgantur. I V. In Chaoniæ fonte aquæ ſalſiuſculæ ſunt, piſcibus vacant: & poſt decoctionem refrigeratæ ſal efficiunt. Similiter in Vmbria arundines & iunci naſcuntur, quorum cinis aqua decoctus, vbi refrixit in ſalem euadit.

22 ¶ Non tantùm ſalſedinis, ſed & aliorum aquæ ſaporum cauſa eſt admixtio. Sicut enim ab ignis calore, quem magis vel minùs terra recipit, varias accipit qualitates: vnde calx, alumen, & id genus cetera ortum ducunt, ita ipſi aquæ varias qualitates tribuit. hinc alia eſt aqua acida, vt in Sicilia, & circa Lyncum, & in multis Germaniç locis: alia amara, vt in Scythia fons quidam eſt adeo amarus, vt vniuerſum fluuium, in quem incidit, amarum reddat.

23 ¶ Nec tantùm ſapores, ſed etiam colores inde oriuntur. Nam terra ab igne, aqua à terra inficitur. Sic Nicer prope Heidelbergam rubris fluit aquis, in ſuperiori autem parte colore eiuſmodi vacat, nempe quia à loco, per quem paulò ſupra Heidelbergam tranſit, eo colore inficitur.

C A P. V I I I.

De ventorum generatione.

24 Qvemadmodum halitus humidus eſt cauſa pluuiæ, ita ſiccus eſt cauſa ventorum. vtrumque autem halitum gigni neceſſe eſt propter calorem, quem partim terra in ſe continet, partim à Sole accipit. Cap.4.

25 ¶ Falluntur itaque, & qui ventorum atque imbrium eandem naturam eſſe putant, & qui ventum nihil aliud aiunt eſſe quàm aërem motum.

26 ¶ Prout halitus humidus vel ſiccus attollitur, ita nubes aut venti fiunt. vnde tempeſtas modò pluuioſa eſt, modò flatuoſa. & ventus interdum pluuiæ ſuccedit, interdum per ſuperuenientem pluuiam ſedatur.

27 ¶ Venti potiſſimum oriuntur à Septentrionibus, & à meridie: quia cùm Sol inter hæc loca ab ortu ad occaſum feratur, curſu ſuo efficit, vt halitus ad partes ſecedat meridionalem & ſeptentrionalem. Inde oriuntur Aquilones à ſeptentrionibus, & Auſtri à meridie.

Cap. IX.

De ventorum motu.

28 Venti obliquè circa terram feruntur: quoniam halitus ille, qui eſt venti materia, cùm rectà adſcendat, ab aëre, qui motu cœli circumfertur, deorſum repellitur.

29 ¶ Quocirca ventus initium accipit in loco infero, id eſt, à terra, ex qua halitus educitur: motum autem ſumit in loco ſuperò. Ideóque videmus priùs nubes repelli, & ſerenitatem induci, quàm ventus ad nos perueniat.

30 ¶ Venti cùm initio parui ac debiles ſint, in progreſſu non aliter ac flumina augentur, & validiores fiunt. Quare ſeptentrionalis regio hyeme eſt tranquilla: ſed ventus qui ibi leuiter ſpirat, vbi vlteriùs perrexit, validus eſt & illuſtris.

Cap. X.

De tranquillitate, & commotione aëris.

Cap. 5. 31 Solis effectus tres ſunt. I. Ventos excitat, quatenus halitum, ventorum materiam, ex terra attrahit. II. Ventos comprimit, quatenus, ſi halitus exiguus eſt, eum labefacit, & abſumit. III. Impedit, quominùs ventus oriatur, dum terram celeriter ſiccat, ita vt priùs eam deurat, quàm halitum edere poſſit.

32 ¶ Tranquillitatis aëris duæ ſunt cauſæ. Prima cauſa eſt æſtus halitum abſumens, vt media æſtate ab Orionis ortu coſmico vſque ad ventos Eteſias & Prodromos. Vrio coſmicè oritur, cùm Sol eſt in Geminis. Eteſiæ & Prodromi poſt cõuerſiones æſtiuas flare incipiũt octo diebus (vt ait Plinius)

ante

ante ortum Caniculæ,quæ xv.Kal. Auguſti exoritur. Eteſiæ ſunt venti Aquilonares: qui, quòd ſingulis annis certo tempore ſpirant, eteſiæ, id eſt, anniuerſarij nominantur. hos qui præcedunt quaſi prænuncij, vocantur prodromi, id eſt,præcurſores.Secunda cauſa tranquillitatis eſt vehemens frigus, quod exhalationem conſumit.

33 ¶ Quoniam omnis mutatio incerta, difficilis,ac turbulenta eſſe ſolet.Orion autem initio æſtatis oritur,cùm Sol principium Geminorum tenet, & initio hyemis Sole ſcorpium ingreſſo occidit:idcirco oriente & occidente Orione, dies incerti,difficiles, ac turbulenti eſſe ſolent. nec immeritò à Virg.1.Æneid.nimboſus Orion appellatur. Sunt autem dies plures,non vnus, quia Orion eſt magnum ſydus, quod non ſtatim totum oritur,vel occidit.

Cap. XI.

Aquilonis & Auſtri collatio.

34 Eteſiæ poſt ſolſtitium & caniculæ exortum ſpirant, non cùm Sol proximè ad noſtrum verticale punctum accedit: quia hoc tempore terra priùs à Sole ſiccatur, quàm exhalationem emittere poſſit: illo autem tempore modicus eſt calor ventis gignendis aptus.

35 ¶ Flant igitur eteſiæ, id eſt, anniuerſarij venti à ſeptentrione poſt ſolſtitium æſtiuum: quia regio ſeptentrionalis aquis & niuibus abundat: quibus à Sole colliquatis, anniuerſarij venti ſpirant, non ſtatim ac Sol ad ſeptentriones accedit,ſed cùm diutius ea loca calefecit, & adhuc in propinquo eſt,nempe poſt ſolſtitium æſtiuum.

36 ¶ A meridie autem poſt ſolſtitium brumale flant eteſiæ quidam ſiue anniuerſarij debiles & imbecilles, qui & tardè ſpirare incipiunt,id eſt, ſeptuageſimo demum die poſt hybernum ſolſtitium,neque continenter ſpirat, vt eteſiæ ſeptentrionales, quia regio meridionalis non habet liquoris copiam,ex cuius liquefactione venti anniuerſarij ſic fiant,vt ſub ſeptentrionibus.

37 ¶ Hi à meridie flantes, vocantur Leuconoti, quoniam aërem ſerenum reddunt:& ornithiæ, id eſt,auiculares, vel quia auibus procreandis maximè conferunt, vel quia eo

tempore,quo ſpirant, hirundines & aliæ aues ad nos redeũt.

38 ¶ Auſter neque à polo antarctico ſpirat, neque à ſolſtitio hyberno,ſed à meridie. Quòd non ſpiret à polo antarctico,patet:quia cùm duæ ſint Zonę temperatæ,altera,quam nos incolimus,altera ſub noſtro hemiſphærio: Aquilo, qui à noſtro polo flat,tantùm abeſt vt ad alteram Zonam temperatam perueniat, vt nequidem totam hanc,quam nos incolimus,peruagetur, nec ad mare Auſtrale, qui vltra Africam eſt,perueniat. ſimiliter igitur qui à polo antarctico ſpirat,ad nos peruenire nequit. Quòd non ſpiret à ſolſtitio hyberno, ſic probatur:quia ſicut Sol accedens ad tropicum hybernum excitaret hunc auſtrum, ita etiam accedens ad tropicum æſtiuum,excitaret alium auſtrum:ita duos auſtros ſentiremus: cùm tamen vnus ſit auſter,qui à meridie ſpirat.

39 ¶ Auſter eſt vehementior, crebrior, magis æſtuoſus, ac longiùs peruenit, quàm Aquilo: quia ex latiori regione ſpirat:ſiquidem polum euerſus mundus anguſtatur, æquinoctialem verſus dilatatur: ideóque circulus tropicus eſt arctico maior,æquinoctialis autem eſt maximus.

Cap. XII.

De numero,nominibus,ſitu,contrarietate,& mutatione rerum.

Cap.6.

40 Singulorum ventorum nomina,& loca,vnde ſpirant, ſunt hæc: Subſolanus flat ab ortu æquinoctiali: Zephyrus ſeu Fauonius ab occaſu æquinoctiali: Cæcias ab ortu æſtiuo:Corus ſiue Argeſtes ab occaſu æſtiuo: Eurus ſiue Vulturnus ab ortu brumali: Africus ab occaſu brumali: Aquilo, qui & Boreas,& Aparctias,à Septentrione:Auſter,qui & Notus, à meridie: Thraſcias eſt Aquiloni & Coro interiectus: Meſes Aquiloni & Cæciæ: Phœnicias Vulturno & Auſtro: ſed hic ventus non longè progreditur. Vide ſequentem deſcriptionem.

41 ¶ Nau-



41 ¶ Nauticæ rei ſcriptores triginta duos ventos enumerant. Ex his quatuor ſunt cardinales, Eſt ab ortu, Oeſt ab occaſu, Nort à Septentrione, Sud à meridie. His interiecti ſunt alij quatuor venti collaterales. Nam inter Nort & Eſt collocatur Norteſt: inter Nort & Oeſt ponitur Nortoeſt: inter Sud & Eſt ſtatuitur Sudeſt: inter Sud & Oeſt ponitur Sudoeſt. Sic habentur octo venti, quos vocant integros ſeu principales. His autem interiiciuntur alij octo, quos dimidiatos ſeu nothos appellant. Nam inter Nort & Norteſt flat ventus Nort nort eſt: inter Norteſt & Eſt, ventus Eſtnorteſt: inter Eſt & Sud, eſt ventus Eſt-ſud eſt: inter Sudeſt & Sud, ventus Sud ſudeſt: inter Sud & Sudoeſt, ventus Sud ſudoeſt: inter Sudoeſt & Oeſt, ventus Sud ſud oeſt: inter Oeſt & Norto eſt, ventus Oeſtnorto eſt: inter Nortoeſt & Nort, ventus Nortnort oeſt. Rurſus adiunguntur ſedecim, quos vocant ventorum quadrantes: vt ſequens deſcriptio oſtendit.



In mari mediterraneo vtuntur aliis ventorum nominibus quos exhibet ſequens deſcriptio.



42 ¶ Non eſt ignorandum, alios eſſe ventos generales, quales ſunt, qui à quatuor mundi cardinibus flant: alios particulares, vt qui in Hirpinis Apuliæ regione regnat.

43 ¶ Præterea venti altani dicuntur, qui ex alto, id eſt, è mari flant in terram. Apogæi verò, qui è contrario à terra in mare feruntur.

44 ¶ Contrarij venti ſunt, qui per diametrum opponuntur: vt Subſolanus & Fauonius, Cæcias & Africus, Vulturnus & Corus, Aquilo & Auſter, Thraſias & Phœnicias. Meſæ ſecundum Ariſtotelem nullus ventus eſt contrarius.

45 ¶ A ſeptentrionali plaga plures vẽtos ponit Ariſtoteles, quàm à meridionali: quia ſub ſeptentrionibus plus eſt aquarum & niuis, quibus à terræ calore, & à Sole calefactis, exhalationes attolluntur.

46 ¶ Omnes venti referuntur ad quatuor præcipuos, id eſt, Aquilonem, Auſtrum, Subſolanum, & Fauonium. Nam Meſes & Thraſcias ad Aquilonem referuntur: Cæcias partim ad Subſolanum, partim ad Africũ: Africus ad Auſtrum: Vulturnus ad Subſolanum: Phœnicias partim ad Subſolanum, partim ad Auſtrum: Corus ad Fauonium. Hanc quadripertitam diuiſionem ſecutus eſt Ouidius, cùm 1. Metamorph. ita cecinit,

Eurus ad Auroram Nabathæáque regna receſſit,
Perſidáque, & radiis iuga ſubdita matutinis.
Veſper, & occiduo quæ littora Sole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro. Scythiam Septémque triones
Horrifer inuaſit Boreas. contraria tellus
Nubibus aſſiduis pluuióque madeſcit ab Auſtro.

47 ¶ Rurſus venti omnes ad duos referuntur, id eſt, Aquilonios & Auſtrinos. Nam orientales; vtpote calidiuſculi, referuntur ad Auſtrinos: occidentales, tamquàm frigidiuſculi, ad Aquilonios.

48 ¶ Venti contrarij ſimul ſpirare diu non poſſunt, vt Aquilo & Auſter: quia vehementior infirmiorem ſibi contrarium facilè compeſcit. Qui verò contrarij non ſunt, ſimul flare, & à diuerſis terminis ad eundem locum ſpirare poſſunt, vt Cæcias & Vulturnus.

49 ¶ Contrariis temporibus contrarij venti ſpirare ſolẽt: vt Cæcias circa æquinoctium vernum, Africus circa æqui-

CAP. XIV.

Veterum opiniones de cauſa terræ motus.

56 TRes ſunt veterum philoſophorum opiniones de terræ motu. Prima eſt opinio Anaxagoræ, terram ſuâ latitudine ſuſtineri ſuſpenſam in aëre, eius ſuperiorem partem eſſe vbi nos habitamus, ex inferiori parte ignem aſcendentem ingredi & aſcendere per terræ meatus, ſed ſuperiores terræ partes perrumpere non poſſe, quia ſunt pluuiis madefactæ & conſtipatæ, ita ignem dum egredi conatur & impeditur, terram concutere. Secunda eſt opinio Democriti, terram ab aqua concuti duplici argumento. I. Contingit, vt vbi terræ concauitates aquâ repletæ ſunt, magni imbres decidant, qui aquis illis vim inferunt: & ideo terra quatitur, quia cauernæ illæ tantam aquæ copiam capere non poſſunt. II. Terræ pars, quæ exſiccata eſt, aquam ad ſe trahit. quapropter aqua eò irrumpens, terram concutit. Tertia eſt opinio Anaximenis, terram madidam, dum ſiccatur, rumpi, inde fieri vt fragmenta decidentia terram quatiant. Alias de terræ motu ſententias lege apud Lucretium lib.6. Senecam lib.6. Natur. quæſtion. à cap.4. Plutarchum lib.3. de placitis philoſophorum, cap.15. Plinium lib.2. à c.79.

57 ¶ Ariſtoteles Anaxagoræ tria obiicit. I. Malè ait hanc terræ partem, quam nos incolimus, ſuperiorem eſſe aliâ terræ parte ei oppoſitâ. nam 2. de cœlo probatum fuit totius terræ locum eſſe infimum, nempe ad centrum mundi. II. Falſum eſt, terram propter ſuam latitudinem ſuſtineri ab aëre. 2. de cœlo cap.13. III. Anaxagoras accidentia terræ motus non declarat, veluti cur aliquando terra non concutiatur.

53 ¶ Sententia Democriti nihil probabilitatis habet: ideóque non eſt digna, in qua refutanda aliquid operæ collocetur. 1. Ethicor. c.4.

54 ¶ Anaximenis ſententia refellitur tribus argumentis. I. Quia ſecundum hanc ſententiam, vbi terrę motus accidit, terra in ſe contraheretur: quod tamen non contingit. II. Quia nō apparet maior ſiccitas vel humiditas vbi eſt terræ motus, quàm alibi. III. Quia ſecundum hāc ſententiam

terra per motum comprimeretur & conſtiparetur,ita vt tandem nullus terræ motus eſſe poſſet.

Cap. XV.

Vera terræ motus cauſa,eiúſque per varia ſigna confirmatio.

55 ARiſtoteles cauſam terræ motus refert in ſpiritum, qui intra terræ viſcera ex halitu ſicco gignitur, nec exitum reperit quo aſcendat. Nam ex halitu ſicco ſpiritus gignitur vel extra vel intra terram: atque hic, qui intra terram fit, vel continenter exit, vel intrò fluit, vel partim extra, partim intra fertur. quatenus ergo è terra erumpere conatur, nec inuenit exitum, eatenus terram quatit.

56 ¶ Hinc eſt,quòd terræ motus ſæpius & maior fit cœlo tranquillo.nam ſi ſpiritus exeat,ventum efficit, non terræ motum.ſi exitum non habeat,terram commouet. ſi partim exeat,partim intrò fluat:tam ventum,quàm terrę motum efficit.ſed hic terrę motus nec eſt vehemens,quia pars ſpiritus aliò fertur: nec ſæpe accidit, quia quocumque exhalatio ſe conuertat,tota eòdem plerumque fertur.

57 ¶ Terræ motus plerumque fiũt paulò ante auroram, quia tunc exhalationes moueri incipiunt: vel in meridie, quia tunc eſt maxima vis Solis, à quo ſpiritus concluditur,& exire prohibetur.

58 ¶ Validiſſimi terræ motus iis locis fiunt, vbi mare fluidum eſt,aut regio fungoſa,& ſubterraneis cauernis abundans,vt in Helleſponto,Achaia,Sicilia,Eubœa.

59 ¶ Vere & autumno terra quati ſolet:quia hæ tempeſtates ſunt maximè flatuoſæ, terrâ tunc mediocriter humecta,& mediocriter à Sole calefacta.

60 ¶ Per imbres & ſqualores ideo terra mouetur: quia vel imber, vel ventus qui ſqualorem intulit, exhalationem repellit,nec patitur exire.

61 ¶ Quidam terræ motus non ante deſierunt, quàm ſpiritus incluſus eruptione facta manifeſtè inſtar procellæ exierit.

62 ¶ Ignis in terra accenſi,vt in Æoliis inſulis, hanc eſſe cauſam putandum eſt,quòd ſpiritus colliſus incenditur,aëre in exiguas partes diuiſo.

63 ¶ In iiſdem inſulis, quia ſunt ad Auſtrum expoſitæ, & cauernas amplas habent, ſonitus interdum ſubterraneus fit, indicium ſpiraturi Auſtri. nam Auſter iam flare cœpit, licèt nondum eò peruenerit: hoc autem ventò mare ad inſulas impulſum, exhalationem exeuntem, intrò pellit, quæ exhalatio tanta non eſt, vt terram concutiat, præſertim cùm terræ concauitates permeet, in quibus ſonitum edit. Quoniam igitur in his inſulis futurum ventum prædicebant: hinc datus fabulæ locus, Æolum, qui ibi imperabat, ventos ſuo imperio moderari, ac regere.

64 ¶ Terræ motum præcedere ſolent, I. Caligo quædam, quâ Sol ſine nube obſcuratur: quia exhalatio ſicca, quæ aërem purgabat, intra terram refluit. II. Aëris tranquillitas & frigus, ob eandem cauſam: quia calida exhalatio terram ſubiens, aërem deſerit. Nam exhalatio eſt calida, & venti ſunt calidi, licèt frigidi videantur, quia frigidos vapores, quibus aër eſt refertus, deferunt: quam ob cauſam etiam ſpiritus, quem efflamus, frigidus videtur, ac refrigerat, cùm ſuâ natura ſit calidus, vtpote à corde caloris fonte profectus. III. Nubecula in longum producta inſtar lineæ rectæ. vt enim fluctus mari fluctuante & exundante craſſi & obliqui: eo autem tranquillo reddito, tenues & recti appellunt: ita in aëre ventis concitatis, nubes ſunt craſſiores & obliquæ: eodem per aſpirationis terram ingredientis diſceſſum ſopito, tenues & rectæ ſunt.

65 ¶ Interdum Lunæ defectum terræ motus præcedit: quia cùm defectio Lunæ inſtat, calore, qui à Sole proficiſcitur labeſcente, ſpiritus in terram commigrat, & eam quatit.

Cap. XVI.

De reliquis accidentibus terræ motus.

66 TErræ motuum alij diutiùs durant, alij citiùs deſinunt. & alij continenter vſque ad finem durant, alij intermiſſionem habent. atque hi vel ad quadraginta dies, vel ad annum, vel ad biennium protenduntur. Durationis cauſa eſt vel exhalationis copia, vel locorum, per quos ſpiritus meat, anguſtia & anfractus.

uetur, in hanc & in illam partem moueatur.

73 ¶ Inſulæ in alto poſitæ, non facilè quatiuntur: quia vel mare exhalationes ſuperat, & refrigerat, ſuóque pondere cohibet, atque impedit, quominùs quatiant: aut ab eis ſuperatur, & eis cedit ac fluit, non dat concuſſioni locum. propter ſummá verò amplitudinem potiùs expellit, quam recipit exhalationes. Inſulæ autem continenti proximæ faciliùs terræ motu vexantur: quia exigua eſt maris portio, inter inſulam & continentem interiecta, ita vt parum virium habeat, & inſula, quæ non procul à continente diſtat, quaſi portio quædam ipſius continentis commoueatur.

CAP. XVII.

De tonitru, & fulgure.

74 TOnitru eſt ſonus effectus ab exhalatione ſicca intra nubem craſſam ac denſam intercepta: quæ cùm vi feratur, & in ambientes nubes incurrat, ictum facit. nam ſonum, qui ab hoc ictu fit, tonitru appellamus. Cap. 9.

75 ¶ Sic igitur tonitru fit, vt ſonus ille, quem alij riſum Vulcani, alij Veſtæ riſum, alij horum minas nominant, id eſt, quem ligna edunt, cùm igni appoſita, propter exhalationem incluſam rumpuntur.

76 ¶ Varij ſoni in tonitru fiunt ob duplicem cauſam. I. Ob nubium inæqualitatem. nubes enim, quæ à ſpiritu incluſo diſrumpitur, quò denſior eſt, eò maiorem: quò tenuior, eò minorem ſonum edat, neceſſe eſt. II. Propter nubium concauitates: quæ vt variæ ſunt, ita varium ſonum efficiunt, vt accidit etiam in ſonu ſubterraneo. ſupr. ax. 72. & in muſicis inſtrumentis.

77 ¶ Cùm ſpiritus ille magno impetu ad nubes allidatur, & ex eis extrudatur: tenuem ardorem concipit, & ſplendorem quendam emittit, quem fulgur appellamus.

78 ¶ Fulgur, cùm ictum ſequatur, poſt tonitru fit: ſed priùs cernitur, quàm tonitru audiatur, eâdem ratione, quâ alios quoque ictus priùs videmus, quàm eorum ſonos percipiamus, vt remorum, campanæ, & ſimilium, qui in loco remoto fiunt. Lucretius lib. 6.

Sed tonitrum fit, vti poſt auribus accipiamus.

Fulgere quàm cernant oculi: quia ſemper ad aures
Tardiùs adueniunt, quàm viſum quæ moueant res.
Id licet hinc etiam cognoſcere, cædere ſi quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
Antè ſit vt cernas ictum, quàm plaga per aures
Det ſonitum. ſic fulgorem quoque cernimus antè,
Quàm tonitrum accipiamus.

79 ¶ Anaxagoras tamen, & Empedocles, vt fulgur priùs ſenſu percipitur quàm tonitru, ita etiam priùs fieri cenſent. ignem enim ex Solis radiis, ſecundum Empedoclem, vel ex ſupero æthere ſecundum Anaxagoram, (qui cœlum igneum eſſe & humoribus Oceani ali, eiúſque partes impuriores decidere putat) hũc inquam ignem in nubibus fulgere, &, cùm extinguitur, ſonitum & ſtridorẽ facere, vt cùm ferrum candens in aquam immittitur.

80 ¶ Anaxagoræ de fulgure ſententia falſa eſt. I. Quia cœlum nõ eſt igneum, vt probatum fuit ſuperioris libri cap. 3. II. Quia ignis ſurſum, non deorſum fertur. III. Quia non poteſt Anaxagoras rationem afferre, cur ignis ex cœlo ſereno numquàm, ex nubilo non ſemper decidat. quam tamen rationem afferre deberet: quia nec cœlo ſereno, nec ſemper nubilo fulgur fit.

81 ¶ Empedoclis de fulgure ſententia reprehenditur duobus argumentis. I. Quia non affert cauſam propriam fulguris, ſed communem, id eſt, radios ſolares, qui etiam aliorum meteororum cauſa efficiens ſunt. II. Quia probabile eſt ignem in nubibus gigni eodem modo, quo pluuia & grando gignuntur.

82 ¶ Vtriuſque ſententia de tonitru reprobatur duobus argumentis. I. Quia ſi ſonus fieret igne extincto in nubibus, eadem ratione fieret, cùm aqua calefacta congelatur: quod tamen falſum eſſe apparet. II. Quia Empedocles & Anaxagoras tantùm aiunt fieri ſtridorem in nubibus, non feruorem, cùm tamen pro magnitudine ignis etiam feruor fieri deberet. cùm enim frigidum à calido ſuperatur, & in ſpiritum conuertitur, feruor eſt. cùm autem calor ab humido & frigido extinguitur, ſtridor dicitur, qui eſt exiguus quidam feruor: quoniam frigidum

gidum & humidum, dum calorem extinguit, agendo repatitur, & pro parte aliqua ſuperatur, & in ſpiritum conuertitur, qui ſtridorem edit.

83 ¶ Clidemus exiſtimauit fulgur non eſſe, ſed videri. vt enim cùm aqua verberatur, ſplendor aliquis in eâ apparet, cùm reuera non inſit, ſic nubibus inter ſe verberatis tonitru fieri, ac fulgur videri, cùm non inſit.

84 ¶ Errauit Clidemus ignoratione eorum, quæ de reflexione ab Opticis traduntur. nam ſplendidum in aqua apparet ob reflexionem ad corpus lucidum, putà ad Lunam: quæ cauſa fulguri non conuenit.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXXIII.

METEOROLOGICORVM Tertivs.

Cap. I.

De procella, typhone, preſtere, & fulmine.

SICCA exhalatio, ſi paulatim & ſparſim diffundatur, neque continenter, ſed per interualla, perſæpe tamen excernatur, ac tenuiori ſubſtantia conſtet: tonitrua facit ac fulgura, vt in calce ſuperiori libri expoſitum fuit. Si verò confertior ac denſior excernatur, flatum efficit, quem Græci ecnephiam, nos procellam vocamus.

2 ¶ Quemadmodum igitur ex humida exhalatione, quæ magno impetu & copioſè excernitur, imber gignitur: ita ſimili ratione ex ſicca exhalatione fit pro—

Clamor vti vocis tranſit per ſaxa,per æra.

10 ¶ Et quia ex nube denſa extruditur,manifeſtum eſt, cur cœlo ſereno,aut leuiter nubilo fulmina non cadant. Lucretius eodem 6.libro,

Fulmina gignier è craßis altéque putandum eſt,
Nubibus extructis.nam cœlo nulla ſereno,
Nec leuiter denſis mittuntur nubibus vmquàm.

11 ¶ Fulmina deorſum feruntur ob eandem cauſam,ob quam diximus procellam,& typhonem deorſum ferri,id eſt, quia nubes in ſuperiori parte denſior & frigidior eſt.

12 ¶ Cùm fulmen ſit ſpiritus incenſus,eum præcedit & ſequitur ſpiritus non incenſus, qui cerni nō poteſt, quia non eſt ignis colore tinctus. Itaque res priùs ab hoc ſpiritu commouentur,quàm à fulmine percutiantur.

13 ¶ Fulminum duo ſunt ſecundum Ariſtotelem genera:quorum alterum à Græcis vocatur Arges,id eſt, cādidum. Alterum,Pſoloen,id eſt, fumidum ſeu fuliginoſum. Illud eſt adeo tenue vt non adurat: quia propter ſummam tenuitatem citiùs tranſit, quàm vt poſſit incendere. Hoc verò, cùm minùs tenue ſit,ea tantùm vrit, quæ reſiſtunt & reluctantur, non ea quæ cedunt. Hinc fit, vt ſcuti æs ab hoc fulmine liquefiat,cùm lignum nihil perpetiatur: & in crumena illæſa ſimiliter nummi liquefiant. ſed in dolio nihil paſſo vinum abſumitur:quia lignum fulmini tranſitum præbet, ac immēſo fulminis calore ita vinum breui tempore exhauritur, vt à Sole longo tempore exſiccaretur. Simili ratione fit, vt animal extinguatur, nulla ignis notā extrinſecùs apparēte: quia fulmen propter ſummam velocitatem ac tenuitatem per carnis illæſæ poros ad cor celerrimè tranſit.

14 ¶ Auctor libri de mundo tertium fulminis genus addit, quod vocat ἑλικίαν, & ait γραμμοειδῶς, id eſt, (vt Budæus lineari ſpecie conformatum ferri. Sed Vulcanius eo loco legendum cenſet γαμμοειδῶς, vt ſignificetur fulmen bifidum vel hiulcum,hoc eſt,ſciſſum & fatiſcens, quódque ad inſtar literæ γ fertur.

15 ¶ Seneca libr. 2. natur. quæſtion. capite 40. tria genera facit: quod terebrat, quod diſcutit, quod vrit. ac tertium genus ſubdiuidit: quia vel afflat, vel comburit, vel accendit.

16 ¶ Quod ad tempora, quibus fulmina mittuntur, & regiones quę ſolent fulminibus vexari, idem ſentiendum de fulminibus, quod de tonitruis. Nempe fulmina potiſſimùm vere & autumno mittũtur in regiones temperatas: quia cùm ex halitu calido & ſicco oriantur, nimius calor eum diſſipat, nimius rigor eum extinguit.

17 ¶ Crediderunt veteres præſertim Hetruſci fulmen futura portendere. qua de re legatur Seneca 2. Natur. quæſt. Hanc ſuperſtitionem Lucretius meritò irridet lib. 6.

Hoc eſt (inquit) *igniferi naturam fulminis ipſam*
Proſpicere, & qua vi faciat rem quamquę videre:
Non Tyrrhena retrò voluentem carmina fruſtra
Iudicia occulta Diuûm perquirere mentis,
Vnde volans ignis peruenerit, aut in utram ſe
Verterit hic partem, quo pacto per loca ſepta
Inſinuarit, & hinc dominatus vt extulerit ſe,
Quídve nocere queat de cœlo fulminis ictus.

Cap. II.

Communia de area, iride, pareliis, & virgis.

Cap. 2. 18 Area ſeu corona, arcus ſiue iris, parelia, & virgæ ex radiorum ſiue aſpectus reflexione ex denſiore nube videntur, cùm reuerâ non gignantur: nec diu durant.

19 ¶ Area dicitur, quia inſtar areæ rotundæ eſt: nam areas rotundas efficere ſolebant, per quas boues iumenta triturandi cauſa circumagerentur. Corona autem dicitur, quia coronæ more aſtrum cingit. Arcus, quia formam arcus refert. Iris παρὰ τὸ εἴρειν, quod eſt dicere, quia futuram pluuiam prænunciat. vnde à poëtis Iunonis, quæ pro aëre ſumitur, nuncia fingitur.

20 ¶ Coronæ phænomena hæc ſunt. I. Plerumque integro circulo apparet circa Solem, aut Lunam, aut aliud ſplendidum aſtrum. II. Magis noctu apparet, quam interdiu. III. Cùm interdiu, magis circa meridiem aut poſt meridiem apparet, quàm in ortu, aut occaſu.

21 ¶ Iridis phænomena hæc ſunt. I. Iris numquàm eſt ſemicirculo maior, interdum minor. Quidam tamen referente & credente Auerroë, iridem perfecto aut quaſi perfecto or-

ĉto orbe vidit. Sed ratio, quam ax. 47. afferam, euincit hunc aut eſſe mentitum, aut accepiſſe coronam pro iride. II. Quò propiùs Sol ab horizonte abeſt, eò minoris circuli portio, & eò maior portio apparet. quò altiùs ſupra horizontem Sol eſt ſublatus, eò minor maioris circuli portio videtur. III. Poſt autumni æquinoctium diebus breuioribus quauis diei hora fit: æſtate vero, meridie non cernitur. IV. Numquàm plures ſimul quàm duo apparent: etſi quidam teſtantur ſe tres, alij quatuor irides ſimul vidiſſe, quibus fidem non habeo. Atqui Vitellius, cùm Patauij eſſet, quatuor arcus obſeruauit decem gradibus à Sole diſtantes. Non erant igitur, propriè loquendo, irides: ſiquidem Iris è regione tantum Solis fit. V. Cùm duo arcus ſimul apparent, vterque tres colores habet, purpureum, viridem, puniceum: ſed in exteriori arcu obſcuriores colores ſunt, & ordine contrario poſiti. præterea inter puniceum & viridē flauus apparet, vt ſequens deſcriptio oſtendit.



22 ¶ Pareliorum & virgarum phænomena hæc ſunt. I. Iuxta Solem apparent, non iuxta Lunam, aut aliud ſydus. II. Fiunt ad latus Solis, id eſt, Auſtrum vel Septentriones verſus, vel ad vtramque partem (nam modò vnus eſt parelius, modò duo Solis latera vngentes) non ſupra, nec terram verſus, nec è regione. III. Plerumque fiunt Sole tendente ad occaſum, rariùs Sole oriente, rariſſimè ipſo meridie. Interdum tamen per totam diem apparent. IV. Numquàm vſque ad Plinij ętatem plures quàm tres Soles ſimul apparuiſſe, obſeruatum eſt, vt ipſe Plinius teſtatur libr. 2. cap. 31. adeo vt duo ſint parelij: nam medius eſt verus Sol. Quidam tamen

aſſerunt Regem Poloniæ paulò ante id tempus, quo Papiæ conflictus habitus eſt, ſex Soles vidiſſe. quod teſtimonium mihi ſuſpectum eſt.

23 ¶ Quoſdam parelios noctu circa Lunam apparuiſſe, ab aliis auctoribus, vt à Plinio lib. 2. c. 32. literis proditum eſt. Vnde Pontanus.

Sæpe etiam duplicem in tenebris eſt cernere Lunam,
Nube nouam referente aliam ſub imagine formam.

Sed tūc potiùs paraſelenas, quam parelios vocare debemus. Plinius tamē ibidem ait à quibuſdā vocari Soles nocturnos.

24 ¶ Horum omnium cauſa eſt reflexio, quamuis non in omnibus eadem reflexio ſit, vt ex ſequentibus perſpicuū fiet.

25 ¶ Iris plerumque fit interdiu à Sole, rarò noctu à Luna in pleñilunio, cùm quia colores in tenebris latent, tum etiam quia hoc non fit, niſi in plenilunio, Luna oriente, vel occidente.

Cap. III.
De area.

Cap. 3. 26 VT area ſeu corona fiat, plura requiruntur. I. Vt aër ſeu vapor ſit concretus ac denſatus: alioquin reflexio aſpectus non fiet. II. Vt ſit æquabiliter denſatus: alioqui non vnus, ſed diuerſi colores redderentur. III. Vt partibus conſtet: alioqui non ſolùm colorem, ſed etiam figuram ſyderis exprimeret.

27 ¶ Tria per aream indicantur, & prænunciantur. I. Pluuia, ſi vapor nec emarceſcat, nec diſſipetur: túncque potiſſimùm ſolet eſſe ſub nigro colore. II. Ventus, ſi vapor diſſipetur, & in varias partes diſtrahatur. III. Serenitas, ſi vapor non diſtrahatur in diuerſas partes, ſed vnitum emarceſcat.

28 ¶ Area circa aſtrum fit: quia contingit ibi eſſe nubem, cuius media pars propter tenuitatem diſſipatur, reliquæ ambientes partes per reflexionem colorem aſtri referunt.

29 ¶ Orbicularem formam habet ob aſtri rotunditatem: & ſi quidem vndiquaque nubes apta ſit ad lumen reflectendum, circulus perfectus apparet. ſin autem ex parte nubes vel deficiat, vel denſior aut rarior ſit quàm oportet, pars tantùm circuli videtur.

30 ¶ Aſtri

30 ¶ Aſtri colorem tantùm, non etiam figuram refert propter exiguitatem particularum ex quibus ſeiunctis conſtat, licèt earum diſiunctio, cùm quia modicum eſt inter eas particulas interuallum, tum etiam quia nimis diſtant à noſtro aſpectu, à nobis cerni nequeat.

31 ¶ Areæ color eſt candidus, præſertim in medio: nam ad oras nigricat, tum quia radij minùs ibi valent, tum quia collatio cum eo quod aſt candidius, efficit vt color nigrior videatur. Seneca tamen lib. 1. Natur. quæſt. c. 2. & cap. 10. eoſdem areæ quos Iridi colores tribuit.

32 ¶ Area ſeu corona non procul à terra fit: quia ſuperior pars aëris (id eſt, quæ paulò infra montium ſummitates eſt) ventis infeſtatur, qui exhalationem ibi conſiſtere, & aream efficere non patiuntur.

33 ¶ Sæpiùs corona fit circa Lunam, quàm circa Solem, qui ſuo calore diſſipat exhalationem. Circa aſtra fit ob eaſdem cauſas, ob quas circa Solem & Lunam: ſed tunc ventos, aut ſerenitatem, aut pluuiam minùs prænunciat, quia tum minor & debilior eſt exhalatio.

CAP. IV.

De iridis ſeu arcus generatione.

34 IRis ex reflexione & ratione ſpeculari exiſtit. Reflexio autem fit ſecundum veteres ex aſpectu ad Solem, ſecundum Ariſtotelem autem ex Sole ad aſpectum: quia veteres putabant aſpectum fieri per extramiſſionem radiorum viſualium. Ariſtoteles verò per intromiſſionem ſpecierum viſibilium. Sed quia, vtrouis modo aſpectus & reflexio fiat, nihil quod ad præſentem inſpectionem intereſt, idcirco Ariſtoteles in his libris omiſſa ſua ſententia, quæ nondum confirmata, nondum recepta erat, veterum ſententiam ſecutus ponit reflexionem aſpectus noſtri ad Solem, vel ad aliud humidum aſtrum. Cap. 4.

35 ¶ Iris multiplex eſt: Prima cœleſtis: Secunda circa lucernas: Tertia circa remos: Quarta per conſperſionem.

36 ¶ Vt iris in cœlo, id eſt, in aëre appareat, hæc requiruntur. I. Vt vapor in nube incluſus, in guttas concreſcat. II. Vt hæ guttæ nondum decidant. III. Vt hiſce guttis op-

poſitum ſit aſtrum lucidum, vt Sol aut Luna: ita vt guttæ illæ ad aſtrum oppoſitæ, ſpeculi rationem habeant. nam quia exiguæ ſunt, & inter ſe diſtinctæ, licèt diſtinctio à nobis nō cernatur, vt ſuprà de areâ dixi, tantùm colorem, non etiam figuram aſtri referunt. IV. Vt nos inter eas guttas & aſtrum ſimus interiecti, vt aſpectus noſter à guttis ad aſtrum, ſeu ſplēdor aſtri à guttis ad noſtrum aſpectum reflecti poſſit. Idcirco Sole oriente fit Iris in Occidente, & Sole occidente fit in oriente: in meridie verò non fit, Sole ſub horizontem guttis illis oppoſito.

37 ¶ Cùm tam iris quàm area ſeu corona per reflexionem efficiantur, tamen differunt. I. Quia iris eſt aſtro oppoſita, area circa aſtrum apparet. II. Quia materia areæ eſt vapor: materia iridis eſt ferè aqua ex vapore genita. III. Quia area eſt candida, iris eſt multicolor.

38 ¶ Circa lucernas iris fit, partim ob aëris humiditatem & craſſitiem, partim ob aſpectus imbecillitatem. idcirco hyeme potiſſimùm fit, quia hyems eſt frigida & humida. aër enim flante auſtro humidior ac denſior effectus, à lucernæ fuligine tingitur, adeo vt ſpeculi rationem habere poſſit.

39 ¶ Hæc iris à cœleſti differt. Nam I. Cœleſtis numquam eſt maior ſemicirculo, hæc circa lucernam orbem complet. II. Illa in paruis ſpeculis, id eſt, guttis diſiunctis ac ſeparatis, licèt ſenſui continuæ videantur: hæc in aëre continuo apparet. III. Illa tribus ſeu quatuor coloribus. ſup. ax. 21. hæc vno vel altero colore, id eſt, purpureo, vel purpureo & viridi prædita eſt.

40 ¶ Quod ad eam iridem attinet, quæ circa remos fit: guttæ per remos in altum tollūtur figura pyramidali Soli & noſtro aſpectui oppoſita, ideóque paruorū ſpeculorū rationē habent, & colorē, nō figuram Solis referunt: colorē, inquam, non purum, ſed admixtum nigrori aquæ quo fit, vt purpureus & viridis appareat: nēpe vti aqua eſt craſſior, id eſt ad baſim pyramidis, purpureus: vbi eſt tenuior, id eſt ad apicē viridis.

41 ¶ Non aliter iris apparet in irrorationibus, quibus locus Soli oppoſitus & illuminatus conſpergitur. nam ex illis guttulis reflexio fit, ac iris cernitur. quid enim intereſt, vtrùm remus guttas attollat, an manus eas ſpargat.

42 ¶ In

42 ¶ In his,quæ per remos, vel per conſperſionem fiunt, non apparet color puniceus ob nigrorem aquæ. nam puniceus propriùs ad album accedit. in cœleſti autem iride apparet,quia nubes,in qua iris cernitur,nondum eſt in aquam omnino conuerſa:ideóque minùs atra eſt,quàm aqua.

CAP. V.

De arcuum numero,& coloribus.

43 CVm vna eſt iris: externus ambitus eſt puniceus' quia candor Solis in nigrore nubis hunc colorem reddit: etenim candidum, ſi in nigro vel per nigrum appareat,puniceum videtur.medius ambitus,quia minor eſt, minorem radiorum copiam excipit, proinde minùs aſpectum mouet,conſequenter magis nigricat, & viridis cernitur. internus ambitus,quia eſt omnium minimus,maximè omnium ater eſt,id eſt,purpureus. Inter puniceum & viridem flauus videtur,non quòd in iride ſit quartus color, ſed quia puniceus viridi oppoſitus flauum videri facit.

44 ¶ Cùm iris duplex eſt, interna ita habet colores diſpoſitos,vt modò docui. in externa ſunt ordine oppoſito collocati:Ratio ſecundum Ariſtotelem eſt:quia internus ambitus maximè aſpectui noſtro propinquus eſt, ideóque puniceus apparet:ſecundus paulò remotior, viridis videtur: tertius,vtpote remotiſſimus,purpureus cernitur. Etenim quia nigrum minùs aſpectum mouet: quò res nigrior eſt, eò remotior videtur: & quò remotior eſt, eò magis ad nigrorem accedit.

45 ¶ In externa iride, quia remotior eſt à noſtro aſpectu quàm interna,colores languidiores apparent.nam quò longiùs aſpectus fertur,eò magis debilitatur. Quocirca vltra ſecundam iridem non progreditur: nec triplex iris apparere poteſt. Vide axio.21

CAP. VI.

De iridis figura,& magnitudine.

46 IRidis figura eſt orbicularis: quoniam aſtrum, à quo fit,vt Sol,eſt figuræ rotundæ. Cap. 5.

47 ¶ Quia Soli oppoſita eſt, non poteſt integro orbe

apparere. Mente enim concipe circulum Soli oppoſitum, & axem ductum a centro Solis ad huius circuli, id eſt, iridis centrum. Profectò cùm Sol eſt in ortu vel in occaſu, dimidia pars circuli eſt ſupra horizontem, vbi iris apparet, altera dimidia eſt ſub horizonte. Ac quò remotior eſt Sol ab horizonte, eò maior pars illius circuli occultatur, proinde iris eò minor apparet, id eſt, minor circuli portio.

48 ¶ Tunc tamen videtur portio maioris circuli, quam cùm Sol eſt in oriente, vel occidente, vt notaui ſuprà ax. 21. menb. 2. Huius rei Ariſtoteles nullam cauſam, alij alias afferunt. Ego illam cauſam veram puto, quia quò altiùs Sol ſublatus eſt, eò obliquior arcus apparet: & illa obliquitas maiorem circumferentiam videri facit.

Cap. VII.

Quo tempore iris apparere poſſit

49 POſt æquinoctium autumnale, cùm dies breuiores ſunt, quia Sol etiam meridie parum ſupra horizontem tollitur, iris quacumque diei hora apparere poteſt. Sed poſt æquinoctium vernum, cùm dies ſunt longiores, quia Sol magis ſupra horizontem aſcendit, iris meridie non apparet. iam enim & docui, quò altior eſt Sol ſupra horizontem, eò magis arcum demitti. ideóque cùm Sol eſt altiſſimus, nihil arcus ſupra horizontem apparet.

Cap. VIII.

De pareliis, & virgis.

Cap. 6. 50 VIrgæ fiunt reflexione à nube inæquali, id eſt, partim denſa, partim rara: & alibi magis, alibi minùs aquoſa. hinc enim fit, vt diuerſi colores appareant, & alibi puniceus, alibi viridis, aut flauus.

51 ¶ Parelius autem efficitur per reflexionem ab aëre æquabili & æquè denſo, ideóque vnum Solis colorem refert, & albus apparet.

52 ¶ Parelius igitur magis futuram pluuiam, quàm virgæ indicat: & magis cùm eſt in parte auſtrina, quàm cùm in ſeptentrionali: quoniam auſtrinus aër magis ſolet in aquam conuerti.

53 ¶ Parelij

53 ¶ Parelij & virgæ nec nimis remoti à Sole eſſe poſſūt, nec nimis propinqui, ſed certum ac debitum interuallum eſſe oportet. Nam ſi nubes nimis remota ſit, aſpectus ab eâ ad Solem non reflectetur. Alia eſt ratio iridis, quę longè maior eſt pareliis, & virgis. Si verò nubes nimis propinqua Soli ſit, calore Solis diſſipabitur & diſſoluetur.

54 ¶ Idcirco nec ante, nec poſt Solem, nec ſub Sole fiunt parelij & virgæ: ſed tantùm ad latera, Aquilonem vel Auſtrum verſus. Nam ſi nubem Sol præcedat, citò eam deſerit, vnde tollitur debita diſtantia. Si eam ſequatur, citò aſſequitur, & ſuo calore diſſipat. Si ſupra eam in ortu vel occaſu ſit, certè nubes terræ proxima eſt, vbi maximè valent radij Solis, ideóque diſſoluitur. Sole autem medium cœli tenente, aſpectus reflexionem nimia diſtantia impedit. quæ nimia diſtantia eſt vel inter Solem & nubem, ſi nubes à Sole remota ſit: vel inter aſpectum & nubem, ſi nubes Soli proxima ſit. quo enim altiùs Sol ſupra terram ſublatus eſt, eò remotiorem à terra nubem eſſe oportet, vt Soli propinqua videatur.

CAP. IX.

De foßilibus, & metallicis.

55 QVemadmodum ex duplici exhalatione ſecreta, id eſt, ex humida & ex ſicca fiunt in ſublimi, quæ hactenus expoſuimus: ita ex iiſdem exhalationibus non ſecretis multa fiunt in ipſis terræ viſceribus. Nam ſicca exhalatiò ardore incenſa efficit ea, quæ vocantur foſſilia, vt lapides non liquabiles, ſandaracham, ochram, rubricam, ſulphur, & id genus cetera. Humida verò exhalatio intra terram, pręſertim in lapidibus incluſa, ob terræ lapidúmque ſiccitatem concreta & coagulata efficit res metallicas, vt aurum, argenrum, &c.

56 ¶ Materia igitur metallorum non eſt actu aqua, ſed poteſtate tantùm, quia fiunt ex vapore nondum in aquam conuerſo. quomodo pruinam ſupra terram fieri docui libr. I. axio. 61.

57 ¶ Ergo in metallorum generatione exhalatio ſicca & terrea eſt mixta cum exhalatione humida: quæ quidem

ſicca exhalatio,ſi vapor in aquam conuerteretur,non maneret,ſed vel ſurſum ferretur,vel extingueretur.

58 ¶ Quinimmo tam foſſilia quàm metallica, cùm in terræ viſceribus gignantur, non fiunt ex ſolis exhalationibus,ſed admixtam quoque habent terram & aquam.

59 ¶ In nubibus quoque metalla gigni, & cùm coruſcat,decidere quidam ſcribunt. Et lapidem cum fulmine cadere conſtat,vt notaui ſuprà axio.9.

60 ¶ In fluminibus aurum inueniri puto, potiùs quia impetu aquarum eò defertur,quàm quòd ibi generetur. Vnde auri ramenta vocantur, quaſi à mineralibus venis abraſa, & à flumine aſportata.

61 ¶ Difficilis quæſtio eſt, an arte chymica aurum & argentum effici poſſint. Thomas & alij viri docti hoc admittunt. Ac ſanè ratio ſuadet hęc eſſe potiùs difficilia,quàm impoſſibilia factu.

62 ¶ Ceterùm ſi ſententia Ariſtotelis de materia metallorum vera eſt,quam ſuprà expoſui,in ipſo limine impingunt chymici, qui metallorum materiam ſtatuunt ſulphur & argentum viuum.

63 ¶ Omnia metalla comburuntur ratione ſiccæ exhalationis,quæ cùm terrea ſit, facilè ignitur. Excipitur aurum,quod igne non abſumitur: quia parum habet ſiccæ exhalationis ita cum humida temperatæ, vt humor non patiatur terreſtrem partem comburi, hæc autem humorem contineat ac tueatur,ne in vaporem abeat.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXXIV.

METEOROLOGICORVM QVARTVS.

Cap. I.

De generatione, & interitu.

HActenvs egimus de corpore mixto perfe- Cap. 1.
cto: deinceps dicamus de mixto imperfecto, quod ex quatuor elementis conſtat.

2 ¶ Huius perfecti corporis communes affectiones ſunt, quæ primas elementorum qualitates conſequuntur, id eſt, duas actiuas, calorem & frigus, ac totidem paſſiuas, humorem & ſiccitatem: de quibus primis qualitatibus libro 2. de generatione dictum fuit.

3 ¶ Calori & frigori conſequentia ſunt, I. Generatio & interitus: quò refertur etiam putrefactio. II. Concoctio & inconcoctio.

4 ¶ Simplex & naturalis generatio eſt mutatio, quæ fit à calore & frigore certa proportione materiam ſuperantibus. Dixi, *ſimplex*, vt ſignificarem generationem ſubſtantiæ, & excluderem generationem accidentium. Dixi, *naturalis*, vt excluderem artem, & ea quæ ab arte fiunt. Dixi, *mutatio*: quia generatio propriè loquendo non eſt motus, ſed mutatio. 5. Phyſ. c. 1. Dixi, *à calore & frigore*: quia hæ ſunt qualitates actiuę. 2. de generat. c. 2. Intellige autē has eſſe cauſas efficientes inſtrumētales. Nā cauſa principalis eſt natura & cœlū. ſuper omnes autē cauſas generalis cauſa eſt Deus. Rurſus intellige præcipuā cauſam generationis eſſe calorē: frigus autē videri potiùs cauſā interitus, quàm generationis, eſſe tamē cauſam

generationis, cûm quatenus calorem temperat, ne nimius calor potiùs interimat quàm generet,tum etiam quia ad res ſolidandas & coagulandas valet: atque ita eſt cauſa efficiens pluuiæ,niuis,metallorum,& aliarum rerum. Dixi, *materiam.* hæc eſt humidum & ſiccum, quæ ſunt qualitates paſſiuæ. 2. de generat.cap.2. Quapropter etſi omnia mixta conſtant ex quatuor elementis.2.de generat.cap.9.tamen præcipuè conſtant ex terra & aqua.infr.cap.7. & 10. Dixi,*ſuperantibus:* quia niſi efficiens vincat materiam, non poterit eam mutare, & ex ea aliquid efficere. Dixi,*certa proportione :* quia ſi nimia ſit caloris vis,aduret: vnde opus eſſe dixi, vt calor frigore temperetur.Si verò ſit calor nimis exiguus,non poterit rem perficere:putà non naſcetur homo, ſed monſtrum. Adde quòd res diuerſæ diuerſam proportionem requirunt: verbi gratiâ cor maiorem calorem, quàm cerebrum: at cerebrum maiorem humiditatem,quàm cor.

5 ¶ Qualitates actiuæ aut omnino materiam ſuperant, aut omnino ſuperantur,aut partim ſuperant,partim ſuperantur.Primo caſu eſt generatio, de qua in ſuperiori axiomate: ſecundo interitus:tertio molynſis,id eſt,imperfecta elixatio, & incoctio,de quibus poſtea.

6 ¶ Naturali generationi maximè contrarius eſt naturalis interitus,cuius finis eſt putredo, niſi vis aliqua putredinem anteuertat: putà caro & os putreſcunt, niſi exurantur. Nam exuſtio eſt violenta, putredo eſt naturalis. vtraque tamen fit à calore externo calorem inſitum ac natiuum perdente:ſed illa ſemper à calore ſicco,hęc ſæpe à calore humido.& in exuſtione quidem humor,qui eſt interni caloris ſedes,celeriter abſumitur: in putredine verò calor inſitus paulatim attrahitur ab externo.

7 ¶ Idcirco quæ putreſcunt,primò humida fiunt.deinde ſicca euadunt: quia in interitu & putredine materia vincit,vt in generatione efficiens:materia verò eſt humidum & ſiccum.

8 ¶ Hinc etiam eſt,quòd reliqua elementa præter ignem putreſcunt: quia ignis maximè vim habet efficiendi, ac reliqua elementa,ſi cum igne conferantur,materiæ rationem habent.

9 ¶ Putredo igitur eſt caloris interni in humido inſiti

ſiti ab externo rei ambientis calore corruptio atque interitus.

10 ¶ Quare putredinis cauſa partim eſt calor externus educens internum, partim frigus, quo per interni caloris interitum res afficitur.

11 ¶ Quæ putreſcunt, exſiccantur, ac tandem terra & fimus fiunt: quia vnà cum interno calore exeunte humor exhalatur, qui eius caloris eſt ſedes.

12 ¶ Res putreſcunt potiùs æſtate quàm hyeme: quoniam aëris vel aquæ ambientis calor hyeme eſt exiguus: adeo vt internum vix attrahere poſſit: æſtate verò vehemens eſt, & facilè attrahit.

13 ¶ Neque congelatum putreſcit, neque feruens: quoniam in eo frigus, in hoc calor externum rei ambientis calorem ſuperat, à cuius externi caloris efficientiâ putredo fieri debet.

14 ¶ Quod mouetur ac fluit, vt aqua profluens, minùs putreſcit, quàm quod quieſcit, vt aqua paluſtris: quia motus rei putrefaciendæ vim adimit motui caloris putrefacientis. Hic nota triplicem motum ſpectari poſſe. ſit enim aqua putrefacienda: & ſit aër ambiens. Vnus eſt motus fluentis aquæ, alter eſt fluentis aëris, tertius eſt caloris qui eſt in aëre, agentis in aquam, & eius calorem extrahentis. Primus & ſecundus motus corruptionem & putrefactionem impediunt: tertius eſt cauſa putredinis: ac de hoc tertio loquitur Ariſtoteles ſect. problem. 22. quæſtio. 4. vbi ait putredinem ſine motione non fieri.

15 ¶ Quod multum eſt, minùs putreſcit, quàm quod eſt paucum: quia in illo plus eſt caloris ac frigoris: ideóque minùs à calore ambiente ſuperatur.

16 ¶ In putridis rebus animalia naſcuntur, vt vermes, muſcæ, & veſpæ: quia calor naturalis vnà cum humore ſecretus, eum humorem cogit ac continet.

CAP. II.

De aliis primarum qualitatum operationibus.

17 POſt hæc, de concoctione & inconcoctione, earúmque ſpeciebus dicamus. Concoctionis ſpecies ſunt maturatio, elixatio, aſſatio: inconcoctionis, cruditas, molyn- Cap.2.

venarum,& caloris,qui in venis continetur: alui deiectio, ipſius alui:ſputum,eorum organorum, quæ ad reſpirationem pertinent,ſanitatem & robur indicant. Vide Galenum lib. 1. de criſibus.

23 ¶ Quæ concoquuntur, craſſiora ac calidiora redduntur.Intellige cum Galeno craſſitiem temperatam,& rei conuenientem.Alioqui vt vrina tenuior indicat non eſſe concoctionem inchoatam,ita craſſior non eſſe perfectam.

24 ¶ Ex concoctionis definitione facilè colligitur inconcoctionis definitio.nam oppoſitorum oppoſitę ſunt definitiones.6.Topic.cap.9.partic.3. Inconcoctio igitur eſt oppoſitorum patibilium, id eſt, humidi & ſicci, imperfectio ob proprii caloris defectionem:quæ defectio caloris nihil aliud eſt,quàm frigus.

25 ¶ Inconcoctionis,quam Ariſtoteles Græcè *ἀπεψίαν* appellat,vocabulum latè accipimus, & ad omnia, quæ concoqui dicuntur,referimus.Galenus autem in libro de differentiis ſymptomatum,ad alimentum coarctat,& anguſtiùs accipit,dum *ἀπεψίαν,δυσπεψίαν,*& *βραδυπεψίαν* diſtinguit,id eſt, inconcoctionem,prauam concoctionem,& tardam concoctionem.Primo vocabulo ſignificari ait concoctionis priuationem:ſecundo deprauatam alimenti mutationem: tertio debilem eiuſdem variationem.

Cap. IV.

De maturatione,& cruditate.

26 Maturatio propriè dicta eſt alimenti, quod in fructibus ineſt,concoctio. Cap. 3.

27 ¶ Tunc maturatio perfecta eſt,cùm ſemina,quæ in fructu ſunt,poſſunt aliud ei ſimile efficere.hac enim ratione dicimus alia etiam perfecta eſſe,cùm ſibi ſimile generare poſſunt.2.de anima.cap.4.partic.2.

28 ¶ Alia præter fructus impropriè & per tranſlationem maturari dicuntur.Sic tuberculorum, pituitæ, & ceterorum, quæ non alunt, ſed potiùs à natura excernuntur, concoctio & maturatio dicitur.

29 ¶ Quæ matureſcunt,ſubinde craſſiora euadunt, & ex c is aquea,ex aqueis terrea fiunt.

30 ¶ Vt duplex eſt maturatio, alia propriè, alia impropriè dicta: ita duplex eſt maturationis finis. Natura namque alimentum per maturationem ad ſe adducit, vt ſcilicet ex eo poſſit efficere ſibi ſimile: excrementa verò ad maturitatem adducit, vt ea expellat: vt tuberculis accidere videmus: cùm enim maturuerint, ſanantur.

31 ¶ Maturationi contraria eſt cruditas. Quæ tribus modis accipitur, propriè, impropriè, & maximè impropriè.

32 ¶ Cruditas propriè dicta, eſt alimenti, quod in fructibus ineſt, inconcoctio.

33 ¶ Alimentum inconcoctum eſt humor indefinitus, id eſt, qui non eſt à calore terminatus: & vel eſt aëreus & flatuoſus, vel aqueus, vel vtriuſque naturæ particeps.

34 ¶ Cruditas ex eo fit, quòd calor humorem ſuperare nequit: vel quia exiguus eſt calor, id eſt, minor quàm rei natura requirat: vel quia plus ineſt humoris, quàm vt poſſit ab innato calore vinci.

35 ¶ Impropriè cruda dicuntur excrementa, in quibus ſimiliter calor non vincit, vt excrementa, quæ à naturali animalis calore concoquuntur.

36 ¶ Maximè impropriè cruda dicuntur, quæ calore externo concoquuntur, vt lac, & fictile.

37 ¶ Quod autem calore non terminatur, hoc eſt, per calorem non craſſeſcit ſeu maturatur, id nullo modo crudum debet appellari. Quocirca ſecundum Ariſtotelem aqua elixa quidem dici poteſt, non tamen cruda, quia igne non craſſeſcit. Quamquàm nec elixa propriè dicitur, ſed per ſimilitudinem quandam, vt poſteriùs explicabitur.

CAP. V.

De elixatione, & molyſi

38 Elixatio eſt concoctio indefiniti, quod in humore ineſt, id eſt, humidi interminati, quod ineſt in re quæ elixatur. & vel eſt aëreum, vel aqueum.

39 ¶ Fit autem elixatio à calore humido: vt cùm caro coquitur à calore iuſculi, in quo elixatur.

40 ¶ Quocirca ea quæ in ſartagine friguntur, veriùs eſt aſſari quàm elixari. neque enim coquuntur ab oleo vel butyro, in

re, in qua ſunt, ſed potius ab igne externo. Ergo perſpicuè intelligitur differentia inter frixa & elixa: manifeſtum eſt, cum caro in iuſculo elixatur, iuſculum ab externo igne calefactum agere in carnem, & elixare. Cum autem in oleo frigitur, ipſa à calido in oleum agit, & ipſum ad ſe trahit, ideoque oleum exſiccatur. Hinc eſt quòd ea quæ friguntur, humidiora ſunt, quam ea quæ elixantur. Nam in hæc ius agẽs, humorem extrahit: illa vero in oleum aut butyrum agentia, humorem ad ſe trahunt.

41 ¶ Elixari propriè dicũtur, quæ humorem ſenſibilem habent ab humido calore patibilem, vt carnes. lapides autem non elixantur, quia non habent humorem ſenſibilem: ligna non elixantur, quia eorum humor ob denſitatem vinci ab externo calore humido non poteſt.

42 ¶ Impropriè dicuntur elixari, I. Dura, vt lignum. II. Liquabilia, vt aurum impurum, ex quo per ignem educitur argentum, & ſi quis alius humor ineſt. III. Liquida, vt lac, & muſtum, quæ per calefactionem mutantur. Nam lac, quod eſt terreum & aqueum, à ſero ſecernitur & concreſcit. muſtum autem, quod eſt terreum & aëreum, ſpiritoſam atq; aëream materiam exhalat.

43 ¶ Elixationis & concoctionis varius eſt finis: & modo eius, modò ſorbitio, modo alius vſus.

44 ¶ Quod elixatur, vel fit craſſius, vt mel: vel minus & grauius, vt muſtum: vel diuiditur in partem craſſam & partem tenuem, vt lac in caſeum & ſerum. Aqua, & oleum per ſe acceptum, minus propriè dicuntur elixari, quia fiunt tantùm minora, non etiam grauiora.

45 ¶ Nihil refert, vtrùm naturalibus inſtrumentis, vt alimenti in ventriculo & in venis: an artificioſis, vt carnis in lebete, elixatio fiat. ſemper enim ab externo calore humido fit.

46 ¶ Elixationi contraria eſt molynſis, quæ eſt humoris in re elixanda inſiti inconcoctio, ob caloris in humido ambiente defectionem. id eſt, quia calor humidus ambiens humorem rei elixandæ minuere ac terminare non poteſt.

47 ¶ Cum autem defectio caloris cum frigore ſit coniuncta: frigus vel eſt in humido circumſtãte, vel in re elixanda quod calorem repellit, nec ſinit concoquere.

mmm

48 ¶ τὰ μεμωλυσμένα ſunt elixis duriora. Vnde Hippocrates libr.5.Aphoriſmo 68. molle crudo opponit, inquiens molles humores eſſe bonos,crudos vero malos.

Cap. VI.

De aſſatione,& ſtateuſi.

49 Aſſatio eſt concoctio à ſicco calore externo.Idcirco etſi res elixari cœperit,tamen ſi humido deficiente à ſolo igne coquatur, non elixa, ſed aſſata & aduſta dicetur.

50 ¶ Rerum aſſatarum partes externæ ſunt ſicciores: quia à calore ſicco aſſantur:internæ humidiores: tum quia aſſatio partes externas exſiccando, cruſtam quandam efficit,& meatus claudit per quos humor exitum haberet: tum etiam quia humor vt ſiccum calorem circumſtantem fugiat, in ſe contrahitur. In rebus elixis contra, partes externæ ſunt humidiores, quoniam ab humido ambiuntur: partes autem internæ ſunt ſicciores, quia humor internus, vt ſupra docui, ab humido calore externo extrahitur. Vide problem.ſect. 1. quæſt. 53. & ſect.5. quæſt.34. & ſect.37. quæſt. 3.

51 ¶ Tam aſſatio quàm elixatio diuidi poteſt in naturalem & artificioſam. Quamuis enim hæc nomina propriè tribuantur iis quæ arte fiunt, tamen natura eodem modo agit:quandoquidem naturam ars imitatur.Verbi gratiâ,cibus in ventriculo elixatur,vt notaui ſuprà axiom.45.Putredo verò & lumbrici non in ventriculo gignuntur, ſed in inferiori aluo,id eſt, in inteſtinis, vbi minor eſt calor: quamquàm ex inteſtinis interdum ad ventriculum aſcendunt,& per vomitum redduntur.

52 ¶ Vt elixationi molynſis, ita aſſationi ſtateuſis aduerſatur; vtrobique enim, id eſt, ſiue ſit molynſis, ſiue ſtateuſis,calor externus tantus eſt, vt humorem rei coquendæ moueat quidem, non tamen ſuperet. Expoſitæ ſunt omnes ſpecies concoctionis & inconcoctionis.

Cap.

CAP. VII.

De humore, & ſiccitate.

53 HVcuſque de caloris & frigoris actionibus dictum eſt: conſequens eſt, vt de humore & ſiccitate, & patibilibus qualitatibus, quæ humorem & ſiccitatem conſequuntur, videamus. Cap. 4.

54 ¶ Quemadmodum aliud eſt liquatum actu, aliud liquabile: ita aliud eſt humidum vel ſiccum actu, aliud poteſtate.

55 ¶ Humidum & ſiccum in rebus gignendis, vt opſonium & condimentum, ſiue vt aqua & farina, commiſcentur, & alterum alteri cauſa eſt, vt terminetur, ac certis finibus circumſcribatur.

56 ¶ Omnia terminata corpora conſtant ex ſicco & humido, proinde ex terra & aqua: quia inter elementa terra eſt maximè ſicca, aqua eſt maximè humida. Intellige maximè humidam, vel quia magis humectat quàm aër, vt notaui 2. de generat. axiom. 26. vel quia faciliùs alienis terminis terminatur: ceteroqui humidiſſimum elementum eſt aër. d. axio. 26.

57 ¶ Ex dictis colligit Ariſtoteles omnia animalia degere in terra, & aqua. Sed huic ſententiæ obſtat I. Quod ipſe Ariſtoteles ſcribit 5. de hiſtor. animal. cap. 19. in Cypri inſulæ fornacibus, in quibus Chalcites lapis crematur, beſtiolas naſci pennatas, paulo grandibus muſcis maiores, quæ per ignem ſaliunt & ambulant, ab igne autem dimotæ moriuntur. Ibidem ſcribit Salamandram igne non abſumi, ſed ignem extinguere. II. Hiſtoria de aui paradiſi veteribus ignota, quam conſtat ita eſſe à natura comparatam, vt ſemper in aëre degat. nam & axillis & pedibus caret, & minimum carnis habet. & quantum ex aſpectu coniicere licet, in aëre natat, vt piſcis in aqua: ac fœmina caudam habet, non, vt aliæ äues, in inferiori parte concauam, ſed in ſuperiori, vt ibi quemadmodum probabile eſt, oua ſeu fœtum contineat, ſicuti mihi multiſque aliis ſtudioſis Patauij olim oſtendebat äc declarabat doctiſſimus Guilandinus, qui & in aëre, & in ſphæra ignis varia eſſe animalium genera non dubitabat.

58 ¶ Effectus humoris & ſiccitatis hi ſunt. I. Durities & mollities. II. Concretio ſeu coagulatio, & fuſio ſeu liquatio. III. Exſiccatio & humectatio. IV. Incraſſatio & attenuatio.

Cap. VIII.

De duritie, & mollitie.

59 QVod ex ſicco & humido conſtat: id vel eſt durum, vel molle.

60 ¶ Durum eſt, quod per ſuperficiem in ſe non cedit. Molle autem, quod per ſuperficiem in ſe cedit.

61 ¶ Vt hæ definitiones intelligantur, notandum eſt, corpus corpori prementi & vrgēti cedere tribus modis poſſe. Aut enim totum mutat locum, vt cum nauis a vento impellitur: aut pars per compreſſionē circumfunditur, vt cum aqua comprimitur: aut ſuprema pars intro cedit, ita vt ſuperficies in profundum abeat, vt lana, & ſpongia. Quod igitur hoc poſtremo modo cedit, molle dicitur. & quod eodem modo non cedit, durum appellatur. Aliis modis quod cedit, imbecillum quod non cedit, robuſtum nominatur.

62 ¶ Durum aut molle dicitur vel abſolutè, vel relatè. Abſolute durum & molle à Platone in Timæo definitur carne ab Ariſtotele hoc tactu. Quod enim carni ſeu tactui non cedit, durum eſt. quod vero cedit, molle. Per relationem ad alterum idem poteſt dici durum & molle. vt plumbum ſi cum ferro conferatur, eſt molle, quia ferro cedit. ſi cum lana, durum, quia lana plumbo cedit.

Cap. IX.

Communia de concretione, fuſione, exſiccatione, & humectatione.

Cap. 5. 63 MOlle aut durum corpus non ſine aliqua cōcretione fit, per quam ſiccum & humidum coagmentantur, & res terminatur.

64 ¶ Tres ſunt, vt aliarum rerum, ita etiam concretionis, fuſionis, exſiccationis, & humectationis cauſæ. I. Materia. II. Forma, quæ etiam finis rationem habet. 2. phyſ. cap. 7 partic. 3. III. Efficiens.

65 ¶ Efficiendi organa naturalia duo ſunt, calor & frigus: patiendi item duo, humor & ſiccitas.

66 ¶ Quia

66 ¶ Quia concretio per exſiccationem fit, de exſiccatione prius dicamus.

CAP. X.

De exſiccatione, & humectatione.

67 QVod patitur: aut ex ſicco, id eſt terrâ, aut ex humido, id eſt aqua, aut ex vtroque conſtat. Nam inter elementa, terra & aqua maxime patibilia ſunt. Quocirca cum hæc frigida ſint, fatendum eſt, frigus quoque magis ad patibiles, quam ad agentes facultates pertinere. Quamquam agere dicitur, vel quatenus interimit, vel per accidens, & per antiperiſtaſim, quatenus circumſtans calorem cogit & vndiquaque coarctat.

68 ¶ Quicquid exſiccatur: aut eſt aqua, aut eſt ſpecies aquæ aut aquam ſiue inſitam, ſiue adſcititiam habet. Aquæ ſpecies ſunt vinum, lotium, ſerum, & omnino quæ ſedimento non propter lentorem carent. Lentorem dico, vt in oleo, pice, ac ceteris rebus viſcoſis, quorum humor lentore detentus non poteſt exſiccari. Inſita ſeu natiua aqua eſt, vt in lacte: aduentitia, vt in lana madefacta.

69 ¶ Rurſus res exſiccatur, vel dum calefit, vel dum refrigeratur. Sed vtroque caſu a Sole exſiccatur. Cum enim res calefit, a calore externo exſiccatur, vt aqua à calore ignis, aut Solis. Cum autem refrigeratur, à calore interno ſiccatur, qui ob frigus circumfuſum colligitur, & inde vim accipiẽs exit, ſimulque humorem educit, vt veſtis.

70 ¶ Humectatio duobus modis accidit. I. Cùm aliquid in aquam cogitur, vt cùm ex nube pluuia generatur. II. Cum id quod concretum eſt, vt glacies, liquatur. Adde tertium modum, cùm aquæ ſpecies fit, vt lotium. Et quartum, cum res alieno humore madefit, vt lana. Cap. 6.

CAP. XI.

De concretione, & liquatione. necnon de emollitione, & craſſitie.

71 COncreſcunt res aqueæ, vt ſerum, & lotium: & quæ ſimul ad aquam & terram ſpectãt, vt lac, & ſputum.

72 ¶ Concretio fit aut frigore, aut calore ſicco. Quamuis enim mel elixum concreſcat: hoc tamen non propter humorem, ſed propter frigus aquæ contingit.

73 ¶ Eorum, quæ concreta ſunt, alia non ſoluuntur, vt fictilia: alia ſoluuntur: atque hæc à contrariis ſolui ſeu liquari dicuntur. Nam frigore concreta, ſoluūtur ab igne, vt glacies. ſicco autem calore concreta, liquantur aquâ, vt ſal.

74 ¶ Res aqueæ frigore tantum concreſcunt. cùm enim calore liquentur, non poſſunt calore concreſcere. quoniam idem eidem per idem non poteſt eſſe contrariorū effectuum cauſa. Dixi, *idem:* quia diuerſa & contraria pariunt effectus contrarios: vt aquam frigus congelat, calor diſſoluit. Dixi, *eidem.* Nam diuerſis rebus ab eodem tribuuntur diuerſi effectus: vt ignis fictile indurat, ceram & glaciem liquefacit. Dixi, *per idem*, quia per diuerſa idem in eodem parit diuerſos effectus, vt calor, præſens calefacit, abſens refrigerat.

75 ¶ Res aqueæ, dum concreſcunt, non craſſeſcunt. craſſities enim fit, cùm humore abſcedente, id, quod ſiccum & terrenum eſt, denſatur. quod rebus aqueis concreſcentibus non accidit, quia earum humor non exit, ſed conſtipatur.

76 ¶ Quæ ex aqua & terra conſtant, hæc calore & frigore concreſcunt: & horum nonnulla ſimul craſſeſcunt: calore quidem, quatenus calor externus humorem internum educit, vnde terreæ partes conſtipantur: frigore autem, quatenus frigus calorem extrudit, cum quo etiam humor exit.

77 ¶ Dixi nonnulla craſſeſcere: quia mixta liquida, vt lac, dum concreſcunt, ſimul etiam craſſeſcunt, mollia verò, quæ liquida non ſunt, humoris exitu concreſcunt, non craſſeſcunt, vt fictile. Differentiæ ratio eſt: quia in liquidis multum humoris ineſt, qui paulatim educitur: vnde fit vt partibus ſiccis ſenſim coëuntibus & conſtipatis, craſſities inducatur. quæ verò non ſunt liquida, exiguum humorem continent, adeo vt parte humoris exeunte, illico nulla facta craſſitie concreſcant: quippe cùm tantum humoris remaneat, quantum ad partes ſiccas continendas ſufficit.

78 ¶ Quædam priùs humectantur, quàm craſſeſcant, nimirum quæ craſſa vel dura per frigus antea facta ſunt: vt fictile: quod frigore durum antea factum, cùm primum

in fornacem mittitur, vapores emittit, & emollitur. quamobrem in fornacibus torquetur.

79 ¶ Quæ plus terræ quam aquæ in ſe continent, ſi frigore externo concreuerint, calore liquantur, vt lutum. ſin autem interno frigore concreuerint, non niſi caloris exſuperantiâ ſoluuntur, ſed molliuntur, vt ferrum, & cornu.

80 ¶ Cùm ferrum liquatur, & iterum concreſcit, purius redditur, albius, & durius, ac minoris ponderis: quia multum excrementi ſubſidit, eo quòd ferrum multum terræ impuræ continet. Ferrum autem hoc modo ſæpius purgatum ac defæcatum, fit Chalybs.

81 ¶ Liquatur etiam lapis, quem Ariſtoteles & Theophraſtus pyrimachum, Plinius pyriten appellant. hic non eſt purus lapis, ſed admixtam habet naturam metallicam. ideóque in fornaces coniectus non redigitur in cineres, ſed liquatur, deinde rurſus concreſcit ac durus redditur.

82 ¶ Mylæ quoque liqueſcunt, ita vt fluant. & cùm rurſus concreuerint, atro ſunt colore, calci autem ſimiles, immò calx quædam nigra ſtructuræ vtilis propter pinguedinem.

83 ¶ Liquatur etiam terra, quæ humorem in ſe habet, vt ea, ex qua fit vitrum, & gleba metallica, quæ ex metallorum admixtione fundi poteſt.

84 ¶ Ipſum quoque vitrum refrigeratione concreſcit, vt ferrum: nec liquatur, niſi caloris exſuperantiâ: & prius molleſcit, quàm liquetur,

85 ¶ Eorum quæ calore concreſcunt, alia ſolui non poſſunt, vt fictilio, & lapides qui ex terra igni combuſta generantur, veluti myliæ: alia humore frigido ſoluuntur, vt nitrum, & ſal, quæ in aqua ſoluuntur, non in oleo.

86 ¶ Ea ſola, quæ plus habent aquæ quàm terræ, calore craſſeſcunt. quæ verò plus habent terræ, concreſcunt ſine craſſitie: vt nitrum, ſal, lapis, fictile.

87 ¶ De oleo hæc notentur. I. Spiritoſum eſt, & aëris plenum: ideóque in aqua ſupernatat. II. Neque calore, neque frigore concreſcit. III. A frigore craſſum fit: quia frigus ſpiritum in aquam conuertit. ſemper autem cùm aqua & oleum inter ſe admiſcentur, fit quiddam vtroque craſſius. IV. Calore & tempore craſſeſcit, & albeſcit. Albeſcit quidem aquæ inexi-

ſtenſis expiratione. craſſeſcit vero, quia [illegible] ſpiritus in aquam mutatur. V Neque [illegible] ſiccatur, cum quia aqueum tum etiam quia lentum eſt [illegible] humor, qui in oleo ineſt, a lentore continetur [illegible] vaporem abeat.

88 ¶ Quod ex terra & aqua conſtat, ad id refertur, cuius maiorem copiam in ſe continet, atque ita terreum vel aqueum dicitur. Verbi gratia, muſtum decoctum, terreum [illegible] humore enim per calorem [illegible] to & [illegible] partes coëunt & conſtipantur ita vinum concreſcit: præſertim in Arcadia, vbi eraſum potabatur.

89 ¶ Lac, prout plus caſei, vel ſeri continet, ita terreum eſt vel aqueum. Caſeus terreus eſt, quia calore dureſcit. Serum eſt aqueum, quia non craſſeſcit ignis calore, ſed in vaporem abit, & comburitur.

90 ¶ Sanguinis fibræ terreæ ſunt, reſiduum eſt aqueum. Itaque ſanguis, qui fibras habet, frigore ſiccatur & cõcreſcit. Ceruinus autem ſanguis aqueus eſt, & nec fibras habet, nec concreſcit. Sanguis quoque vitiatus non concreſcit: quoniam eſt pituitoſus & aqueus, ac veluti ſanies.

91 ¶ Quæ ignis & aquæ opera concreſcunt, ea aut vix ſoluuntur ab exſuperantiâ quadam, vt de ferro diximus ax. 79. (Nam ferrum cùm calore liquatum ſit, frigore congelatur) aut nullo modo ſoluuntur, vt fictile, de quo vide axio. 78. Etenim fictile nec per meatus aquam recipit, nec ab igne liquari poteſt, cum igne concreuerit.

92 ¶ Ligna terrea ſunt & aëꝛea. Ideo comburi poſſunt, non liquari, nec molleſcere. exceptis lignis viridibus. infrà axio. 99. Horum alia ſunt magis aërea, proinde leuiora: alia magis terrea, proinde grauiora. Ideò plerumque in aqua innatant. excipitur nigra ebenus, quæ ſuâ grauitate mergitur, quia plurimum terræ habet.

Cap. XII.

De corporum ſimilarium principiis.

Cap. 8. 93 EXpoſui primarum qualitatũ effectus, id eſt, caloris, frigoris, humoris, & ſiccitatis: nunc de corporibus ſimilaribus, in quib⁹ primis effect⁹ illi cernũtur, diſputamus.

94 ¶ Cor-

94 ¶ Corpora ſimilaria conſtant ex humido & ſicco, proinde ex aqua & terra, vt caro, ſanguis, & aliæ ſimilares partes animalium, & plantarum: aut ex his & ex horum exhalationibus in terræ viſceribus gignuntur, veluti metalla.

CAP. XIII.

De corporum ſimilarium affectionibus.

95 CORporum ſimilarium affectiones partim ſunt paſſiuæ, ſecundum quas corpus pati dicitur: partim actiuæ, ſecundum quas hæc corpora in ſenſum agunt.

96 ¶ Paſſiuæ ſunt hæ. I. Concretile, & inconcretile. II. Liquabile, & inliquabile. III. Emollibile, & inemollibile. IV. Humectile, vel non humectile. V. Flectile, vel inflectile. VI. Ruptile, non ruptile. VII. Fragile, non fragile. VIII. Impreſſile, non impreſſile. IX. Formabile, non formabile. X. Compreſſile, non compreſſile. XI. Tractile, non tractile. XII. Ductile, non ductile. XIII. Fiſſile, non fiſſile. XIV. Diuiduum, indiuiduum. XV. Tenax, remittens. XVI. Subactile, inſubactile. XVII. Combuſtile, incombuſtile. XVIII. Suffitum reddens, vel non reddens.

97 ¶ De concretili & inconcretili, præter ea quæ ſuprà expoſita fuerunt, notandum eſt cõcreſcere non poſſe, I. Quę aqueum humorem non habent, neque ſunt aquea, ſed plus habent caloris & terræ, vt mel & vinum dulce. quæ quidem nec frigore coagulantur propter inſitum calorem: neque calore. Nam ea tantùm calore concreſcunt, quę terrea ſimul & aquea ſunt, cùm humor internus à calore externo educitur. ſupr. axio. 76. quod melli & vino dulci non conuenit. Excipe, niſi elixum mel in aquam frigidam immittatur, vt expoſui ſupr. axio. 72. Item excipe muſtum, quod coagulari dixi axio. 88. II. Quæ plus habent aëris quàm aquæ, vt oleum, & argentum fuſile, quod vulgo vocatur argentum viuum, niſi hoc rei admiſceatur, à qua coagulari (ſi Chymicis credimus) poſſit. aiunt enim argentũ viuum ſulphuris admixtione dureſcere. Quin etiã Albertus ſcribit argẽtum viuum in fornace ligno quodã viridi iniecto dureſcere. Lignũ autẽ illud, corillũ nũcupat, cuius ligni alibi mẽtio nulla reperitur, fortaſſe ſcriptura mẽdoſa eſt, & corylũ Albertus ſignificauit. III. Quę ſũt lẽta, vt viſcum, pix: quia lentor humorem detinet, nec exſiccari patitur.

98 ¶. De liquabili,& illiquabili ſuprà dictum fuit.

Cap.9. 99 ¶ Emolliri non poſſunt, I. Quæ ex aqua conſtant,vt cryſtallus:& ea quorũ totus humor eſt exſiccatus, vt nitrum, & ſal.terrea verò emolliuntur,vt cera. II. Quæ meatus inæqualiter,id eſt,obliquè poſitos habent, vt fictile: quia peruenire ad partes internas humor non poteſt.

100 ¶ Eorum quæ emolliri poſſunt, alia ſunt tractilia,alia ductilia, alia flexilia. Trahuntur autem alia humore proprio,vt neruus,corium,pix,mel,quæ emollibilia dicuntur: alia humore alieno,vt farina ſubacta,quæ etſi emolliuntur,tamen non dicuntur emollibilia,quia non ſuo,ſed alieno humore molleſcunt.Ac ductilia quidem, quæ ex aqua conſtãt, non molleſcunt, ſed liquantur: quia frigore ſunt concreta. Quæ verò terrea ſunt,igne emolliuntur,vt ferrum, & cornu: quin etiam ligna viridia,ſi parumper igni admoueãtur,molleſcunt:alias ligna non molleſcunt.ſupr.ax.92.

101 ¶ Humectilia ſunt,quæ alienum humorem poſſunt in ſe recipere, id eſt, in partes internas, non in ſuperficie tantùm.

102 ¶ Quædam ſunt liquabilia, non humectilia: vt æs, quod ab igne liquatur:& ſal,ac nitrum, quæ ab aqua liquentur.Alia è contrario ſunt humectilia, non liquabilia,vt lana, & legumina.Nonnulla ſunt & liquabilia & humectilia,vt lutum.Alia nec humectilia ſunt,nec liquabilia,vt adamas.

103 ¶ Flexio eſt motio à recto ad curuum,quæ fit eadem longitudine manente. Dixi, *à recto ad curuum:* quia ſi fiat à curuo ad rectum, non erit flexio,ſed directio. Reflexio autem,quæ fit in contrariam partem,à curuo ad curuum fit: & eſt mixta ex directione & inflexione: quia cùm tranſitus ab extremo ad extremum fiat per medium, id quod flexum eſt in vnam partem,non poteſt in contrariam flecti, quin priùs dirigatur.Dixi,*eadem longitudine manente:* quia ſi longitudo nõ ſeruetur,non dicetur propriè flexio, ſed contractio, vt cùm corium ab igne contrahitur.

104 ¶ Etſi flexio & directio differunt,eadem tamen ſunt quæ flecti & dirigi poſſunt,vt virga,vel non poſſunt, vt lapis.

105 ¶ Ruptio & fractio differunt: quoniam ruptio eſt in magnas partes diuiſio: fractio in quaſuis partes, & plures duabus.

106 ¶ Alia

106 ¶ Alia rumpi,non frangi poſſunt:alia frangi tantùm: alia vtrumque patiuntur. Rumpuntur,quæ meatus lōgè productos habent,vt lignum.franguntur,quę meatus multos nō è regione poſitos habent,vt vitrum. rumpuntur & franguntur,quæ vtriuſque generis meatus habent,vt fictile.

107 ¶ Impreſſio eſt ſuperficiei per partem pulſu aut ictu vel(vt vno verbo dicam)tactu in profundū tranſitus. Dixi,*per partem:* quia ſi tota ſuperficies cedat,nihil imprimitur.

108 ¶ Eorum quæ imprimi poſſunt, alia ſunt mollia, vt cera,alia dura,vt æs.

109 ¶ Eorum quæ imprimi non poſſunt, alia ſunt dura, vt lapis,alia humida,vt aqua.

110 ¶ Quæ res non ſolùm imprimi poſſunt,ſed etiā impreſſæ manent;hæ formari aptæ ſunt, vt cera. Quæ verò aut non facilè imprimuntur,vt lignum,lapis,aut impreſſum non retinent,vt lana,ſpongia;hæ formari aptæ non ſunt.

111 ¶ Comprimi res dicitur,cùm pulſu in ſe coit,ſuperficie in profundū tranſlata,nec diuiſa,nec parte altera in alterius locum ſubeūte. Dixi,*nec diuiſa:* quia ſi ſuperficies diuidatur, res potiùs dicetur rumpi,quàm comprimi. Dixi,*nec parte,* &c.vt excludam aquam,quæ ita pellenti cedit, vt non comprimatur,ſed transferatur,& vndique circumfundatur.

112 ¶ Comprimi poſſunt,quæ in ſuos meatus coire valent,propterea quòd eos corpore molliori & ad cædendum atque effugiendum apto plenos habent,vt lana,ſpongia,cera,caro. Comprimi non poſſūt, quæ in ſuos meatus coire nequeunt, vel quia meatibus carent, vel quia rebus durioribus plenos habent,vt ferrum,lapis,aqua.

113 ¶ Tractio eſt verbum homonymum. Nam alia eſt,quâ totum corpus de loco in locum trahitur,de qua Phyſ.libr.7. c.3. Alia,de quâ hîc dicendum, id eſt, cùm id quod trahitur, ei continuatum eſt ex quo trahitur. Hæc autem eſt continuatæ ſuperficiei in obliquum tranſlatio. Dixi,*in obliquum*: quia quodammodo ex latitudine in longitudinem motio fit,vnde cùm corium trahitur,longius & anguſtius fit.

114 ¶ Quædam & trahi & comprimi poſſunt, vt lana: quędam trahi poſſunt,non comprimi,vt pituita:alia comprimi,non trahi,vt ſpongia.

115 ¶ Ductilia ſunt,quorum ſuperficies eodem ictu in la-

tum ſimul & in profundum per partem poteſt transferri, vt æs. Non ductilia ſunt, quorum ſuperficies non poteſt ita transferri, vt lapis, & lignum.

116 ¶ Quicquid ductile eſt, etiam imprimi poteſt. contrà non omnia, ſed pleraque impreſſilia in rebus ductilibus numerantur.

117 ¶ Eorum quæ comprimi poſſunt, alia ſunt ductilia, vt cera, & lutum: alia non ſunt ductilia, vt lana.

118 ¶ Findi dicitur, quod magis diuiditur quàm diuidẽs diuidat, quoniam diuiſio actum diuidentis anteuertit.

119 ¶ Fiſſilia ſunt, quæ in longitudinem habent meatus, quibus inter ſe copulantur, ſed non in latitudinem: vt ligna.

120 ¶ Fiſſilia non ſunt, I. Quæ ſunt abſolutè mollia, vt cera. II. Liquida, vt aqua. III. Quæ imprimi poſſunt, vt æs. IV. Quæ frangi poſſunt, vt vitrum.

121 ¶ Sectilia ſunt, id eſt ſecari poſſunt, quę cùm concreta ſint. neque neceſſariò diuiduntur vltrà quam diuidens diuidat, neque franguntur, dum diuiduntur.

122 ¶ Sectilium quædam ſunt dura, vt os, lapis: quædam mollia, vt cera: nulla liquida.

123 ¶ Quędam ſunt fiſſilia & ſectilia: vt lignum in longitudinem ſcinditur, in latitudinem ſecatur.

124 ¶ Lentum, ſeu tenax, ſeu viſcoſum, ſeu glutinoſum dicitur: quod cùm molle aut liquidum ſit, trahi poteſt: quoniam humor & ſiccitas permutatione quadam, catenarum modo componuntur: adeo vt propter humorem res protrahatur, & propter ſiccitatem retrahatur. Corpus autem, quod tale non eſt, friabile vocatur.

125 ¶ Quæ igitur lenta ſunt, ea partim ſunt liquida, vt oleum, & pituita: partim mollia, vt cera, pix, viſcum.

126 ¶ Subactile eſt, quod, cùm preſſile ſit, compreſſionem retinet, vt cera, & maſſa triticea. Non ſubactile eſt, quod vel non eſt preſſile, vt lapis: vel compreſſionem non retinet, vt ſpongia.

127 ¶ Comburi poſſunt, quæ meatus in directum productos & ad ignem accipiendum idoneos, humorémque igne imbecilliorem, id eſt, non aqueum, ſed potiùs aëreum in iis meatibus habent: vt lignum, os, lana. Comburi autem non poſſunt, quæ aut talibus meatibus carent, aut humorem igne

vehe-

vehementiorem habent, vt glacies, & pleraque ligna, cùm ſunt admodum viridia. Dixi, *plerumque.* nam quædam ligna viridia comburuntur, quia humorem vnctuoſum, proinde aëreum continent, vt olea, pinus, abies.

128 ¶ In rebus combuſtilibus numerantur, quæ ſuffitum reddunt. cùm enim incenduntur, eorum humor in vaporem ſeparatim abire non poteſt, vt thus. Cuius autem humor in vaporem ſoluitur, id ſuffitum non reddit, vt lutum.

129 ¶ Suffitui & vapori communia hæc ſunt. I. Vterque à calore exhalatur. II. Vterque ex humore exhalatur.

130 ¶ Differunt autem: I. Quia ſuffitus excitatur ex rebus terreis humorem inſitum habentibus: vapor ex aqua & rebus aqueis. II. Suffitus non madefacit, ſed potius colore inficit, vapor madefacit.

131 ¶ Differt etiã ſuffitus ab halitu ſicco, qui in ſpiritum mutatur, nam ſuffitus in aërem quidem conuerti poteſt, non tamen in ſpiritum ſeu ventum, quia paulatim mutatur.

132 ¶ Suffitus diuiditur in fumum, fuliginem, & nidorem. Fumus eſt ſuffitus rei lignoſæ, vt ligni, oſſis, pili. Fuligo eſt rei pinguis, vt ceræ, thuris, myrrhæ, picis. Nidor eſt rei vnctuoſæ, vt olei, ſæui.

133 ¶ Oleum ſuffitum reddit, non vaporem, aqua vaporem, non ſuffitum.

134 ¶ De vino dulci hæc notentur. I. Magis terreum eſt, quàm alia vina. II. Suffitum mittit quia pingue eſt, & ex humido & ſicco conſtat. III. Frigore non coagulatur, vt alia vina. IV. Comburitur, ità vt flammam cõcipiat, quæ eſt halitus è vino ſecreti incenſio. reliqua autem vina non reddũt halitum, ſed in vaporem abeunt. V. Ebrietatem non affert. Vt enim ſcribit Hippocrates in libro de ratione victus in morbis acutis, minùs caput petit, quàm alia vina. Immò ſi quis temulentus vinum dulce biberit, id quod hauſtum erat, concoquitur, & minus infeſtat, teſte Ariſtotele Problem. ſect. 3. quæſt. 13. VI. Non habet vinoſum ſaporem. Denique nomine tantùm, non reipſa eſt vinum. Quocirca qui vini dulcis eſt auidus, illúdque largiùs epotat, is non vini, ſed rei dulcis auidus dicitur. 2. Topic. cap. 3. partic. vlt.

135 ¶ Redeo ad res combuſtiles, in quarum numero collocauimus ea quæ ſuffitum mittunt. Comburi poſſunt, quæ

in cinerem ſoluuntur. Huiuſmodi autem ſunt, quæ aut ſolo calore, aut ſimul calore & frigore coagulantur.

136 ¶ Carbunculus, ex quo ſigilla ſculpuntur, colore ruber, qui cùm ad Solem exponitur carbonis ardentis colorem refert, minimè omnium lapidum ab igne vincitur. Vide Theophr. lib. de lapidibus.

137 ¶ Eorum quæ comburuntur, quædam flammam emittunt per ſe: quædam magis alij materiei adiuncta, quàm per ſe: alia nullo modo. Flammam per ſe emittunt, quæ cùm humida non ſint, fumum reddunt: ſiquidem flámma nihil aliud eſt, quàm fumus incenſus. Flammam aliis potiſſimùm rebus adiuncta efficiunt, quæ humida & aërea ſunt, vt pix, oleum, cera.

138 ¶ Eorum quæ flammeſcunt, alia in carbones vertuntur, nempe quæ plus terræ habent, quàm fumi, vt ligna ſolidiora: alia non vertuntur, quæ magis aërea ſunt, vt papyrus, palea.

139 ¶ Quædam flammeſcunt, non liquantur, vt ligna, quia confertum habent humorem, & vndique continuum: aliqua liquantur, nō flammeſcunt, vt æs, quia non habet tantùm humoris continui, vt flammam ſuſcipere poſſit: nonnulla tam liquari, quàm flammeſcere poſſunt, vt thus, quia partim ita affectum eſt, vt lignum, partim vt æs.

140 ¶ Res liquidæ ſunt in duplici differentia. nam quæ ſuffitum mittunt, ad humorem magis pertinent. quæ verò cremantur, ad ſiccitatem.

Cap.10. 141 ¶ Expoſui affectiones ſimilarium corporum paſſiuas. Actiua autem ſunt, ſecundum quas in aliquem ſenſu agunt. Hæ igitur pro diuiſione ſenſuum diuiduntur. Quædam aſpectum afficiunt, vt colores: aliquæ auditum, vt ſoni: nonnullæ guſtum, vt ſapores: aliæ olfactum, vt odores: aliæ tactum, vt eæ quas ſuprà expoſui. nam diuerſo reſpectu actiuæ & paſſiuæ dici poſſunt. Tactiles ergo ſunt primò calor, frigus, humor, ſiccitas: deinde quæ has conſequuntur; vt lentum, friabile, molle, durum, aſperum, lene.

CAP. XIV.

Corporum ſimilarium diuiſio prima ſumpta à forma.

142 Corpora ſimilaria diuiduntur, I. In inanimata, & animata. II. In aquea, terrea, & aquę ac terræ communia. III. In calida, & frigida.

143 ¶ Inanimata diuiduntur in foſſilia, vt lapides, & metallica, vt aurum, argentum, æs: Animata vel ſunt partes plantarum, vt lignum, cortex: vel animalium, vt os, caro, ſanguis, neruus. Ex his componuntur partes ſimilares, vt caput, manus, pes.

144 ¶ Cùm corporum alia liquida ſint, alia concreta: liquidorũ conſtitutio aqueáne ſit, an terrea, an cõmunis, partim ex euaporatione, partĩ ex craſſitie, quã accipiũt, dignoſci poteſt.

145 ¶ Quæ vaporem reddunt, ad aquam ſpectant. Quæ non reddunt, terrea ſunt: aut ſimul ad aquam & terram pertinent, vt lac: aut ad terram & aërem, vt mel: aut ad aquam & aërem, vt oleum.

146 ¶ Quæ calore craſſeſcunt, ex aqua & terra conſtant. quæ ſolo frigore craſſeſcunt, terrea ſunt. quæ calore & frigore craſſeſcunt, non ſolùm ad aquam & terram, ſed etiam ad alia elementa referuntur: vt oleum ad aquam & aërem, mel ad terram & aërem.

147 ¶ Vinum aut terreum aut aqueum dicendum eſt pro maiori aut minori fæcis, quam continet, quantitate. itaque nouum magis terreum eſt quàm vetus & defœcatum. Maximè autem terreum eſt vinum Arcadicum, quod ita in vtribus exſiccatur, vt eraſum bibatur.

148 ¶ Quod ad concreta corpora attinet, ea, quæ frigore concreuerunt, ad aquã pertinent, vt glacies, nix, grando, pruina. Quæ calore concreuerunt, ad terram referũtur, vt caſeus, nitrum, ſal. Quæ vtroque concreuerunt, ad terram ſimul & aquam ſpectãt: & horum alia nec liquari nec emolliri poſſunt, quorum ſcilicèt totus humor exhauſtus eſt, vt fictile, ſuccinum, & toffus: alia poſſunt emolliri, quia totus humor non exiit, vt ferrum, & cornu.

149 ¶ Quæ igne liquantur, aquea ſunt, vt glacies. Excipiuntur nonnulla, quę communia ſunt terræ & aquę, vt cera. Quæ verò ab aqua liquantur, terrea ſunt, vt ſal, & nitrum. Quæ à neutro liquantur, partim terrea ſunt, vt fictile: partim aquæ & terræ communia, vt ferrum & cornu.

150 ¶ Alia poteſtate ad aquam referuntur, quia calore

enim ex elementis corpora ſimilaria, ita ex ſimilaribus diſſimilaria componuntur.

156 ¶ Forma eſt cuiuſque rei eſſentia, ſine qua res non dicitur talis, niſi homonymως. An verò adſit, ex proprio munere dignoſcitur: vt homo mortuus homonymως dicitur homo, quia non ratiocinatur: & oculus lapideus homonymως dicitur oculus, quia non videt.

157 ¶ Efficiens corporum ſimilarium eſt calor & frigus. Intellige efficiens inſtrumentarium: ſunt enim qualitates, per quas natura agit in humidum & ſiccum.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXXV.

DE ANIMA PRIMVS.

CAP. I.

De dignitate, vtilitate, & difficultate ſcientiæ de anima.

SCIENTIA de anima plurimi facienda eſt, cùm propter nobilitatem ſubiecti, tum etiam quia accuratè tradita eſt. Mathematica quidem eſt certior, ſed ſubiectum minùs dignum habet, quippe quæ in quantitatibus verſatur. metaphyſica verò, etſi præſtantius ſubiectum habet, quia de Deo & cœleſtibus intelligentiis agit, tamē minùs certa eſt, quàm hæc ſcientia de anima. Cap. 1.

2 ¶ Huius ſcientiæ duplex eſt vtilitas. I. Confert ad cognoſcendam naturam, quia eſt pars ſcientiæ naturalis, & anima eſt naturale principium animalium. II. Inſeruit omnibus ſcientiis, quatenus declarat earum ſubiectum, in quo inſunt, id eſt, animam.

3 ¶ De anima duo noſſe oportet. I. Eius eſſentiam.

II. Affectiones, quæ vel in ipſa inſunt, vt intelligentia, vel per ipſam ſunt in compoſito, vt iraſci, cupere. Sed vtraque pars magnis obſcuritatibus ac difficultatibus eſt inuoluta.

4 ¶ Quod ad eſſentiam attinet, I. Difficile eſt ſcire, qua methodo ſit inueſtiganda: nam alij aliam methodum in eſſentiis & definitionibus adhibendum putant. II. Quæ ſint principia definitionem animæ conſtituentia.

5 ¶ Vt hæc principia habeantur, I. Sciendum eſt, in qua categoria anima collocetur, ſitne ſubſtantia, an quantitas, an qualitas, &c. II. Vtrùm ſit poteſtas, an actus. III. Vtrùm ſit partibilis, ita vt facultas intellectus ſit in cerebro, ſenſus in corde, vegetatiua in iecore, vt Platoni videtur. an ſit impartibilis, ita vt tota ſit in toto corpore, & tota in qualibet eius parte, ſicut Ariſtoteles ſtatuit. IV. Vtrùm animæ differant inter ſe numero tantùm, an etiam ſpecie, vel genere. V. Vtrùm anima ſit res ſynonyma, quæ recipiat vnam communem definitionem, an homonyma, quæ non poſſit communiter definiri. VI. Vtrùm priùs explicare oporteat totam animam, an partes eius, id eſt, facultates, vegetatiuam, ſenſitiuam, &c. VII. Quæ partes inter ſe coniungantur, vel diſtinguantur. vtputa vtrùm phantaſia & facultas motiua ſint coniungendæ cum ſenſu, an cum intellectu. VIII. Vtrùm priùs explicare oporteat facultates animæ, an operationes. Facultas eſt, vt ſenſus: operatio, vt ſentire. IX. Vtrùm operationes, an obiecta priùs declarari debeant. operatio eſt, vt aſpicere: obiectum eſt, vt res adſpectabilis. X. Definitio animæ debet eſſe talis, vt ex ea omnia animæ accidentia innoteſcant.

6 ¶ De accidentibus ſiue affectionibus duplex eſt quæſtio. I. Vtrùm earum proprium ſubiectum ſit anima, an compoſitum ex anima & corpore. II. Vtrùm anima ſine corpore conſiſtere poſſit, an non.

7 ¶ Poſterioris quæſtionis ſolutio pendet ex ſolutione prioris. Nam ſi animæ operatio ſine corpore aliqua eſt, anima non eget corpore ad operandum, proinde conſiſtit ſine corpore. ſi verò operatio ſine corpore nulla eſt, anima ſine corpore non conſiſtit, quandoquidem nihil poteſt in rerum natura eſſe otioſum.

8. ¶ Ple-

8 ¶ Pleræque affectiones & operationes videntur eſſe animæ & corporis communes: vt iraſci, confidere, cupere, &c. intelligere autem videmur, nihil cooperante corpore, non tamen ſine phantaſia: atqui phantaſia non eſt ſine corpore: quare ſiue intellectus ponatur eſſe phantaſia, ſiue non operari ſine phantaſia, fatendum erit intellectum quoque à corpore non ſeparari. at ſi à phantaſia differt, & ſine ea operatur, ſine dubio immortalis eſt, & à corpore ſeparabilis. Vtrum autem horum verius ſit, tertio libro explicabitur.

9 ¶ Quòd autem pleræque affectiones ſint communes animæ & corpori, patet: quia pro varia corporis affectione, interdum leuibus de cauſis iraſcimur, aut terremur, aliàs ob grauiores cauſas vel minùs vel nihil iraſcimur aut terremur, prout aliàs alio modo corpus noſtrum eſt affectum.

10 ¶ Quocirca in harum affectionum definitione mentio corporis fieri debet. nam phyſicus per formam ſimul & per materiam definit.

11 ¶ Et meritò phyſicus aut omnem aut aliquam animam conſiderat, id eſt, eam quæ corporis animati forma eſt.

12 ¶ Rerum genera quatuor ſunt. I. Res materiales & naturales, quæ conſiderantur à phyſico. II. Res materiales, quæ ab homine fiunt. hæ tractantur ab aliquo artifice, vt ſtatua à ſtatuario. III. Res per ſolum intellectum abiunctæ à materia: vt linea, triangulum, numerus. in his verſatur mathematicus. IV. Res per ſe à materia abiunctæ, vt Deus, & cœleſtes intelligentiæ, de quibus agit metaphyſicus.

Cap. II.

Veterum opiniones de anima.

13 Explicandæ ſunt veterum ſententiæ de anima, vt ab eis rectè dicta ſumamus, falsò pronunciata refutemus. Cap. 2.

14 ¶ Quoniam animatum ab inanimato differt potiſſimùm cognitione, & motu, quatenus animata cognoſcunt, & à ſe mouentur: idcirco animæ definitionem alij ex motu

colligunt, vt Democritus, Leucippus, Pythagorei, Thales, Alcmæon, Hippon, alij ex cognitione, vt Empedocles, Plato, Critias, alij ex vtroque, vt Anaxagoras, Diogenes, Heraclitus, Xenocrates.

55 ¶ Democritus & Leucippus exiſtimant animam eſſe ignem, & conſtare ex atomis rotundis, idcóque per vniuerſum corpus permeare, & id mouere. reſpiratione autem opus eſſe, per quam eiuſmodi atomi extrinſecus attrahantur, partim vt opem ferant animæ, ne ab aëre comprimente extrudatur, partim, vt in locum extruſarum atomorum ſuccedant.

16 ¶ Pythagoreorum nonnulli aiunt animam eſſe ramenta illa quæ in aëre mouentur, & in radiis Solis per feneſtras immiſſis apparent: alij eſſe id quod ramenta illa mouet.

17 ¶ Alcmæon ſtatuit animam eſſe id quod ſeipſum mouet, ideóque eſſe immortalem. quod enim à ſeipſo mouetur, ſemper mouetur: quod autem ſemper mouetur, immortale eſt.

18 ¶ Thales cenſet animam eſſe quiddam aptum ad mouendum, vnde magneti animam tribuit, quia mouet ferrum.

19 ¶ Hippon aſſerit animam eſſe aquam, ſeu genituram, quæ humida eſt.

20 ¶ Empedocles, qui ſex rerum naturalium principia ponit, ignem, aërem, aquam, terram, cõcordiam, diſcordiam, ex his omnibus animam componit, inquiens animam aquâ cognoſcere aquam, igne ignem, concordiâ concordiam, &c. quia ſimile ſimili cognoſcitur.

21 ¶ Plato in Timæo animam componit ex tribus principiis, eodem, diuerſo, & eſſentia. Eiuſdem appellatione ſignificat rem immaterialem, quæ ſemper eodem modo ſe habet. diuerſi appellatione ſignificat rem materialem, quæ eſt variationi obnoxia.

22 ¶ Idem in dialogo de bono animam conſtituit ex vnitate, numero binario, ternario, & quaternario. proinde cenſet animam eſſe numerum denarium, quia vnum, duo, tria, quatuor faciunt decem.

23 ¶ Hinc quatuor ſecundum Platonem ſunt cogni-

tionum

tionum genera. I. Intelligentia, quæ habet rationem vnitatis: quia eſt cognitio ſimplex abſque ratiocinatione. II. Scientia, quæ refertur ad binarium: quia eſt progreſſus ab vno medio termino ad vnam concluſionem. III. Opinio, quæ reſpondet numero ternario: quia cùm opinio habeatur de iis quæ poſſunt eſſe & non eſſe, opinantes progredimur quodammodo ab vno medio ad duas concluſiones, alteram affirmantem, alteram negantem. IV. Senſus, qui ſpectat ad numerum quaternarium: quia ſentiuntur res corporeæ, quæ conſtant ex quatuor elementis.

24 ¶ Critias ait animam eſſe ſanguinem, exiſtimans ſenſum eſſe maximè proprium animæ, atque hunc animalibus propter ſanguinem ineſſe.

25 ¶ Anaxagoras obſcurè locutus eſt. nam modò diſtinguit inter animam & mentem, modò pro eodem accipit: vtrique autem tribuit cognitionem & motum.

26 ¶ Diogenes aſſerit animam eſſe aërem, ideóque ſubtiliſſimis conſtare partibus, & tam ad cognoſcendum, quàm ad mouendum aptam eſſe.

27 ¶ Heraclitus putat animam eſſe exhalationem, ideóque eſſe principium ſubtiliſſimum, & ſemper fluens, & ad cognoſcendum. Sic enim ſtatuit, primum rerum naturalium principium eſſe exhalationem, res omnes eſſe in continuo motu, & ſimile ſimili cognoſci, hoc eſt, id quod mouetur, eo cognoſci quod mouetur.

28 ¶ Xenocrati anima nihil aliud eſt, quàm numerus ſeipſum mouens. quam definitionem accepit à præceptore ſuo Platone. Nam & Plato ſtatuit animam eſſe numerum denarium, vt ſuprà expoſui.

29 ¶ Prout quiſque de principiis ſtatuit, ita etiam de anima pronunciat. nam qui ponunt vnum rerum naturalium principium, animam id eſſe aiunt, putà aquam, vel aërem. qui verò plura vel contraria principia ſtatuunt, ex pluribus vel contrariis animam componunt.

30 ¶ Quidam probant animam eſſe ignem ſeu calidum, quia viuere dicitur ζῆν, vt dicatur ζάω, id eſt, viuo, quaſi ζέω, id eſt, ferueo. Alij probant animam eſſe quiddam frigidum, quia dicitur ψυχὴ, id eſt, anima, propter κατάψυξιν, id eſt, refrigerationem, quæ per reſpirationem fit.

Cap. III.

Diſputatio contra eos, qui animam per motum definiuerunt.

Cap. 3. 31 QVi animam per motum definiunt, errant duplicem errorem. I. Malè colligunt animam moueri, ex eo quòd mouet corpus: quaſi neceſſe ſit, vt quicquid mouet, etiam moueatur. nam contrarium fuit probatum 8. phyſico. II. Falsò aiunt animam per ſe moueri. nam mouetur quidem per accidens propter motum corporis, ſicut nauta mouetur motu nauis, per ſe autem non mouetur.

32 ¶ Animam per ſe non moueri probatur his argumentis. I. Si moueretur, eſſet in loco. quicquid enim per ſe mouetur, in loco eſt: ſiue locum mutet, ſiue varietur, ſiue augeatur, ſiue minuatur. atqui anima cùm ſit forma animati, non eſt in loco, ſed in ſubiecto: ergo non mouetur. II. Si naturaliter moueretur, etiam vi moueretur & quieſceret. quales autem ſint violenti animæ motus aut quietes, nec intelligi neq; fingi quidem poteſt. III. Anima non differret ab aliquo corpore. vtputa ſi aſcenderet, eſſet ignis. ſi deſcenderet, eſſet terra. IV. Iiſdem motibus mouebit corpus & ſeipſam. atqui corpus, cùm ab anima mouetur, mutat locum; ergo etiam anima locum mutabit. poterit igitur exire ex corpore, & redire. Sic animalia reſurgent. Hæc autem Ariſtoteles cenſet eſſe abſurda. Quamquàm Plinius lib. 7. natural. hiſtor. cap. 52. ſcribit Hermotimi Clazomenij animam relicto corpore errare ſolitam, vagámque è longinquo multa annunciare, quæ niſi à præſenti noſſe non poſſent, corpore interim ſemianimi, donec cremato eo inimici (qui Cantharidæ vocabantur) remeanti animę velut vaginam ademerunt.

33 ¶ Animam non eſſe αὐτοκίνητον id eſt, eius eſſentiam non eſſe in eo poſitam vt ſeipſam moueat, duobus argumentis probatur. I. Quod per ſe ab alio mouetur, per ſe à ſeipſo non mouetur: atqui anima per ſe ab aliis mouetur, nempe ab obiectis: ergo à ſe ipſa per ſe non mouetur. II. Si eſſentialiter à ſeipſa moueretur, à ſua ipſis eſſentia recederet, quod eſt abſurdum.

34 ¶ De-

34 ¶ Democritus ait atomos rotundas,quæ animam conſtituunt, in corpore ineſſe, & dum mouentur, ſimul trahere & mouere corpus, quaſi corpus moueatur ab anima, vt lignea Venus Dædali mouebatur ab argento viuo infuſo. Hæc ſententia refellitur,I.Quia hac ratione anima corpori tribueret tantùm motum,non etiam quietem. II. Quia anima mouet corpus prælectione quadam & intellectione: vtputà eo in forum,vt ibi aliquid emam,quæ ratio mouendi longè diuerſa eſt ab illa Democritea.

35 ¶ Timæus in natura animæ explicanda ſimul conſiderat animam mundi, & animam humanam, quam exiſtimat eſſe illius particulam quandam. I. Autem inquit animam eſſe rectitudinem quandam conſtantem ex elementis (id eſt, ex eſſentia & eodem & diuerſo,vt notaui ax.21.) & diſtinctam numeris harmonicis. 1.2.3.4.8.9.27. Nam inter 1.& 2. eſt harmonia, quæ vocatur diapaſon,vulgo octaua: inter 2. & 3. eſt harmonia diapente,vulgo quinta: inter tria & quatuor, diateſſaron, vulgo quarta:inter 2. & 8. diſdiapaſon, vulgo quinta decima: inter 3. & 8. compoſita ex diapaſou & diateſſaron, vulgò vndecima. inter 8. & 9. tonus. inter 9.&27. compoſita ex diapaſon & diapente, vulgò duodecima. Eſt igitur rectitudo in his numeris,quatenus recto ordine collocantur,minoribus numeris præpoſitis,& maioribus poſtpoſitis,hunc in modum.

1 2 3 4. 8 9. 27

necnon in mundo,quia mundi axis rectus eſt.

Item in anima rectitudo ineſt,quatenus in ea conſiderantur eſſentia,potentia,& actus.

Eſſentia Potentia Actus

II. Ait Timæus rectitudinem illam in orbem flecti, tum in numeris,quatenus addita vnitate fiunt ex paribus impares,& ex imparibus pares,quàm in mundo,quia cœlum ſupra axim.

conuertitur:nec non in anima,quia anima in ſe ipſam reflectitur,& ſeipſam cognoſcit. III. Diuidit circulum in duos circulos,id eſt,cœlum in octauam ſphæram, quæ ſecundum veteres eſt primum mobile,& mouetur ab ortu ad occaſum, & ſphæram planetarum, quæ mouetur ab occaſu ad ortum. Itidémque animam diuidit in facultatem rationalem, quæ proportione reſpondet octauæ ſphæræ,& irrationalem, quæ reſpondet ſphæræ planetarum. Vt enim huius ſphæræ motus aduerſatur motui octauæ ſphæræ,ita facultas irrationalis rationali repugnat. IV. Diuidit alterum duorum circulorum in ſeptem,id eſt,ſphæram planetarum in ſeptem planetas, & animam irrationalem in ſeptem facultates, iraſcibilem, concupiſcibilem,memoriam,æſtimatiuam, phantaſiam, ſenſum communem,& ſenſum externum.

36 ¶ Tria indictis Timæi falſa ſunt. I. Animam eſſe magnitudinem,id eſt,circulum. II. Intellectionem eſſe conuerſionem quandam,ſeu motionem orbicularem. III. Animam mundi eſſe commixtam cum corpore.

37 ¶ Intellectum non eſſe magnitudinem, probatur tribus argumentis. I. Intellectus ita eſt vnus,vt eſt vna intellectio:& ita eſt vna intellectio,vt vnũ eſt obiectum:atqui obiectum non eſt vnum magnitudine: ergo etiam intellectus nõ eſt vnus magnitudine. II. Cùm Timæus aſſerat animá mundi eſſe magnitudinem,conſequenter ait eam mouere & cognoſcere mundum per contactum. vel igitur tangit punctis, vel omnibus partibus,vel aliquibus partibus,vel toto circulo atqui hæc omnia ſunt falſa:ergo falſum eſt, animam mundi eſſe magnitudinem ſeu circulum. Quòd non tangat punctis, probo:quia in qualibet magnitudine ſunt infinita puncta, vt probatum eſt 6. phyſico,ergo ſi intellectus mundum punctis tangat,& cognoſcat,infinities mundum cognoſcet. quod abſurdè dicitur. Quòd non tangat aliquibus partibus,probo, cùm quia reliquę partes fruſtrà ponẽtur,cùm ſint otioſę,tum etiam quia hac ratione fiet,vt Timæus temerè dixerit hunc intellectum moueri. quid enim vetat ipſum vna parte,vt vno digito,flectere mundum in orbem,cùm ipſe ita non moueatur? Quòd non tangat omnibus partibus,probo, quia hac ratione fiet,vt intellectus mundum ſæpius intelligat,cùm conſtet ex multis partibus: immò infinities intelligat propter æternita-

æternitatem huius conuerſionis,vnde,fit, vt ſæpiùs & infinities eandem rem tangat.Quòd non tangat toto circulo,probo,quia tunc nullus eſſet motus partium, proinde fruſtrà hæ partes eſſent.

38 ¶ Intellectionem non eſſe conuerſionem, probatur per deductionem ad tres abſurditates.Nam I. Si intellectio eſſet conuerſio, intellectus eſſet circulus. quam ſententiam iam refutaui. II. Intellectio careret principio & fine. III. Neceſſe eſſet,vt anima ſæpius eandem rem intelligeret.

39 ¶ Intellectionem non eſſe motionem,probatur duobus argumentis. I. Quia intellectio eſt ſimilior quieti & ſtatui,quàm motui.cùm enim intellectus non intelligit,hęſitat & fluctuat.cùm verò intelligit, quieſcere dicitur,vt cap. 3.de interpr.partic.6. II. Quia cùm motio ſit præter rei eſſetiam, laborioſa eſt. quare anima mundi non eſſet beata, ſed laborioſam vitam degeret.

40 ¶ Animam mundi non eſſe commixtam cum corpore probatur, quia melius ei eſt, vt ſit ſine corpore, quàm cum corpore.

41 ¶ Doctrina Timæi eſt imperfecta. I. Quia non docet,cur cœlum moueatur orbiculariter. II. Quia non declarat, cur animæ magis conueniat motus quàm quies, & cur potiùs moueatur in orbem, quàm alio motu. III. Quia non explicat,quo modo ſe habeat corpus,quod animam ſuſcipit, & quomodo eam ſuſcipiat.

C A P. I V.

Animam non eſſe harmoniam.

42 ETſi ſublatâ partium corporis harmoniâ, tollitur anima,& ſublatâ animâ,tollitur harmonia,tamen anima non eſt harmonia:quod probatur quatuor argumentis. Cap. 4.
I. Omnis harmonia eſt mixtio vel compoſitio partium: atqui anima non eſt mixtio,nec compoſitio:ergo non eſt harmonia.Maior declaratur: quia partes miſceri dicuntur, cùm variantur,vt elementa,ex quibus mixta corpora componuntur compoſitio dicitur, cùm partes non variantur, nec miſcentur,vt animal componitur ex capite,brachiis,cruribus,& ceteris partibus.Minor probatur:quia in corpore ſunt multæ

mixtiones, & multæ compoſitiones: etenim per aliam elementorum mixtionem fit caro, per aliam ſanguis, per aliam os.rurſus alia eſt compoſitio ceruicis & dorſi, alia brachij, & manus,alia cruris,ſuræ & pedis. quare ſi anima eſſet mixtio, vel compoſitio,multę eſſent animæ in eodem corpore:quod eſt abſurdum. II. Harmonia non eſt cauſa motus:anima verò eſt cauſa motus,quippe quę mouet corpus:ergo anima nō eſt harmonia. III. Harmonia magis conuenit ſanitati,& aliis virtutibus corporeis,quam animæ. IV. Per eſſentiam explicantur rei affectiones & operationes: per harmoniam verò non poſſunt explicari affectiones & operationes animæ: ergo hatmonia non eſt animæ eſſentia.

43 ¶ Empedoclis doctrina imperfecta eſt. I. Quia cùm dicat animam in ratione conſiſtere, (rationem hîc intellige, quam aliqui proportionem vocant)non declarat,vtrùm anima ſit ratio,an ſit aliud quiddam,quod tunc membris accedit,cùm eis ratio ineſt. II. Nō docet,vtrùm amicitia ſit cauſa cuiuſcumque mixtionis, an eius tantùm quæ in ratione conſiſtit. III. Vtrùm amicitia ſit ratio quædam, an à ratione differat.

Cap. V.

Animam aliis præter localem motibus non moueri.

44 INterdum animæ tribuimus dolorem,lætitiam,iram, &c.nō quia anima ſit harum affectionum ſubiectum, ſed quia eſt earum cauſa : adeo vt non ſint affectiones ipſius animæ,ſed ab anima, & magis propriè dicimus hominem iraſci,dolere,texere,ædificare,quàm animam.

45 ¶ Cùm ſenſus aut intellectio ſenio vel morbo deprauatur,vitium non eſt in anima,ſed in corpore. Nam ſi ſenex haberet oculum iuuenis,videret vt iuuenis Denique anima non corrumpitur, ſed corpus, quod eſt animæ inſtrumentum quoddam.

Cap. VI.

Animam non eſſe numerum ſeipſum mouentem.

46 ANima à Xenocrate malè definitur numerus ſeipſum mouens. I. Quia nō mouetur,vt ſuprà oſtendi. II.

di. II. Quia non eſt numerus,id eſt, vnitatum collectio, ſeu multæ vnitates, vt mox oſtendam. III. Quia ex hac Xenocratis definitione non poteſt ratio afferri affectionum & operationum animæ , puta cur iraſcamur, doleamus , intelligamus.

47 ¶ Animam non eſſe numerum ſiue vnitates, contra Xenocratem probatur: I. Quia vnitas non poteſt a ſe moueri, anima verò ſecundum Xenocratem à ſe mouetur. II. Quia cùm anima poſitionem habeat, quippe quæ eſt in corpore, ſimilior eſt lineæ, quàm numero , & conſtat potiùs ex punctis, quàm ex vnitatibus. III. Quia cùm ramus arboris amputatur,manet in arbore eadem anima: & cùm cauda lacertæ abſcinditur, manet in lacerta eadem anima : cùm tamen dici non poſſit manere eundem numerum.Finge enim animam arboris eſſe numerum denarium:in ramo amputato fuiſſe binarium.duobus igitur demptis non manent decem, ſed octo: numerus ergo mutatus eſt. quare cùm anima non mutetur, certè anima non eſt numerus. IV. Quia quod à ſe mouetur,diuiditur in partem mouentem & partem motam, vt probatum fuit octauo phyſico: quare ſi anima ſeipſá mouet,diuidetur in partem mouentem & partem motam. cùm igitur anima moueat,anima erit ea ſola pars quæ mouet.proinde non mouet ſeipſam,ſed mouet alteram partem,quę nō eſt anima. V. Quia cum punctum ſit vnitas poſitionem habens,anima verò poſita ſit in corpore: certè ſi anima ſit vnitates, erit puncta. atqui in corpore quoque ſunt puncta. aut igitur puncta corporis & animæ differunt,aut non differunt. Si differunt,ſimul erunt punctum animæ & punctum corporis. ita duo puncta erunt in eodem,& eadem ratione plura atque adeo infinita puncta in eodem eſſe poterunt. Si non differunt, puncta igitur corporis conſtituunt animam, conſequenter omnia corpora erunt animata,ſiquidem in omnibus ſunt puncta, & inſuper anima intellectiua non poterit ſeparari à corpore.quæ omnia ſunt abſurda.

48 ¶ Tantùm abeſt vt numerus ſeipſum mouens,ſit eſ- Cap. 5.
ſentia ſiue definitio animæ,vt ne quidem quaſi accidens , & omnino nullo modo attribui animæ poſſit, ſicut ex ſuperioribus argumentis colligi poteſt.

Cap. VII.

Animam non conſtare ex elementis.

49 SEntentia eorum qui dixerunt animam ex elementis conſtare, vt quamcumque rem ſimili cognoſcat,id eſt,aquam aqua,aërem aëre,&c. hæc(inquam)ſententia ſequentibus argumentis refutatur. I. Anima hac ratione tantùm cognoſceret elementa, non compoſita ex elementis: in quibus compoſitis ineſt aliquid præter elementa, nempe propria forma. II. Anima nec conſtat ex principiis ſolius ſubſtantiæ, quia non cognoſceret accidentia: nec dumtaxat accidentium, quia non cognoſceret ſubſtantiam: nec ſubſtantiæ & accidentium, quia ſimul eſſet ſubſtantia & accidens. III. Huius ſententiæ auctores ſibi contradicunt, dum dicunt ſimile à ſimili cognoſci, & ſimile à ſimili non pati. nam cognoſcere eſt pati. IV. Si ſimile ſimili cognoſceretur, os cognoſceret oſſa, caro carnes, neruus neruos. V. Cuique elemento plus ineſt ignorantiæ, quàm cognitionis,quia aër(exempli gratiâ)tantùm aërem cognoſcit, alias res vtpote diſſimiles ignorat:ergo non poteſt eſſe cauſa cognitionis. VI. Deus minùs cognoſceret, quàm homo,id eſt,non cognoſceret diſcordiam, cuius cognitionem homines habent. VII. Omnes res cognoſcũtur:ergo omnes ſunt animatę,quia ſimiles ſunt cognoſcentibus,cognoſcentia verò ſunt animata. VIII. Oportet eſſe aliquid diuerſum ab elementis,quod ea contineat & vniat,alioquin homo non eſſet vnus, nec animal vnum: id autem non poteſt eſſe aliud, quàm anima: ergo anima eſt res diuerſa ab elementis. IX. Animæ plantarum non cognoſcunt. X. Malè colligunt animam conſtare ex elementis omnibus, ex eo quòd omnia cognoſcit:quia nihil vetat, quominùs vno ex duobus contrariis anima vtrumque contrarium cognoſcat:quia recto,vt normâ,cognoſcimus tam rectum,quàm obliquum.

Cap. VIII.

Animam non eſſe rebus omnibus permixtam.

50 QVidam putarunt animam mundi eſſe rebus omnib.permixtam. vnde Thales omnia inquit Deorum

rum plena eſſe.Sic Virg.Eclo.3. --*Iouis omnia plena.*

51 ¶ Hæc ſententia reprobatur: I. Quia ſi anima eſſet in omnibus rebus, omnes res eſſent animatæ: quod eſt perſpicuè falſum. II. Quia partes animæ,vt intellectiua & ſenſitiua,non ſunt ſimilares:proinde tota anima non poteſt eſſe in corpore ſimilari,vt in aëre.

Cap. IX.

De animæ vnitate,& operationibus.

52 PLato in homine ponit plures animas, quaſi per aliam intelligat,per aliam cupiat, &c. Inquit ergo intellectum eſſe in cerebro, ſenſum in corde, vegetatiuam in iecore.

53 ¶ Hæc ſententia refutatur ſequentibus argumentis. I. Homo eſt vnus : ergo anima eſt vna, ſiquidem per animam eſt homo. II. Intellectus nullam partem corporis continet, ſed eſt facultas abiuncta à materia. III. Diuisâ plantâ,vel animali inſecto, vt veſpâ, eadem anima reperitur in vtraque parte:ergo non ſunt in diuerſis partibus corporis diuerſæ animæ.

54 ¶ Quia vita eſt omnibus animalibus & plantis communis,referenda eſt ad facultatem vegetatiuam, quæ in his omnibus reperitur.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXXVI.

DE ANIMA SECVNDVS.

Cap. I.

Animæ definitio prima.

Cap. 1. ANima eſt actus corporis naturalis organici poteſtate vitam habentis. Dixi, *actus*. Intellige actum primum, id eſt, formam. nam actus ſecundus eſt operatio, vt contemplari. Anima igitur eſt forma, & corpus eſt materia, ex quibus componitur corpus animatum, vt animal, vel planta. Dixi, *corporis naturalis*. hoc corpus euidentiſſimè ſubſtantia eſt. Dixi, *organici*. nam omne corpus animatum eſt organis ſiue inſtrumentis præditum. vt oculus eſt inſtrumētum aſpectus: folium eſt inſtrumentum tegendi ac tuendi fructus. Dixi, *poteſtate vitam habentis*. vita eſt actus ſecundus. Poteſtate vitam, ſeu poteſtatem ad viuendum habere dicitur, non id quod nondum habet animam, vt ſemen: nec quod abiecit animam, vt cadauer, ſed quod actu animam habet, vt animal, planta.

2 ¶ Cùm duplex ſit forma: altera aſſiſtens, vt nauta eſt forma nauis, & intelligētia eſt forma corporis cœleſtis: altera informans, vt forma aëris, aut ligni: anima eſt forma informans, proinde inſeparabilis à corpore. Excipitur intellectus, qui non vtitur organo corporeo, ideóque à corpore ſeparatur, vt lib. 3. docebitur.

Cap. II.

Animæ definitio altera.

Cap. 2. 3 VIta diſtinguit animata ab inanimatis.

4 ¶ Quatuor ſunt vitarum genera, intellectiua, ſen-

ua,ſenſitiua,loco motiua,vegetatiua. Vegetatiuam voco, ſecundum quam viuens alitur,augetur,minuitur,generat.

5 ¶ In mortalibus vegetatiua reperitur ſine aliis, vt in plantis:alia verò ſine ipſa non reperiuntur.

6 ¶ Itaque viuens eſt per vegetatiuam ſuprà lib.1.axio.vlt.

7 ¶ Animal autem eſt per ſenſum.

8 ¶ Tactus in quibuſdam animalibus reperitur ſine aliis ſenſibus:alii verò ſenſus non conſiſtunt ſine tactu.

9 ¶ Anima eſt principium viuendi, ſentiendi, intelligendi,loco mouendi.

10 ¶ Hæc quatuor, vegetatiuum, ſenſitiuum, intellectiuum, loco motiuum, aut conſiderantur in eodem viuente, aut in diuerſis viuentibus.

11 ¶ Si ſpectentur in eodem viuente, à ſe inuicem non ſeparantur loco,vt Plato exiſtimauit conſtitués intellectum in cerebro,ſenſum in corde,vegetatiuum in iecore:ſed ſeparantur ratione tantum.

12 ¶ Quòd non ſeparentur loco,ſic probatur. I. Si planta diuidatur in partes eadem anima vegetatiua in omnibus partibus reperietur:vna igitur eſt anima in toto corpore,quæ per accidens diuiditur ad diuiſionem corporis. II. Si animal inſectum, vt veſpa, diuidatur in duas partes, vtraque pars non ſolùm habet animam vegetatiuam, ſed etiam ſenſum & motum:ergo idem dicendum eſt de ſenſitiua,& motiua. Dubitatur de intellectu contemplatiuo, qui nihil videtur habere commune cum aliis animæ facultatibus,ſed ab iis diſtingui vt immortalis à mortalibus. Hæc dubitatio in præſentia ſolui nequit: ſed quid de eo ſentiendum ſit, lib.3. declarabitur.

13 ¶ Quòd ſeparentur ratione,patet ex earum operationibus diuerſis.vtputà aliud eſt intelligere,aliud ſentire:ergo intellectus & ſenſus differunt.

14 ¶ Si ſpectentur diuerſa viuentia, in aliis ſunt omnes animæ facultates,vt in homine:in aliis quædam,vt in equo:in aliis vna vegetatiua,vt in plantis.

15 ¶ Similiter alia animalia habent ſolum ſenſum tactus, alia etiam alios ſenſus. Tactus appellatione intellige etiam guſtum, qui eſt tactus quidam, vt poſteriùs explicabitur.

16 ¶ Ex dictis colliguntur duo argumēta, quibus probatur animam eſſe formam. I. Id, quo viuimus, ſentimus, & intelligimus primò, eſt forma: atqui animā eſt id, quo viuimus, &c. ergo anima eſt forma. II. Compoſitum ex anima & corpore, denominatur ab anima, & vocatur corpus animatum: ergo anima eſt forma corporis, quia res à forma denominantur. Cùm dico animam eſſe formam corporis, ne intelligas quoduis corpus; ſed corpus organicum poteſtate vitam habens, vt ſuprà docui.

Cap. III.

De facultatibus animæ.

Cap.3. 17 Animæ facultates multæ ſunt, ſed comm[illegible]iſſimè ad quatuor referũtur, vegetatiuam, ſenſitiuam, loco motiuam, & intellectiuam. Vnde conſtituuntur quatuor viuentium gradus. In primo ſunt plantæ, quæ habent ſolam vegetatiuam. In ſecundo ſunt animalia, quæ ſolo ſenſu tactus & cupiditate ſeu concupiſcentiā prædita ſunt, vt conchylia. In tertio animalia, quæ loco mouentur, vt feræ, piſces, volucres. In quarto animal rationale, vt homo.

18 ¶ Anima non eſt genus ante multa, id eſt, idea, ſed eſt vniuerſale in multis. neque vlla anima eſt, quæ non ſit aut vegetatiua, aut ſenſitiua, aut loco motiua, aut intellectiua.

19 ¶ In his eſt certus ordo. Nam I. Vegetatiua poteſt eſſe ſine ſenſitiua, vt in plantis: ſenſitiua autem ſine vegetatiua eſſe nequit. ſuprà axiom. 4. II. Tactus in quibuſdam animalibus eſt ſine aliis ſenſibus: ſed alij ſenſus non ſunt ſine tactu ſuprà axio. 7. III. Reliquæ facultates reperiũtur in brutis ſine intellectu: intellectus autem immortalibus, id eſt, in hominibus non eſt ſine aliis facultatibns.

Cap. IV.

De facultate vegetatiua.

Cap.4. 20 De ſingulis animæ facultatibus duo ſunt enarranda. I. Eſſentia, id eſt, quid quæque facultas ſit. II. Conſequentia, vt operationes, & organa.

21 ¶ Quid quæque facultas ſit, ex operatione apparet: operatio autem ex obiecto dignoſcitur. Quare ab obiecto ad operationem, & ab operatione ad facultatem animæ progredi oportet.

22 ¶ Prima eſt anima vegetatiua, quoniam hæc ſola ineſt omnibus viuentibus. de mortalibus loquor, non de cœleſtibus intelligentiis.

23 ¶ Anima tribus modis cauſa eſt. I. Vt forma. II. Vt finis. III. Vt efficiens.

24 ¶ Anima eſt forma, quia per eam viuens eſt viuens.

25 ¶ Rurſus eſt finis: quia vtitur corpore tamquàm inſtrumento: omne autem inſtrumentum eſt eius gratiâ, cuius inſtrumentum eſt.

26 ¶ Denique eſt cauſa efficiens, I. Motionis, quia mouet corpus. II. Variationis, quia eſt cauſa ſenſus, omnis autem ſenſus eſt variatio quædam. III. Auctionis & deminutionis: quia quod naturaliter augetur vel minuitur, animatum neceſſariò eſt, quippe quod alitur.

27 ¶ Obiter de cauſa auctionis & nutritionis notentur tres ſententiæ. Prima Empedoclis, ſecunda aliorum veterum, tertia Ariſtotelis.

28 ¶ Empedocles dixit plantas ali & augeri igne & terrâ: idcóque ramos ſurſum verſus emitti, propter ignem qui eſt leuis: radices autem deorſum, ob terram quæ eſt grauis.

29 ¶ Reprehenditur Empedocles ab Ariſtotele. I. Quia malè conſtituit in plantis locum ſuperum & inferum, quaſi eodem modo hęc loca ſtatuenda ſint in plantis & in vniuerſo. cùm enim ex officiis ſingula membra, & ſingulæ viuentium partes dignoſcantur: certè quod eſt caput in animalibus, ſunt radices in plantis: ergo locus ſuperus plantarum tribuendus eſt radicibus, inferus ramis. II. Quia cauſa cur plãta in contrarias partes augeatur, non ſunt ignis & terra: ſic enim ignis adſcendens ac terra deſcendens ſepararentur, & planta periret: ſed cauſa eſt anima, quæ ignem & terram vnit & continet.

30 ¶ Quidam putarunt ſolo igni viuentia ali & augeri: quia etiam extra viuentia ſolus inter elementa ignis alitur & augetur.

31 ¶ Ariſtotelis ſententiâ anima eſt cauſa principalis,

propter quam viuens alitur & augetur: ignis autem ſeu calor eſt concauſa, tamquàm animæ inſtrumentum.

32 ¶ Animæ vegetatiuæ obiectum eſt alimentum.

33 ¶ Alimentum patitur ab eo quod alitur, & mutatur in eius naturam. Itaque primò dum eſt crudum, eſt contrarium ei quod alitur: deinde cùm eſt concoctum, ei ſimile *eſt*.

34 ¶ Id autem quod alitur, eſt corpus animatum, vt *animal*, & planta.

35 ¶ Alimentum I. Valet ad nutriendum, quatenus eſt ſubſtantia, & conſeruat ſubſtantiam eius quod nutritur: ſemper enim aliquid ex corpore viuente deperit, ſed per alimentum inſtauratur: proinde viuens tamdiu viuit, quamdiu alitur. II. Valet ad augendum, quatenus eſt quantum. Cùm enim plus per alimentum reparatur, quàm ſit amiſſum, viuens augetur. cùm autem tantumdem, dicitur ἀκμὴ ſeu ſtatus & flos vitæ. denique cùm minùs reparatur, quàm deperditur, corpus animatum minuitur. III. Valet ad generandum: non generatur autem id ipſum, quod alitur, ſed aliud ſimile, id eſt eiuſdem ſpeciei. quod enim ex alimento ſuperfluum eſt, id eſt, quod ipſi indiuiduo conſeruando non eſt neceſſarium, eo natura vtitur vt ſemine ad aliud ſimile procreandum, atque hac ratione ſpeciem perpetuò conſeruat.

36 ¶ Tres igitur ſunt operationes animæ vegetantis, alere, augere, generare. Quapropter tres continet facultates, nutritiuam, auctiuam, generatiuam.

37 ¶ Id quod alitur, eſt corpus, id quod alit, eſt anima, id quo alitur, eſt alimentum, & calor naturalis quo alimentum concoquitur.

Cap. V.

De ſenſu.

Cap. 5. 38 SEntire eſt pati. nam ſenſus patitur & variatur ab obiecto, cuius ſpecies recipit: vt aſpectus patitur, dum recipit ſpecies (quas vocant) viſibiles.

39 ¶ Senſus nec ſeipſum nec ſuum organum ſentit, ſed tantùm obiecta externa.

40 ¶ Poteſtas eſt duplex, id eſt, prima & ſecunda. itidémque

démque actus duplex, primus eſt ſecundus. Prima poteſtas refertur ad primum actum. ſecunda ad ſecundum actum. idem enim dicitur actus reſpectu primæ poteſtatis: & poteſtas reſpectu actus. Prima poteſtas eſt materia, ſeu ſubiectum: primus actus eſt forma: ſecundus actus eſt operatio. Verbi gratià, homo indoctus eſt poteſtate ſciens: homo ſciens dormiens, habet actum primum, & poteſtatem ad actum ſecundum: ſed vir doctus, qui contemplatur, eſt in actu ſecundo.

41 ¶ His tribus modis dicitur eſſe ſenſitiuum. Nam ſemen eſt poteſtate ſenſitiuum. animal, dum non ſentit, habet tantum actum primum. dum autem ſentit, eſt in actu ſecundo. Et actum quidem primum accipit à generante, ſecundum verò ab obiecto externo.

42 ¶ Quicquid actu ſentitur, eſt ſingulare, & extra animam, licèt id, quod intelligitur, ſit vniuerſale, proinde ſit in anima. Vide 1. Poſter. cap. 31.

43 ¶ Contemplamur itaque, quando volumus: quia ſemper obiectum adeſt, quod eſt in anima. ſentire tamen, etiamſi velimus, tamen non poſſumus, niſi obiectum adſit. vtputà non poſſumus audire, niſi ſit ſonus aliquis: aut videre, niſi ſit res aſpectabilis.

44 ¶ Senſitiuum, dum actu ſentit, fit ſimile ſenſibili, cuius ſpecies recipit.

45 ¶ Senſitiuum eſt, quod ſentit, nempe animal. ſenſorium eſt, quo ſentitur, vt oculi pupilla, id eſt, humor chryſtallinus qui in oculo eſt. 1. de hiſtor. anim. cap. 9. Senſibile eſt, quod ſentitur, vt res aſpectabilis. Senſus modò ſignificat facultatem animæ ſentientis, modò ipſam operationem, id eſt, (vt ita dicam) ſenſationem.

CAP. VI.

Diſtinctio ſenſibilium.

46 SEnſibile dicitur tribus modis. I. Proprium, quod non poteſt alio ſenſu ſentiri, & circa quòd ſenſus remotis impedimentis non fallitur. vt color eſt proprium obiectum aſpectus: quia non percipitur alio ſenſu; & aſpectus in coloribus diiudicandis non fallitur, niſi aut oculus ſit malè affectus, aut res ſit nimis remota, aut aliud ſimile impedi- Cap. 6.

mentum obſtet. II. Commune,quod pluribus ſenſibus percipitur: vt motus, quies, figura, magnitudo. III. Per accidens: vt filius Sophroniſci per accidens percipitur aſpectu, quatenus ei accidit,vt ſit albus.

Cap. VII.

De aſpectabili,& aſpectu.

Cap.7. 47 Senſuum mobiliſſimus & maximè dilectus eſt aſpectus,1.Metaphyſ. cap.1. cuius obiectum vocatur aſpectabile.

48 ¶ Aſpectabilium duplex diuiſio notetur. I. Quædam cernuntur tantùm in lumine, nimirum colores: alia tantùm in tenebris, vt ſplendor ligni putridi, & poſteriori pars noctilucæ.nonnulla tam in lumine,quàm in tenebris,vt ignis. II. Alia ſunt aſpectabilia per ſe,nempe ſuperficies coloratæ:alia per aliud,id eſt,per alienum colorem, vt corpora perlucida,vel vt aër,& aqua.

49 ¶ Lumen eſt actus perlucidi, quatenus eſt perlucidum.Non eſt enim corpus,alioqui duo corpora ſimul eſſent, vt aër & lumen: ſed eſt quaſi color perlucidi: quia quam rationem habet color ad rem coloratam, eandem habet lumen ad rem perlucidam.

50 ¶ Tenebræ ſunt priuatio luminis.

51 ¶ Ridiculè ait Empedocles lumen ferri inter terram & cœlum,ſed hunc motum nos latere.

52 ¶ Aſpectus requirit medium inter obiectum & ſenſorium:idcirco ſi res ſupra oculum ponatur,non videtur. Eadémque eſt ratio aliorum ſenſuum. omnes enim requirunt ſenſorium,obiectum,& corpus interiectum,quod motum ab obiecto,mouet ſenſorium,& ita fit ſenſus.

53 ¶ Color tantùm in lumine cernitur, quia natura eius eſt,vt moueat perlucidum:lumen autem eſt,quod facit actu perlucidum:

54 ¶ Poſterior pars noctilucarum, ligna putrida, fungi, cornua,capita quædam piſcium, ſquammæ oculi,non ſolùm colore prædita ſunt,ſed etiam luce quadam exigua,ſi tamen lucis appellationem meretur. hæc interdiu non videtur, eadem ratione,quâ ſtellæ interdiu non apparent,quoniam obſcura-

ſcuratur à maiori lumine: noctu autem modicè illuſtrat aërem,in tantum vt videri poſſit,non etiã vt colores cerni poſſint:ſed interdiu harum,vt & ceterarũ rerũ,color aſpicitur.

55 ¶ Ignis & interdiu videtur, quia magnum habet lumen,adeo vt non obſcuretur lumine diei:& in tenebris,quia cùm eſt remotus, non habet tantam vim vt diſpellat tenebras oculo proximas, & faciat vt colores ibi appareant, ſed tantùm vt ipſe videri queat.

56 ¶ Lux & lumen (propriè loquendo) differunt, ſed ab aliis aliter diſtinguuntur. Seruius 2. Æneid. ait in lumine ſplendorem eſſe cum fumo,in luce ſine fumo.alij lumen vocant corpus lucidum, quod claritatem effundit: lucem autem appellant claritatem illam, quæ inde manat. alij lucem vni Solis ſplendori propriam faciunt.philoſophi verò ita diſtinguunt,vt dicant lucem eſſe in corpore ſolido ſiue opaco, vt Sole:lumen autem in corpore diaphano ſeu perlucido, vt in aëre. idcirco lux per ſe cernitur, lumen verò per ſe non cernitur. vtrumque autem Græcis vno vocabulo vocatur φῶς,& ab Hebræis אור, *or*.

CAP. VIII.

De ſono,& auditu.

57 OBiectum auditus eſt ſonus.

58 ¶ Sonus ſumitur vel poteſtate vel actu.Quędam enim dicuntur non habere ſonum, quia non poſſunt ſonum edere,vt lana,&ſpongia:quędam habere ſonum:quia poſſunt ſonum edere, vt omnia corpora ſolida & læuia: alia habere ſonum,quia actu ſonant,vt campana,ſeu tintinnabulum,cùm pulſatur. Cap. 8.

59 ¶ In ſono edendo præter ſenſorium tria corpora requiruntur. I. Corpus percutiens. II. Corpus interiectum, per quod fit motus in ictu inferendo.

60 ¶ In percutiente & percuſſo tria ſpectantur. I. Vt poſſint ſonum edere,debent eſſe corpora ſolida. II. Vt faciliùs & vt clariorem ſonum edant, debent eſſe læuia. III. Vt magnum ſonum edant, debent eſſe concaua, vt campana.

61 ¶ Corpus interiectum eſt aër,vel aqua,præſertim aër.

62 ¶ Inſuper ad ſonum efficiendum opus eſt vt ictus

celeriter fiat,ne priùs aër diſſipetur,quàm ictus fiat.

63 ¶ Sonus aut eſt rectus,de quo hactenus:aut reflexus, qui vocatur Echo.

64 ¶ Eſt autem Echo vel perſpicua, id eſt, quæ exauditur,vel quæ à nobis non percipitur. Tunc exauditur,cùm aër ictu compreſſus incidit in aërem aliqua puta antri concauitate incluſum, & ab eo repercutitur. Si verò in aliquod corpus ſolidum incidat, reflectitur quidem, ſed reflexio non percipitur.

65 ¶ Hinc obiter notetur ſimilitudo luminis & ſoni.vtrumque enim à quouis ſolido corpore r.flectitur: & vtriuſque reflexio modò apparet,modò latet.

66 ¶ Vt ſenſorium aſpectus eſt humor chryſtallinus,ita ſenſoriũ auditus eſt aër natiuus qui eſt intra aures. Vt igitur ſonus audiatur, aërem, qui in ſono edendo mouetur, vnum & continuum non diſſipatum ferri oportet:ita vt continuetur cum aëre in auribus incluſo,quemadmodum aurium aër eſt aëri natiuo continuus, qua ſcilicèt parte os natiuum aërem continens foramen habet adeo exiguum, vt aër natiuus exire nequeat.

67 ¶ Hæc igitur eſt cauſa,cur tantùm aurib.animal audiat,quoniam aërem illum natiuum alibi non habet.

68 ¶ Quemadmodum humor chryſtallinus omnibus coloribus caret, vt omnes recipere poſſit, ita aër natiuus omni ſono vacat,vt omnium ſonorum differentias percipere queat.

69 ¶ In aqua audiri poteſt, quia aqua non peruenit ad aërem natiuum, immò nec ad partes internas auris propter eius anfractus.

70 ¶ Læsâ miringâ non auditur: hæc autem eſt membrana,quæ verſus cerebrum tegit os, quo aër natiuus continetur:eadem etiam tympanum vocatur.

71 ¶ Cùm aures velut cornu ſonant,auditus impeditur: quoniam proprius illius aëris motus non patitur alios externos motus ſonum efficientes recipi.

72 ¶ Tam corpus percuſſum,quàm percutiens ſunt cauſæ ſoni,ſed diuerſis modis, prout diuerſis modis concurrunt ad ictum efficiendum. etenim compreſſio aëris, quæ ictu fit, eſt proxima cauſa ſoni.

73 ¶ So-

73 ¶ Soni differentiæ ſunt acutum & graue: quæ in ſono, qui actu fit, percipiuntur, quamuis enim hæc propriè dicantur de his quæ tanguntur, tamen etiam ad ſonos transferuntur.

74 ¶ Vox eſt ſpecies ſoni, quæ nec à rebus inanimatis editur, nec ab animalibus quæ non reſpirant. Vt enim lingua non ſolùm valet ad guſtum, ſed etiam ad loquendum, ita reſpiratio non ſolùm valet ad refrigerandum pulmonem cordi proximum, & ipſum cor, ſed etiam ad vocem emittendam.

75 ¶ Reſpirationis inſtrumentum eſt guttur.

76 ¶ Vox eſt ſonus ab animali factus eò quòd aër per reſpirationem à pulmone ductus, aërem gutture incluſum percutit ad ipſum guttur.

77 ¶ Quocirca nec tuſſis eſt vox: nec cùm ſpiritum ducimus, vel reddimus, ſed cùm eum continemus, vocem edere poſſumus.

78 ¶ Piſces, cicadæ, grylli non vocem emittunt, quia nec guttur habent, nec reſpirant: ſed ſpiritus in ſepto tranſuerſo inſiti ad membranam attritu, ſonum edunt. Vide cap.10. part. 2. lib. de iuuent. & ſenect.

C A P. I X.

De odore, & odorabili.

79 MVlta animalia exquiſitiùs & perfectiùs olfaciunt, quàm homo: quoniã odoratiuum ſenſoriũ in homine non eſt exquiſitũ: adeo vt, ſicut animalia quædã minùs vidẽt, nempe quæ duris oculis prædita ſunt, vt cancri, ita homo minùs olfaciat. Cap.9.

80 ¶ Tactus autem in homine eſt perfectiſſimus. idcirco homo eſt animalium prudentiſſimum: quemadmodum inter ipſos homines ij ſunt magis ingenioſi, qui molliores carnes habent, intellige mollitiem ſanguineam conſiſtentem in humido aëreo, proinde in humido & calido. nam mollities carnium phlegmatica conſiſtens in humido aqueo, proinde frigida, qualis eſt in fœminis, non arguit ingenij bonitatem.

81 ¶ Vt ſapores ad guſtum, ita odores ſe habent ad odoratum.

62 ¶ Dulce & amarum, necnon differentiæ mediæ, vt

acre, auſterum,acidum, pingue, ſunt differentiæ ſaporum, ſed transferuntur ad odores.

83 ¶ Quædam habent dulcem ſaporem & dulcem odorem,vt mel: alia ſunt vtroque modo amara, vt thymus: in nonnullis hæc variant, vt muſci odor eſt dulcis, ſapor amarus.

84 ¶ Idem eſt contrariorum ſenſus.quare vt auditus dignoſcit audibile & inaudibile,viſus viſibile & inuiſibile, ita odoratus dignoſcit odorabile & inodorabile.

85 ¶ Odorabile aliquid dicitur,vel quia odore præditum eſt,vel quia multum odoris habet,vel quia bene olet. contrà inodorabile dicitur,quod nihil, vel parum odoris habet, & quod malè olet.Similis eſt diſtinctio eius, quod eſt guſtabile vel inguſtabile.

86 ¶ Medium inter obiectum odorabile & ſenſorium odoratiuum eſt aër:vel aqua. quocirca tam piſces quàm animalia terreſtria & volucres olfaciunt.

87 ¶ Senſorium,quo olfacimus, eſt caruncula mammillaris,quæ eſt in extremitate canalium à cerebro ad oſſa narium foraminoſa procedentium, vt placet Philopono hîc, & Galeno lib.8.de vſu part.& Auicennæ cap. de odoratu. licèt Auerroës non in hac caruncula,ſed in neruo poteſtatem olfaciendi conſtituat,collect.lib.1.cap.7.& lib.2.cap.7.

88 ¶ In animalibus reſpirantibus ſenſorium odoratiuum id eſt organum olfactus,operculo quodam tectũ eſt: ac dum ſpiritus ducitur,detegitur:ſed in animalibus non reſpirantibus ſemper eſt detectum.

89 ¶ Quapropter animalia reſpirantia non poſſunt aliter olfacere, quàm ſpiritum ducendo:& in aqua non olfaciunt.

90 ¶ Odor conſiſtit in ſicco,vt ſapor in humido: res igitur odorabilis eſt actu ſicca: ſed ſenſorium odoratiuum eſt poteſtate, non actu ſiccum: vt oculi pupilla eſt poteſtate, non actu colorata: & in aëre natiuo poteſtate, non actu eſt ſonus.

Cap. X.

De guſtu, & guſtabili.

Cap.10. 91 ARiſtoteles ait guſtabile eſſe tactibile quiddam, id eſt,eſſe ſpeciem tactilis: quia nihil guſtari poteſt,

teſt,quin tangatur. quare medium inter obiectum guſtabile & ſenſorium non eſt corpus aliquod interiectum, vt aër, vel aqua. Quòd ſi ſimus in aqua, ſentimus dulcedinem mellis infuſi, non quia mel per aquam agat in ſenſorium: ſed quia cum aqua miſcetur,& hæc quaſi potio mixta ex aqua & melle tangit ſenſorium.

92 ¶ Guſtabile eſt,quod ſaporem habet. hoc autem eſt humidum vel actu, vt vinum: vel poteſtate, quia per ſaliuam liquefieri poteſt,vt ſal.

93 ¶ Guſtus non ſolùm diiudicat rem guſtabilem,ſed etiam inguſtabilem:quia idem ſenſus eſt cõtrariorum, vt notaui ax. 84. Intellige inguſtabile, quod vel exilem habet ſaporem,vel nimium ſaporem, ita vt guſtum corrumpat. nam quod omnino à guſtu remotum eſt, vt angelus, vel anima, non poteſt guſtu diiudicari.

94 ¶ Senſorium guſtus non eſt humidum actu, ſed poteſtate.hoc autem ſenſorium eſt lingua.lib.1.de hiſtor.anim. cap.11.& libr.2.de part.anim.cap.vlt. Idcirco lingua valde arida aut valde humida non eſt ad guſtandum & ſapores diſcernendos apta.

95 ¶ Species ſaporum duæ ſunt contrariæ,dulce & amarum:híſque interiectæ,vt pingue,ſalſum,acre,auſterum,acerbum,acidum.

96 ¶ Guſtatiuum eſt poteſtate dulce,vel amarum,vel auſterum,&c. guſtabile autem eſt, quod poteſt efficere vt guſtatiuum ſit actu dulce,vel amarum,& cetera.

Cap. XI.

De tactu,& tactili.

97 QVæritur, vtrùm tactus ſit vnus ſenſus, an plures. Simplicius & Philoponus aiunt eſſe vnum tactum percipientem omnes qualitates tactiles, calidum, frigidum, & cet. Thomas duos facit tactus:alterum, quo percipitur calidum & frigidum:alterum, quo ſentitur humidum & ſiccum:quoniam hæ ſunt primæ qualitates,vt expoſitum fuit 2. de generat.cap.2.Hanc ſententiam puto eſſe ipſius Ariſtotelis hoc cap.partic.13.Auerroës tres tactus facit,videlicèt duos à Thoma poſitos,& tertium,quo tangitur graue & leue. Alij Cap.11.

adhuc plures eſſe aſſerunt, vt ſentiantur etiam aliæ contrarietates tactibiles, veluti durum & molle, aſperum & læue, ſolutio continui & conſolidatio.

98 ¶ Rurſus quæritur, quódnam ſit ſenſorium tactus. Ariſtoteles lib.2.de partib.anim.cap.1.& cap.5. ait ſenſorium eſſe carnem: hîc autem aſſerit carnem non eſſe ſenſorium, ſed intermedium, quod obiecto & ſenſorio eſt interiectum. quod verò ſit ſenſorium, hîc non declarat, ſed cap. 2. de ſen. & ſenſ. ait hoc ſenſorium eſſe circa cor: itaque Themiſtius & Simplicius tactum ponunt in corde. Galenus, Thomas, & plerique alij, quibus aſſentior, tactum tribuunt neruis. Auerroës variat, & modò neruos, modò carnem inquit eſſe organum tactus.

99 ¶ Caro igitur eſt intermedium per ſe: aër verò aut aqua eſt intermedium per accidens: quia res in aqua tangi non poteſt, quin extremitates ſint madidæ: aqua igitur eſt interiecta. & eadem ratione aër interiectus eſt, ſi in aëre res tangatur.

100 ¶ Senſus ſunt in duplici differentia. nam alij habent medium externum, vt viſus & auditus, ideóque res remotas ſentiunt. alij internum, vt guſtus & tactus, idcirco res remotas non ſentiunt, & illi quidem patiuntur ab intermedio, quod ab obiecto affectum eſt: hi verò vnà cum intermedio patiuntur ab obiecto.

101 ¶ Senſorium non poteſt qualitatibus tactilibus deſtitui: quia cùm ſit corpus, neceſſariò eſt calidum vel frigidum, & humidum vel ſiccum. alia ratio eſt aliorum ſenſuum, vt ſuprà docui: quia pupilla non eſt colorata, & aër natiuus per ſe eſt expers omnis ſoni. quare tactus ea nõ percipit, quę ſunt æquè calida aut frigida, vel humida aut ſicca, ſed ea, quę ſuperant, id eſt, calidiora, frigidiora, humidiora, & ſicciora, quàm ſit ipſum ſenſorium.

102 ¶ Tactus quoque eſt oppoſitorum, vt alij ſenſus, id eſt, percipit res tactiles & intactiles, quæ differentiam tactilem exiliter habent, cuiuſmodi eſt aër: & quæ propter exſuperantiam corrumpunt tactum, vt calidiſſima, quæ vrunt. quod verò nullo modo ſub tactum cadit, vt angelus, certè non percipitur nec dignoſcitur tactu.

CAP.

CAP. XII.

Communia de ſenſibus externis.

103 SEnſus recipit ſpecies ſenſibiles ſine materia, vt cera formam anulo impreſſam. Cap. 12.

104 ¶ Animæ facultas ſenſitiua eſt in ſenſorio, vt facultas videndi in pupilla.

105 ¶ Vehemens obiectum corrumpit ſenſorium.

106 ¶ Plantæ licèt patiantur à qualitatibus tactilibus, vt à calore & frigore, non tamen tangunt, quia ſenſorio & ſentiendi facultate carent. nam tangendi vocabulum hîc anguſtiùs accipitur, quàm lib. 5. Phyſ. cap. 5. ſic aër patitur à calore & à ſono: non tamen videt, vel audit. nam ſentire non eſt tantùm pati, & recipere ſpecies ſenſibiles; ſed etiam eas dignoſcere, & diiudicare.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ

LIBER XXXVII.

DE ANIMA TERTIVS.

CAP. I.

De numero ſenſuum externorum.

NON eſſe plures ſenſus, quàm quinque illos ſuprà expoſitos, patet, quia plures in animalibus perfectis non reperiuntur. Cap. 1.

2 ¶ Nec dicendum requiri ſextum ſenſum, qui percipiat obiecta communia, vt motum, ſtatum, figurã, magnitudinem, numerũ, vnitatẽ: quia hæc omnia ſenſus ſuprà expoſiti percipiunt per ſe, non per accidens.

3 ¶ Senſus aliquis per accidens percipit obiectũ alterius ſenſus, nõ quatenus ab illo diſtinguitur, ſed quatenus ambo

vniuntur in ſenſu communi, de quo dicam in ſequenti cap. ſic(exempli gratiâ)aſpectus percipit bilem eſſe amaram.

Cap.2. 4 ¶ Similiter ratione ſenſus communis quilibet ſenſus percipit ſe ſentire: vt aſpectus percipit ſe videre. nam ſenſus communis eſt veluti centrum omnium externorum ſenſuum.

5 ¶ Actus obiecti, & actus ipſius ſenſus, re idem ſunt, ratione differunt: vt ſonatio, & auditio. vocatur enim ſonatio, quatenus ab obiecto procedit: & auditio, quatenus in ſenſu recipitur.

6 ¶ Hic actus non eſt in obiecto, ſed in ſenſitiuo: ſicut motus eſt in re mota, non in re mouente.

7 ¶ Interdum hic actus alio nomine vocatur, quatenus proficiſcitur ab obiecto: alio, quatenus recipitur à ſenſu: vt ſonus, & auditus. Interdum operatio obiecti nomine caret, ac tantùm habemus nomen operationis ipſius ſenſus. Verbi gratiâ, actus guſtatiui vocatur guſtus, ſeu guſtatio: actus verò ſaporis nomine vacat. ſic actus videntis vocatur aſpectus, ſeu viſio: actus autem coloris non habet nomen: ſiquidem color agit in aërem, non tamen illum colore inficit.

8 ¶ Senſibile non eſt actu ſine ſenſu, ſed poteſtate tantùm. vt color non eſt actu ſenſilis, niſi aſpiciatur: eſt tamen poteſtate ſenſilis, & eſt color, etiamſi non aſpiciatur, quicquid Democrito viſum ſit. 3. Metaphyſ. cap. 5.

9 ¶ Senſus in ratione ſeu proportione quadam conſiſtit. nam concentus, qui ab auditu percipitur: eſt ratio: atqui concentus & eius auditio re idem ſunt, vt ſuprà docui: Ergo & hic auditus eſt ratio. quod autem de hoc ſenſu dixi, idem de omnibus dicendum eſt, quia eadem eſt omnium ratio.

10 ¶ Vehemens obiectum corrumpit ſenſum, vt nimia lux aſpectum.

11 ¶ Iucunda ſenſibus ſunt mixta: quoniam ratio non in ſimplicibus, ſed in mixtis conſiſtit.

Cap. II.

De ſenſu communi.

12 QVilibet ſenſus externus percipit differentias ſui obiecti: vt aſpectus differentias colorum, auditus differentias ſonorum, guſtus differentias ſaporum: differentiæ ve-

tiæ verò diuerſorum obiectorum, vt coloris & ſoni, vel ſaporis & odoris, nec ab vno ſenſu externo, nec à pluribus ſenſibus externis percipi poſſunt, ſed percipiuntur à ſenſu interno, in quo omnes ſenſus externi vniuntur quaſi in centro: quare hic vocatur ſenſus communis: éſtque actu vnus, quatenus eſt vna facultas: & actu plures, quatenus eſt terminus omnium ſenſuum externorum. re igitur eſt vnus ſenſus, ratione plures: quemadmodum centrum re eſt vnum punctum, ratione autem plura, quia eſt terminus omnium linearum à centro ductarum.

Cap. III.

Diſtinctio intellectus & ſenſus, necnon phantaſiæ & exiſtimationis.

13 SEnſus & intellectus ſunt facultates cognoſcentes: & quamuis à veteribus non diſtinguãtur, reuerà tamen differunt, quia ſenſus ineſt omnibus animalibus, intellectus propriè dictus ineſt ſolis hominibus. Cap. 3.

14 ¶ Intellectus diuiditur in phantaſiam ſiue imaginationem, & exiſtimationem, quæ propriè vocatur intellectus. Has facultates differre probatur, I. Quia imaginari eſt in noſtra poteſtate: opinari autem non eſt in noſtra poteſtate. vtputà poſſumus imaginari montem aureum, non poſſumus opinari eſſe montem aureum. II. Cùm opinamur aliquid eſſe moleſtum, aut terribile, metuimus: cùm autem tale quid imaginamur, non metuimus.

15 ¶ Nec phantaſia eſt ſine ſenſu, nec exiſtimatio ſine phantaſia.

16 ¶ Exiſtimationis tres ſunt ſpecies. I. Scientia & ignorantia. II. Opinio. III. Prudentia & imprudentia.

Cap. IV.

De phantaſia.

17 PHantaſia ſiue imaginatio eſt, ſecundum quam dicitur in nobis fieri aliquod phantaſma.

18 ¶ Phantaſiam non eſſe ſenſum, probatur ſequẽtibus argumentis. I. Dormiens imaginatur, quamuis non ſentiat. II. In animali priùs generatur ſenſus, quàm phantaſia. III. Quædam animalia, vt vermes, licèt ſenſu prædita ſint, phan-

taſiâ carent. IV. Cùm accuratè & exquiſitè ſentimus, ſenſus eſt verus: phantaſia verò poteſt eſſe falſa: ideóque imaginari dicimur, cùm non exquiſitè ſentimus: quia tunc ſenſus falli poteſt. V. Clauſis oculis poſſumus imaginari res aſpectabiles, quemadmodum & res abſentes, quas non videmus, nec ſentimus.

19 ¶ Phantaſia nec eſt intellectus, nec ſcientia: quoniam hæc ſemper vera ſunt, illa verò poteſt eſſe falſa.

20 ¶ Phantaſia non eſt opinio: quia opinio non eſt ſine fide, & ſine ratione, quippe cùm id nobis perſuaſum ſit, quod opinamur: phantaſia verò & ſine fide, & ſine ratione eſſe poteſt, vt in brutis.

21 ¶ Ex dictis patet, phantaſiam nec eſſe opinionem & ſenſum, nec eſſe opinionem per ſenſum, ne conſtare ex opinione & ſenſu.

22 ¶ Non eſt tamen ſine ſenſu, quia phantaſmata accipit à ſenſu.

23 ¶ Phantaſia ſumitur vel pro actu, vel pro facultate. In priori ſignificatione phantaſia eſt motus factus à ſenſu, qui actu eſt. vt enim obiecta ſenſibilia agunt in ſenſum, & recipiuntur à ſenſu: ita ſenſus iis affectus agit in phantaſiam: vnde ſpecies ſenſibiles recipiuntur à phantaſia. In poſteriori ſignificatione phantaſia eſt animæ facultas apta ad recipiendas ſpecies ſenſibiles à ſenſu.

24 ¶ Dicta eſt phantaſia ἀπὸ τοῦ φάους, id eſt, à lumine: quia præſtantiſſimus ſenſus eſt aſpectus, qui lumen requirit.

25 ¶ Bruta ſecundum phantaſiam agunt, quia intellectu carent. nonnulli verò homines ſecundum phantaſiam agunt: quia intellectûs operatio in eis impeditur vel perturbatione aliqua, vt ira, amore, vel morbo, vel ſomno.

CAP. V.

De intellectu patiente.

Cap. 4. 26 INtellectus propriè dictus, id eſt, qui diſtinguitur à phātaſia, diuiditur in intellectū patientē & agentem.

27 ¶ Intellectus patiens dicitur, quia intelligere eſt pati: paſſione ſcilicèt perfectiua, non corruptiua, quoniam intellectus, dum recipit ſpecies intelligibiles, non corrumpitur, ſed perficitur.

28 ¶ Hic

28 ¶ Hic intellectus patiens conſideratur tribus modis. I. Poteſtate, id eſt, quatenus eſt facultas quædam animæ ad rerum cognitionem acquirendam idonea. II. Habitu, quatenus rerum cognitionem iam acquiſiuit. III. Actu, quatenus actu ratiocinatur, vel contemplatur.

29 ¶ Secundum ſuam naturam eſt mera poteſtas, ita ſe habens ad ſpecies intelligibiles, vt ſenſus ad ſpecies ſenſibiles. quoniam igitur omnia intelligere poteſt, ſine dubio ab omnibus rebus eſt abiunctus.

30 ¶ Eſt igitur locus quidam ſpecierum intelligibilium.

31 ¶ Nec læditur à potente obiecto, vt ſenſus: immò poſtquam intellexit aliquid valde intelligibile, eſt maximè aptus ad cetera intelligenda.

32 ¶ Reducitur ad actum, cùm actu recipit ſpecies intelligibiles, túncque poteſt ſeipſum intelligere.

33 ¶ In rebus phyſicis aliud eſt res, vt caro: aliud rei eſſentia, vt eſſentia carnis: quia eſſentia eſt forma: res autem phyſica non eſt forma, ſed compoſitum ex materia & forma. ſed in iis quæ à materia abiuncta ſunt, idem eſt res & rei eſſentia: ſiquidem hæ res ſunt puri actus, id eſt, meræ formæ ſine materia, vt Deus, & cœleſtes intelligentiæ. res autem mathematicæ, etſi abiunctæ ſunt à materia ſenſibili, tamen non ſunt ſeparatæ à materia intelligibili. ſicut enim ſimũ ſignificat formam in materia ſenſibili, id eſt, curuitatem narium: ita rectum ſignificat formam in materia intelligibili, id eſt, rectitudinem quantitatis continuæ, vt lineæ. Quæ cùm ita ſe habeant: ſciendum eſt, res phyſicas cognoſci à ſenſu, mathematicas recipi à phanthaſia, immateriales res & omnium rerum eſſentias percipi ab intellectu. Denique res immateriales ſunt intelligibiles per ſe: res autem materiales non ſunt per ſe intelligibiles, ſed per abiunctionem à materia: quam quidem abiunctionem intellectus facit.

34 ¶ Intellectus ab initio ſeipſum non intelligit, quia tantùm poteſtate, non actu eſt: poſtea verò quàm eſt actu, eſt intelligibilis per ſe, quippe qui eſt immaterialis.

CAP. VI.

De intellectu agente.

35 VT intellectus patiẽs omnia fit, id eſt, omnes ſpecies intelligibiles recipit: ita intellectus agens omnia Cap. 5.

agit,id eſt,omnes ſpecies intelligibiles.

36 ¶ Nam ſicut lumen efficit,vt colores ſint actu aſpectabiles, ita intellectus agens facit, vt phantaſmata ſint actu intelligibilia.

37 ¶ Hic intellectus non vtitur aliquo organo corporeo, ſed eſt à corpore ſeparatus,vt & intellectus patiens.

38 ¶ Non eſt mixtus cum vlla re,ſed eſt eſſentia ſimpliciſſima.cùm enim patiens intellectus non ſit mixtus cum aliqua re,multò minùs intellectus agens mixtus dici debet.

39 ¶ Eſt omnino impatibilis. quamuis enim intellectus patiens perfectiuè patiatur, dum ſpecies intelligibiles recipit,non corruptiuè,vt ſuprà expoſui:tamen intellectus agens nullo modo patitur,quia ſemper eſt actu,nec recipit aliquid, quod antea non haberet.

40 ¶ Poſt hominis mortem manet à corpore ſeparatus ſecundum ſuam eſſentiam, non ſecundum efficientiam, quam in corpore habet.nec enim illuſtrat ampliùs phantaſmata, nec deducit intellectum patientem à poteſtate ad actum,ſed tantùm intelligit.

41 ¶ Dubium eſt,cùm intellectus agens ſemper intelligat, quî fiat, vt in hac vita multarum rerum obliuiſcamur, poſt mortem verò nullius rei recordemur,vt & poëtæ indicant, fingentes animas ex corpore ſeparatas bibere ex flumine Letheo, id eſt, ex flumine obliuionis. Reſpondeo obliuionem contingere propter intellectum patientem. hic enim eſt, qui diſcit, qui obliuiſcitur, & ſecundum Ariſtotelem eſt morti obnoxius. cognitio verò intellectus agentis propria, longè differt à cognitione, quam in hac vita habemus.

42 ¶ Dixi intellectum patientem ſecundum Ariſtotelem eſſe morti obnoxium:quia probo,quod ad hoc,interpretationem Alexandri,& puto eos falli,qui contrariam ſententiam tribuunt Ariſtoteli.quamquam eam ſententiam veram eſſe,atque ipſum Ariſtotelem falli exiſtimo:quia non ſolùm intellectus agens, ſed etiam patiens eſt immortalis, vt in commentario demonſtraui.

CAP. VII.

De duplici operatione intellectus.

43 COgnitio intellectus patientis diuiditur in ſimplicem & compoſitam. ſimplex cognitio eſt ſimplicis & indiuidui cōceptus, vt hominis. Compoſita eſt conceptus compoſiti, vt hominem currere. Coniunge c.1. de interpr. Cap. 7.

44 ¶ Inter has cognitiones duplex eſt diſcrimen. I. Simplex cognitio eſt veri & falſi expers: compoſita verò cognitio eſt vera aut falſa. II. Simplex eſt prior, quàm compoſita. nam intellectus priùs intelligit hominem per ſe, & curſum per ſe: deinde hæc componens, intelligit hominem currere.

45 ¶ Indiuiduum dicitur, vel quod nullo modo diuidi poteſt, vt punctum: vel quod non eſt actu diuiſum, licèt diuidi poſſit. hoc autem vel eſt vnum quantitate, vt linea: vel vnum formâ, vt homo.

46 ¶ Quod non eſt actu diuiſum, intelligitur per ſe, quatenus indiuiduū: per accidens verò, quatenus eſt diuiduum, id eſt, quatenus ei accidit vt diuidi poſſit. atque intelligitur totum ſimul in tempore indiuiduo, non per partes in partib. temporis. vtputà non intelligo partem lineæ in parte temporis, ſed totam lineam indiuiſam in tempore indiuiſo.

47 ¶ Quod diuidi nequit, per priuationem intelligitur. vt punctum eſt, quod nec longitudinem, nec latitudinem, nec altitudinem habet.

48 ¶ Intellectio quidditatis per ſe eſt ſimplex: quia ex omnibus definitionis partib. fit quiddam vnum. ſed ſi quidditas attribuatur ei, cuius eſt quidditas: iam eſt intellectio compoſita. vt enim intellectio hominis eſt ſimplex, ita etiam intellectio animalis rationalis mortalis, quia non aliud eſt animal rationale mortale, quàm homo. ſed hæc intellectio hominem eſſe animal rationale mortale, compoſita eſt.

49 ¶ Intellectio compoſita partim eſt compoſitionis, vt hominem eſſe animal: partim diuiſiōis, vt hominem non eſſe lapidem. nam quod eſt in oratione affirmatio & negatio, id in intellectu eſt compoſitio & diuiſio.

50 ¶ Obiter obſerua compoſitionis vocabulum bifariàm accipi, nempe latiùs & anguſtiùs. illo modo ſub ſe comple-

ctitur etiam diuiſionem:etenim qui dicit hominem non eſſe album, coniungit & componit non album cum homine. hoc autem modo à compoſitione diſtinguitur.de interpr. ca. 1.partic.5.

Cap. VIII.

De intellectu practico, & eius diſtinctione à contemplatiuo.

Cap.7. 51 QVemadmodum ſenſibile facultatem ſenſitiuam; ita intelligibile facultatem intelligibilem deducit de potentia ad actum.

52 ¶ Vt duplex eſt operatio ſenſus,primò perceptio & diiudicatio obiecti,ſecundò appetitus vel fuga conſequens obiecti cognitionem:ita etiam duplex eſt operatio intellectus practici, videlicet cognitio, & voluntas quâ rem cognitam expetit vel abhorret.& vt in ſenſu facultates ſentiendi,appetendi,& fugiendi,re idem ſunt,ratione differunt:ita etiam in intellectu practico facultates intelligendi, appetendi, & fugiendi:ſed diſcrimen eſt:quia intellectus affirmat vel negat eſſe bonum aut malum:ſenſus autem nec affirmat nec negat eſſe appetendum aut fugiendum,ſed perinde appetit,vel fugit,ac ſi affirmaſſet vel negaſſet.Præterea appetitus ſenſitiuus propriè vocatur ἐπιθυμία id eſt,cupiditas,vel concupiſcentia, aut ſi à re abhorreat,θυμὸς,id eſt,ira:appetitus autem intellectiuus propriè appellatur βούλησις.

53 ¶ Obiectum externum afficit ſenſum externum,vt color aſpectum:hic ſpeciem defert ad ſenſum communem : à quo phantaſia eam accipit:phantaſmata verò illuſtrantur ab intellectu agente,cuius operâ abiunguntur à circumſtantiis, quibus fiebant particularia: atque ita euadunt vniuerſalia, & agunt in intellectum patientem.

54 ¶ Vt ſe habet ſenſus ad obiecta externa, ita intellectus ad phantaſmata.& vt ſenſus percipit omnia ſenſibilia, ita intellectus omnia intelligibilia.

55 ¶ Quamuis ſenſus non percipiat, niſi rem præſentem: tamen quia rei ſpecies in phantaſia ſeruatur,idcirco intellectus rebus abſentibus contemplatur ſpecies in phantaſmatibus.ſunt enim ſpecies intelligibiles in phantaſmatibus,vt vniuerſalia in particularibus.

36 ¶ Sicut verum & falſum eſt obiectum intellectus contemplatiui,ita bonũ & malũ eſt obiectũ intellectus practici.

56 ¶ Ac

57 ¶ Ac verum quidem & falſum accipiuntur abſolutè, & per ſe:bonum verò & malum dicuntur per relationem ad alterum,cui bonum vel malum eſt.

58 ¶ Intellectus practicus verſatur tantùm in rebus materialibus, quæ ſub actionem cadunt; contemplatiuus autem non ſolùm cognoſcit res materiales,vt phyſicas,ſed etiam res à materia abiunctas vel per intellectum tantùm, vt mathematicas:vel re ipſa,vt cœleſtes intelligentias.

59 ¶ Intellectus actu eſt,qui actu res intelligit.

CAP. IX.

Collatio intellectus cum ſenſu & phantaſiâ.

60 VT ſenſus eſt quodammodo ſenſibilia,quoniam ea recipit, & iis informatur: ſic intellectus eſt quodammodo intelligibilia. Cap. 8.

61 ¶ Intellige ſenſum recipere ſenſibilia, & intellectum intelligibilia,non quòd res ipſas recipiat,ſed earum ſpecies. verbi gratiâ,in anima non eſt lapis,ſed ſpecies lapidis.

62 ¶ Quemadmodum igitur manus eſt inſtrumentum inſtrumentorum, ſic anima eſt forma formarum: videlicèt ſenſitiua ſenſibilium,& intellectiua intelligibilium.

63 ¶ Quoniam intelligibilia ſunt in ſenſibilibus, id eſt, in phantaſmatibus:idcirco omnis noſtra cognitio originem ducit à ſenſu.& qui nihil ſentit, nihil diſcere poteſt:qui verò omnino caret aliquo ſenſu, etiam aliquâ ſcientiâ neceſſariò deſtituitur: vt natus cæcus non poteſt acquirere ſcientiam colorum.

64 ¶ Verum & falſum, ſeu conceptuum compoſitio & diuiſio,quibus in oratione reſpondet affirmatio & negatio, non ſunt in phantaſia,ſed in intellectu.

65 ¶ Simplices mentis conceptus, id eſt, intelligibilia, nec ſunt phantaſmata, nec ſine phantaſmatibus. nam phantaſmata ſunt particularia: intelligibilia verò ſunt vniuerſalia. & illa quidem ſunt in phantaſia: hæc verò ex illis colliguntur in intellectu.

Cap. X.

Dubitationes de facultate motrice.

Cap.9. 66 Cauſa motus animalium, id eſt inceſſus, non eſt facultas vegetatiua: quia hæc reperitur etiã in plantis, quæ non poſſunt incedere. Ne dicas animam plantarum habere facultatem incedendi, licèt plantę non poſſint incedere defectu organi: quia cùm natura nihil fruſtrà faciat, non eſt dicendum facultatem incedendi fruſtrà eſſe plantis datam, cùm non poſſit ad actum deduci.

67 ¶ Rurſus cauſa inceſſus non eſt ſenſus: quia ſenſus ineſt etiam in animalibus non incedentibus, vt in conchyliis.

68 ¶ Item intellectus contemplatiuus non eſt cauſa huius motus: quia non præſcribit aliquid faciendum, vel fugiendum:

Cap. XI.

Quæ ſit cauſa inceſſus.

Cap.10. 69 Cauſæ inceſſus ſunt intellectus & appetitus. Intellectûs appellatione hîc complector etiam phantaſiam, & excludo intellectum contemplatiuum.

70 ¶ Idem ordo ſeruatur in appetitu, & intellectu: ſed contrarius in actione. verbi gratiâ, primò appeto ſanitatem: deinde pharmacum ſanitatis gratiâ: poſteà medicum, vt ab eo ſumam pharmacum. ſic etiam intellectus primò concipit ſanitatem, ſecundò pharmacum, tertiò medicum. quod verò ad actionem attinet, primò accerſo medicum, ſecundò ab eo accipio pharmacum, tertiò recupero ſanitatem.

71 ¶ Prima ſeu proxima cauſa motus non eſt intellectus, ſed appetitus. quod probatur, I. Quia intellectus non mouet ſine appetitu: appetitus autem mouet ſine intellectu, vt in brutis. II. Quia intellectus ſemper eſt rectus, quippe qui non fallitur circa ſuũ obiectum, vt nec ſenſus: appetitus verò, phantaſia, & actio, tam recta quàm non recta eſſe poſſunt.

72 ¶ Appetitus duplex eſt: nempe irrationalis, qui vocatur cupiditas, & rationalis, qui appellatur voluntas. ille tantùm præſentis rationem habet: hic etiam præteriti & futuri. quare ſæpè inter ſe pugnant, & contrarij ſunt.

73 ¶ Primum mouens eſt appetibile, à quo motus appetitus,

titus,mouet. id quod mouetur,eſt anima.id quo mouetur,eſt organum corporeum.

74 ¶ Animal eſt motiuum, quatenus eſt appetitiuum. appetitus autem non eſt ſine phantaſia, vel intellectu: quia omnē appetitum cognitio præcedit: cùm ignoti(vt ille ait) nulla ſit cupido.cognitio autem habetur per phantaſiam,vel intellectum. atque hæc eſt cauſa,cur duplex ſit appetitus,vt paulò ante docui:quia ſcilicèt duplex eſt cognitio,quam appetitus ſequitur:nimirùm phantaſtica & intellectiua.

75 ¶ In animalibus quoque imperfectis, vt in cochleis, phantaſia & appetitus inſunt,ſub ratione tamen quadam indefinita & confuſa. vtputà ſiue acu pungas cochleam, ſiue igne eam lædas,moleſtiam æquè ſentiet,& contrahetur, non diſtinguens inter factam ab acu,vel ab igne.

76 ¶ In deliberatione inſtituenda conſideramus multa ſub vna &communi ratione,id eſt,quatenus ad finem,quem optamus,conſequendum valent.

77 ¶ Appetitus poteſt eſſe ſine ratiocinatione, vt in brutis.ratiocinationem autem practicam ſequitur appetitus: quia quod concluditur eſſe bonum, id appetitur: quod malum,declinatur & vitatur.

78 ¶ Secundum naturam voluntas cupiditati dominari debet: quia eſt facultas ſuperior. ſæpe tamen contingit, vt à cupiditate ſuperetur,vt in hominibus incontinentibus.

79 ¶ Tres igitur diuerſi motus ſunt. I. Pugna voluntatis & cupiditatis. II. Motus,qui ſequitur victoriam voluntatis. III. Motus,qui ſequitur victoriam cupiditatis.

80 ¶ Cùm duplex ſit cognitio, altera vniuerſalis, quæ eſt maioris propoſitionis, veluti bonum eſſe expetendum, altera particularis,quæ eſt minoris propoſitionis, veluti hoc eſſe bonum:illa eſt motionis cauſa remota,hęc verò eſt cauſa proxima.

Cap. XII.

Collatio animæ vegetatiuæ,ſenſitiuæ,& intellectiuæ.

81 VEgetatiua facultas ineſt omnibus viuentibus ortui & interitui obnoxiis, id eſt, omnibus animalibus, & plantis. Cap.11.

82 ¶ Senſus nō ineſt plātis,ſed animalib.ſolis & omnib.

83 ¶ Non tamen omnes ſenſus in quouis animali inſunt, ſed tantùm tactus, & guſtus, quem ſuprà docui eſſe tactum quẽdam: quoniam hi duo ſenſus neceſſarij ſunt ad hoc vt animal ſit: reliqui ſenſus quibuſdam tantùm animalibus à natura dati ſunt, non vt illa animalia ſint, ſed vt bene ſint.

84 ¶ Idcirco amiſſo tactu perit animal: & vehemens tactile, vt ignis, non ſolùm corrumpit ſenſorium, ſed etiam ipſum animal, quod in viſu, auditu, olfactu aliter ſe habet.

85 ¶ Quia omne animal habet ſenſum tactus, cuius ſenſorium non poteſt eſſe ſimplex elementum, quandoquidem tactu percipimus qualitates ac differẽtias omnium elementorum, vt calidum, frigidum, humidum, ſiccum: ideo corpus animalis non poteſt eſſe ſimplex elementum, vt ignis; vel aër, vt terra: ſed repudianda eſt eorum ſententia, qui animalia quædam ponunt aërea, vel ignea, quæ vocant dæmones.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXXVIII.

DE SENSV ET SENSILI.

Cap. I.

Præfatio.

Cap. I. CVM de facultate ſenſitiua dictũ ſit in lib. de anima, conſequenter de iis, quæ ratione ſenſus animalibus inſunt, dicere oportet.

2 ¶ Hæc omnia animæ & corpori communia ſunt.

3 ¶ Horum autem diſtinctio eſt multiplex. I Alia ſunt omnibus animalib. communia, vt ſentire, gaudere, moleſtia affici: alia quorundam propria, vt memoria, & reſpiratio. II. Alia ſunt in ſenſu, vt vigilia, voluptas, dolor: alia per ſenſum, vt phan-

vt phantaſia,& memoria. III. Alia ſunt affectiones,vt ſomnus,vigilia : alia habitus, vt iuuentus,ſenectus:alia conſeruationes ſenſuum,vt reſpiratio, ſanitas : alia corruptiones ſenſuum,vt morbus,& mors.

4 ¶ Neceſſe eſt omne animal ſenſu præditum eſſe:quia per ſenſum à non animali diſtinguitur.

5 ¶ Tactus & guſtus omnibus animalib. neceſſariò inſunt,vt expoſitum fuit 3.de anima,cap.vlt.

6 ¶ Reliqui ſenſus inſunt animalibus incedentibus ſalutis gratiâ,vt ſalubria & noxia dignoſcere, atque illa perſequi,hęc fugere poſſint.quibuſdam verò,vt hominibus,etiam prudentiæ & cognitionis gratiâ dati ſunt à natura. Vide 1. Metaph.cap.1.

7 ¶ Aſpectus per ſe ad neceſſaria cognoſcenda valet: auditus verò per accidens ad ſcientiam acquirendam magis valet.nam aſpectus plura percipit,quàm auditus.ſed ex auditu eſt cognitio per accidens, quatenus diſciplina verbis traditur,quæ auditu percipiuntur. quaprôpter prudentior euadit is qui cæcus,quàm qui ſurdus natus eſt.

CAP. II.

De ſenſoriis.

8 DE corporeis ſenſoriis,id eſt ſenſuum organis,videlicèt cui elemento quodlibet ſenſorium adſcribi debeat,tres ſunt opiniones. I. Pythagoreorum & Platonis in Timæo,inſtrumētum aſpectus eſſe ignem, auditus aërem, guſtus aquam,tactus terram, odoratus mediū quid inter aërē & aquam. II. Democriti,qui aſpectum tribuit aquæ, non igni. III. Ariſtotelis,qui ſtatuit aſpectus organū eſſe aquam, auditus aërem,olfactus ignem,guſtus & tactus terram. Cap.2.

9 ¶ Qui viſum igni tribuunt,hac ratione mouētur:quia cōpreſſo & agitato oculo igneus quidā fulgor apparet. vnde putant oculū eſſe igneum, & aſpicere per luminis miſſionē: Ariſtoteles autē & hanc ſententiā,& eius fundamētū reiicit.

10 ¶ Nam fulgor ille apparet,non quia oculus ſit igneus, ſed quia eſt læuis: ideóque non fulget, niſi in tenebris, (nam & cùm clauduntur oculi,oriuntur tenebræ) vt piſcium capita quædam,& cornu,&c.de quibus dixi 2.de anima,ax.54.

11 ¶ Quòd ſi oculus videret per luminis emiſſionē, etiā

in tenebris videret. Ne dicas pro Timæo,lumen illud in tenebris extingui. nam ſi lumen igneum eſt,& ab igne proficiſcitur,vt cenſet Timæus: certè aut ab humido, aut à frigido extingueretur:quoniam à ſuo contrario debet extingui:igni autem,qui eſt calidus & ſiccus, contraria ſunt humidum & frigidum. quocirca lumen oculi pluuiæ tempore aut hyeme extingueretur:quod tamen manifeſtè falſum eſt.

12 ¶ Organum aſpectus eſſe aquam,probatur:quia vulneratis oculis aqueus humor effluit. quare in animalibus ſanguine præditis album oculi eſt pingue, ne humor ille, quem chryſtalinum vocamus,congeletur,exanguium verò oculos dura tunica ambi, quæ à frigore tuetur, ac munit.

13 ¶ Intellige aquam eſſe organum aſpectus,non quatenus eſt aqua,ſed quatenus eſt perlucida: quia ſicut intermedium externum,per quod videmus, debet eſſe perlucidum, vt per illud ſpecies aſpectabiles ad oculum deferantur:ita etiam oculi pars debet eſſe perlucida, per quam eædem ſpecies ad facultatem videndi, quæ non in extremo oculo, ſed interna eſt,peruenire debent.

14 ¶ De modo videndi quatuor ſunt opiniones. I. Veterum mathematicorum,radios viſuales ab oculo emitti vſque ad rem viſam,ita vt pyramidem efforment, cuius conus eſt in oculo,baſis in reuiſa. II. Platonis in Timæo,radios ſeu lumen ab oculo mitti ad certum vſque locum, vbi cum lumine externo confunditur. III. Democriti aſpectum eſſe emphaſim, id eſt, apparitionem illam imaginis, quam in oculis cernimus. IV. Ariſtotelis, ſpecies viſibiles recipi ab oculo:quia color rei aſpectabilis afficit intermediũ,vt aërẽ,qui ita affectus agit in oculum: adeo vt ſicut annulus per aërem imprimit imaginem in cera,ſic res viſibiles faciant in ſenſorio viſiuo, id eſt, in organo aſpectus. diſcrimen tantùm eſt, quod annulus mouetur, vt ceram tangat:res autem viſibilis ſine motu locali agit in ſenſorium per intermedium.

15 ¶ Sententia mathematicorum falſa eſt:quia fieri nequit vt aliquid à noſtris oculis emiſſum, ad aſtra perueniat, cùm tamen etiam remotiſſima aſtra videamus.

16 ¶ Sententia Platonis reprobatur:quia ſi dicendum eſſet lumen oculi cum lumine externo coniungi,id potiùs fieret in ipſo oculo,ad quem lumen externum peruenit, quàm in vl-

in vlteriori ſpatio. quamquàm ne hoc quidem fieri poteſt: cùm quia non quiduis cuiuis coniungi poteſt, tum etiàm quia intericcta membrana, quæ oculum tegit, coniunctionem illam impedit.

17 ¶ Vtrique commemoratæ ſententiæ obſtat, quòd ex continua illa effluxione, qua res infinitas cernimus, oculi omnino exinanirentur, nec poſſent tot rerum viſioni ſufficere.

18 ¶ Sententia Democriti reiicitur I. Quia imago illa non videtur ab eo, in quo eſt, ſed ab alio. vt imaginem, quæ in tuo oculo apparet, non tu, ſed alij vident. II. Quia ita apparet imago in oculo, vt in ſpeculo: quare ſicut ſpeculum non videt, ita etiam oculus non videret, niſi eſſet alia videndi ratio, quàm emphaſis.

19 ¶ Olfactus meritò tribuitur igni: quia odor eſt exhalatio fumida, proinde ignea.

20 ¶ Senſorium olfactus eſt in cerebro: quia frigidum eſt, vtpote quod poteſtate tantùm eſt calidum, id eſt, afficitur ab odore, cuius natura eſt calida. etenim ſenſus eſt poteſtate, & ab obiecto ad actum deducitur.

21 ¶ Senſiterium tactus eſt neruus, qui ſecundum Ariſtotelem 3. de hiſtor. animal. cap. 5. à corde proficiſcitur: ſecũdum Galenum 8. de vſu part. cap. 3. & 4. à cerebro oritur: per vniuerſum autem corpus diffunditur.

22 ¶ Neruus autem, qui eſt ſenſorium guſtus, à corde ad linguam proficiſcitur.

Cap. III.

De colore, & eius ſpeciebus.

23. Lumen eſt quaſi color perlucidi, per accidens, id eſt, per aliud. nam ſi corpus lucidum adſit, lumen eſt. ſin minùs, ſunt tenebræ. Cap. 3.

24 ¶ Perſpicuitas eſt natura quædam ſeu qualitas communis aëri & aquæ & aliis quibuſdam corporibus: quorum aliis magis, aliis minùs ineſt. per ſe autem & à corporibus abiuncta non conſiſtit.

25 ¶ Vt igitur corpora, ita etiam eorum perſpicuitas aliquo termino definitur ac terminatur.

26 ¶ Quædam ſunt omnino perlucida, vt aër, & aqua: alia in ſuperficie tantùm, vt corpora ſolida & opaca. in illis lumen ineſt, vel tenebræ: in horum ſuperficie eſt color.

27 ¶ Color eſt terminus perſpicui in corpore definito. corpus definitum appello, quod ſuo termino terminatur, & eundem colorem præ ſe fert, ſiue ſit proximum, ſiue remotum: vt æs, lignum. indefinitum autem, quod alieno termino terminatur, & alium cominus, alium eminus colorem refert: vt aërem, & aquam. in vtroque corporum genere color in extremitate apparet.

28 ¶ Vt in perſpicuo eſt lumen, aut tenebræ : ita in ſuperficie eſt color albus, aut niger: quorum ille lumini, hic tenebris proportioni reſpondet.

29 ¶ Colorum mediorum cauſa triplex affertur. I. Mixtio imperfecta, ſi minimæ & inſenſibiles particulæ albi & nigri iuxta ſe inuicem ponantur: quia propter exiguitatem album & nigrum non percipiuntur, color tamen aliquis videtur: medius igitur eſt inter album & nigrum. II. Si color per colorem appareat, vt nigrum per album. ſic pictores interdum debiliorem colorem ſupra euidentiorem inducunt, vt tertius color appareat. ſic Sol, qui per ſe albus cernitur, per caliginem aut fumum, puniceus apparet. III. Per verá mixtionem, de qua dictum fuit lib. 1. de generat. cap. vlt. Primo & ſecundo modo nón fiunt veri colores, ſed tantùm videntur: tertio modo fiunt veri colores.

30 ¶ Cauſa, propter quam multi ſunt medij colores, hęc eſt: quia diuerſimodè albus & niger inter ſe miſcentur: ita vt inter eos vel ſit ratio aliqua, vt dupla, tripla, quadrupla, vel nulla ſit ratio.

31 ¶ Vbi ratio ſeu proportio eſt, color eſt iucundus, & aſpectum oblectat. è contrario vbi proportio deeſt, color eſt aſpectui moleſtus.

Cap. IV.

De ſapore, & eius ſpeciebus.

Cap. 4. 32 SApores ſunt nobis notiores, quàm odores: quia magis valemus tactu, cuius ſpecies quædam eſt guſtus, quàm olfactu.

33 ¶ Em-

33 ¶ Empedocles aquam in ſe omnia ſaporum genera ob exiguitatem inſenſibilia continere aſſerit. quod falſum eſſe apparet:quia videmus ſapores immutari à calore,vt cùm fructus ex arbore decerpti,exponuntur Soli,vel igni.

34 ¶ Eadem ratione conſtat,aquam non eſſe πανσπερμίαν, ſeu ſeminarium omnium ſaporum, vt quidam aſſerunt, ita vt ex aliis eius partibus alij ſapores fiant. Adde,quòd ex eadem aqua diuerſi ſapores fiunt. vt cùm arbor ad ſe aquam trahit, tota arbor inde alitur:alius tamen eſt ſapor corticis,alius foliorum,alius ipſius fructus.

35 ¶ Aqua, cùm ſuapte natura ſit inſipida, ſapores recipit a ſicco: vt cùm per terram permeat. recipit etiam à calido,id eſt,ab igne,quia ignis quoque ſiccus eſt.

36 ¶ Sapor itaque eſt affectio, quà humidum à ſicco affectum eſt,guſtandi ſenſum de potentia ad actum deducens.

37 ¶ Quia ſapor alimentis tribuitur,ac tam plãtæ, quàm animalia ſicco & humido,non alterutro tantùm aluntur: idcirco ſapor eſt affectio ſicci & humidi.

38 ¶ Cibus,quatenus eſt tactilis,auget.quatenus guſtabilis,nutrit.

39 ¶ Omnia dulci aluntur,vel puro & ſimplici,vel mixto cum amaro.nã dulce alit: ceteri ſapores condimẽti causâ admiſcentur,vt dulcedinẽ minuant,quia dulce nimiùm alit.

40 ¶ Vt medij colores fiunt ex mixtione albi & nigri, ita medij ſapores ex mixtione dulcis & amari.

41 ¶ Dulce & amarum miſcentur vel ſecundum proportionem aliquam, vel ſine proportione: quorum illi ſunt iucundi guſtui,hi verò ſunt iniucundi.

42 ¶ Vt ſpecies colorum ſeptem habentur,album, nigrum, fuſcum, puniceum, purpureum, viride, cæruleum: (nam color flauus ab albo non ſeparatur) ita ſpecies saporum ſunt ſeptem,dulce,amarum, ſalſum, (quod parum ab amaro differt)acre,auſterum,acerbum,acidum.nam pingue ad dulce refertur.

43 ¶ Vt nigrum eſt priuatio albi: ita amarum & ſalſum eſt priuatio dulcis.

44 ¶ Democritus ſapores ad figuras refert: quam ſententiam ſequitur Lucretius libr.4. Sed Ariſtoteles eam refutat tribus argumentis. I. Quia ſecundum hanc ſenten-

tiam guſtus exquiſitiſſimè inter omnes ſenſus figuras perciperet: quod eſt perſpicuè falſum. II. Quia ſapores inter ſe ſunt contrarij, vt dulce, & amarum: figuræ autem non ſunt inter ſe contrariæ, vt triangulum & circulus. III. Quia eſt certus numerus ſaporum, vt ſuprà docui: figuræ verò ſunt innumeræ.

Cap. V.

De odore.

Cap. 5. 45 MAteria odoris eſt natura quædam aëri & aquæ communis (nam animalia terreſtria, atque aues in aëre, piſces autem in aqua olfaciunt) quam interpretes non ineleganter διόσμον appellant. vt enim in aëre & aqua diaphanum, id eſt, perlucidum, nominatur, quod lumen & colores recipit: ita etiam διόσμον vocari poteſt, quod in iiſdem elementis odores recipit, & odoratui ſeruit.

46 ¶ Cauſa efficiens odoris eſt humor ſapidus. idcirco quæ ſaporem non habent, etiam odore carent, vt ſimplicia elementa, & lapides, & quò magis res eſt ſapida, eò magis eſt odora.

47 ¶ Quidam putarunt odorem eſſe ſaporem, alij exhalationem ſiccam, alij vtrumque, ita vt è corporibus effluat, & ad odoratum perueniat. ſed æquè falſæ ſunt hæ ſententiæ, atque falſum eſt, colores eſſe defluxiones à corporibus ad oculos. nam vapor refertur ad aquam, quæ ſine admixtione ſicci non eſt odorabilis. fumida verò exhalatio non poteſt fieri in aqua, in qua tamen diximus odoratum non minùs fieri, quàm in aëre.

48 ¶ Odores proportione reſpondent ſaporibus, quod & ipſa diuerſorum odorum nomina ſaporibus quoque communia indicant: vt acres, dulces, auſteri, acidi, pingues. qui verò appellantur putidi, proportione quadam amaris ſaporibus reſpondent.

49 ¶ Frigus & gelu, vt ſapores hebetat: ita etiam odores euaneſcere facit.

50 Odorum duo ſunt genera. Vnum, quod ſaporibus reſpondet, ac per accidens delectat, vt odor cibi. Alterum ab eduliis ſeiunctum, quod per ſe delectat, vt odor florum.

51 ¶ Se-

51 ¶ Secundum odorum genus eſt hominum proprium: eis à naturâ ſanitatis causâ tributum: quia natura cerebri frigida eſt, atque homo inter omnia animantia maximum & frigidiſſimum cerebrum habet. Quapropter locis cerebro proximis odor per reſpirationem attractus ſuo calore ac motu temperiem ac bonam valetudinem affert: homo igitur vtriuſque generis odores percipit.

52 ¶ Cetera verò animalia tantùm primi generis odores ſentiunt.

53 ¶ Quæ pulmonem habent, reſpirando olfaciunt, vt homo. Quæ verò pulmone carent, etſi non reſpirant, tamen olfaciunt: quod perſpicuum eſt: quia odore cibi remoti trahuntur, vt apes, muſcæ, formicæ, alatæ, & alia ſimilia.

54 ¶ Differentiæ cauſa eſt, quòd in animalibus pulmonem habentibus ſenſorium odoratus opertum eſt, ac reſpirando detegitur: in aliis verò ſemper detectum manet. ſimilis differentia in aſpectu reperitur. nam animalia, quæ molles oculos palpebris tectos habent, niſi oculos aperiant, aſpicere nequeunt. quæ verò oculis duris prædita ſunt, eos ſemper apertos habent.

55 ¶ Cetera animalia præter hominem res fœtidas & grauè olentes non auerſantur ratione ſolius odoris, ſed quatenus ſibi ſentiunt eſſe noxia, vt homini carbonis halitus.

56 ¶ Cùm quinque ſint ſenſus: ex his duo per contactum percipiunt, nempe tactus, & guſtus: duo per externum medium interiectum, nimirùm viſus, & auditus. medium locum tenet odoratus. itaque non immeritò quidam dixerunt odorem eſſe veluti tincturam quandam & loturam ſiccitatis in aëre & aqua. nam ratione tincturę aſſimilatur colori, ratione loturæ comparatur ſapori.

57 ¶ Falſa eſt quorundam Pythagoreorum ſententia, nonnulla animalia odoribus ali. nam hæc ſententia duobus argumentis refellitur. I. Quia ſicut animalia non ſunt ſimplicia, ſed conſtant ex quatuor elementis, ita etiam eorum alimentum non poteſt eſſe ſimplex, ſed mixtum & corpulentum: ideóque excrementa inde fiunt: & aqua pura non alit. II. Quia locus, in quem cibus recipitur, id eſt ſtomachus, procul abeſt à cerebro, ad quod odores feruntur.

58 ¶ Odor itaque non confert ad nutritionem. ſed

quam rationem habet ſapor ad nutritionem, eandem habet odor ad ſanitatem.

Cap. VI.

De ſenſilium diuiſione.

Cap. 6. 59 SPecies cuiuſque ſenſibilis, vt coloris, odoris, *ſaporis*, & cet. finitæ ſunt: quia in omni ſenſu reperiuntur duo contraria ſenſibilia: vt in aſpectu album & nigrum: in guſtu dulce & amarum. quapropter & hæc contraria, & iis interiecta, neceſſariò finita ſunt.

60 ¶ Cùm omne corpus ratione quantitatis diuidatur in infinitum, vt 6. Phyſ. probatum fuit: neceſſe eſſe videtur, vt ad corporis diuiſionem etiam qualitates eius ſenſiles per accidens diuidantur: conſequenter etiam ita ſenſus diuidatur: & omnis magnitudo, quantumuis exigua, ſenſu percipiatur. quod tamen falſum eſt. ſcire igitur oportet, partes pro indiuiſo acceptas, id eſt, dum in toto ſunt, non ſentiri actu, niſi ſenſus ſeparatim diuerſas partes ſentiat: verbi gratiâ diuerſas eiuſdem rei partes ſeparatim & diſtinctis temporibus aſpiciat. ceterùm id quod ſentit, non per partes, ſed totum ſimul percipit. eius itaque quod ſentitur, pars non eſt actu ſenſilis, ſed poteſtate. à toto autem ſeiuncta ſentitur actu. Ceterùm partes, quæ à toto ſeiunctæ ſentiuntur, finitæ ſunt. nec quæuis magnitudo aut per ſe ſubſiſtere aut ſenſu percipi poteſt. exempli causâ caro, quatenus eſt quanta, poteſt diuidi in infinitum, quatenus autem eſt caro, non poteſt in infinitum diuidi: quia cùm ad minimam carnem diuidendo perueneris, ſi vlteriùs diuidas, carnis formam tolles. ac ſolent minima quæque ab ambiente diſſolui, vt ab aëre, vel aqua: quocirca ſenſile non minuitur in infinitum: cùm quia exigua corpora intereunt, tum etiam quia per exiguitatem ſenſum fugiunt. Quod hinc licet animaduertere: quia res, quò minor eſt, eò difficiliùs cernitur, & eò perſpicaciorem & perfectiorem aſpectum requirit. vnde ſi ſenſibile in infinitum minueretur, opus eſſet, vt vis ſenſitiua in infinitum augeretur: atqui hoc eſt impoſſibile: ergo & illud.

CAP. VII.

An ſenſibilia priùs agant in medium, quàm in ſenſorium, & an idem à pluribus ſentiri poßit.

61 SOnus & odor ad ſenſorium perueniunt, non in momento, ſed in tempore. priùs enim agunt in aërem proximum, eúmque immutant, & variant. idcirco hæc obiecta priùs percipiuntur à proximis, quàm à remotis. Lumen autem non variat diaphanum, ſed in inſtanti illud illuſtrat, & oculum afficit.

62 ¶ Quæritur, an plures ſimul poſſint idem audire, olfacère, videre. & quidem ſi ſpectetur primum, id eſt, remotum mouens, plures idem ſentiunt, vt eandem campanam, eundem florem, eundem Solem. ſed ſi ſpectetur id quod proximè ſenſum mouet, aliud ab alio percipitur. idcirco vox aliter cominus, aliter eminus auditur.

63 ¶ Sonus & odor non ſunt corpora, ſed affectiones corporum. proinde ſine corporibus eſſe nequeunt. quid ſit lumen, expoſitum fuit 2. de anima, cap. 7. præter ea quæ diximus ſuprà cap. 3.

CAP. VIII.

An duo ſimul ſentiri poßint.

64 MVlta quamuis diuerſi generis obiecta, vt album & dulce, ſimul ſentiri poſſunt: quia ſenſus ea percipiens, re eſt vnus, ratione plures, vt expoſitum fuit 3. de anima, cap. 2. quatenus ergo eſt vnus, ſimul ſentit. quatenus plurium vim habet, multa obiecta percipit.

CAP. IX.

Omne ſenſibile eſſe diuiduum.

65 QVicquid ſenſibile eſt, magnitudinem habet proinde eſt diuiduum. quod ita de aſpectabili probatur: (eadémque probatio ad alia ſenſibilia transferri poteſt) intra certam diſtantiam res videri poteſt, & vltra certam diſtantiam videri non poteſt. harum igitur diſtantiarum eſt aliquis terminus, eas diſtinguens, vtputa ſit longitudo A B C Cap. 7.

A B C

Res videri poſſit ab A vſque ad C: adeo vt in tota lon-

gitudine A B cerni poſſit, & in tota longitudine B C aſpici nequeat. ſi igitur res aſpectabilis ſit indiuidua, ponatur in puncto B: certè ibi videri poterit, quatenus B eſt finis lineæ A B: & videri non poterit, quatenus idem B eſt principium lineæ B C. ita qui aſſerit rem aſpectabilem eſſe indiuiduam, ducitur ad hanc abſurditatem, quòd eadem res ſimul videri poſſit, & videri nequeat. Eodem modo duci poterit ad abſurditatem, quòd idem ſonus ſimul audiatur, & non audiatur. denique omnium ſenſibilium, quod ad hoc, eadem eſt ratio.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XXXIX.

DE MEMORIA ET REMINISCENTIA.

Cap. I.

De memoria.

Cap. I. MEMORIA & reminiſcentia differunt. plerumque enim memoria valent, qui tardo ſunt ingenio: reminiſcentia verò, qui dociles ac mentis celeritate præditi ſunt.

2 ¶ Præteritorum eſt memoria, vt præſentium ſenſus, futurorum ſpes, vel metus, vel opinio.

3 ¶ Omnis igitur memoria ſeu recordatio cum tempore eſt. & quoniam ad ea, quæ olim contigerunt, refertur: neceſſario inter ea & memoriam eſt tempus interiectum.

4 ¶ Non tantùm homo, ſed & animalia bruta recordantur: non tamen omnia, ſed ea tantùm, quæ temporis cognitionem habent.

5 ¶ Memoria per ſe eſt primi ſenſitiui. eſt enim phantaſmatum, quæ ſunt in primo ſenſitiuo, id eſt, in phantaſia: per

per accidens verò eſt intellectiui: quia intelligibilia non ſunt ſine phantaſmatibus, ſicut vniuerſalia non ſunt ſine particularibus. nam vt in mathematicis deſcribimus figuras certæ quantitatis, vt triangulum certæ magnitudinis, non tamen conſideramus eam certam magnitudinem, ſed ſimpliciter triangulum, proinde triangulum vniuerſale, licèt illud in abaco deſcriptum ſit particulare: ita etiam intellectus in phantaſmatibus contemplatur vniuerſale, cùm phantaſmata ſint particularia.

6 ¶. Cauſa memoriæ eſt: quia obiectum ſui imaginem in ſenſu imprimit, non aliter quàm annulus in cera. vnde recordari dicimur, cùm illam imaginem in ſenſu retentam ſpectamus. Cap. 2.

7 ¶ Quocirca memoriâ valent, qui & ſpeciem illam ſiue imaginem recipere, & receptam retinere facilè poſſunt. contrà memores non ſunt, qui aut non facilè ſpecies recipiunt, aut non facilè eas retinent.

8 ¶ In ſumma memoriæ obſtant. I. Multa agitatio & motus, vel propter paſſionem, vt in ægrotis, & ebriis accidit: vel propter ætatem, vt in pueris, qui augentur, & in ſenibus, qui decreſcunt. II. Frigiditas, quæ humores congelat, vt in timidis. III. Durities, quæ non patitur ſpeciem ſenſibilem facilè recipi, vt in iis qui ſunt valde tardo & hebeti ingenio. IV. Nimia humiditas, vt in iis qui ſunt perquàm celeri ingenio, mentiſque celeritate præditi.

9 ¶ Etſi pueri multarum rerum obliuiſcuntur, cùm propter motum & agitationem illi ætati conuenientem, tum etiam propter nimiam cerebri humiditatem: tamen quæ memoriæ mandant, firmiſſimè retinent ob duplicem cauſam. Prima eſt, vehementia motus & impreſſionis propter admirationem: quia cùm recèns in mundum venerint, omnia ſunt ipſis noua & admirabilia. Secunda eſt: quia anima puerorum, quaſi area quædam inanis & vacua, faciliùs nouas ſpecies recipit, quàm anima viri multas ſpecies in ſe continens. hanc ob cauſam iuniores faciliùs diſcunt, item meminiſſe ea meliùs poſſumus, quæ primùm mane percipimus: quia procedente die, poſtquàm in multa incidimus, memoria hebetatur, vt docet Ariſt. problem. ſect. 30. qu. 5.

10 ¶ Memoria eſt phantaſmatis, non quatenus eſt phan-

taſma,id eſt,ſpecies quędam in anima,ſed quatenus eſt imago rei,à qua fluxit,& impreſſum eſt in anima.túncque recordamur,cùm hoc phantaſma intuemur, tamquàm imaginem rei ſenſu perceptæ,vel intellectæ.

11 ¶ Quandoque ſcimus nos recordari, quia contemplamur præſens phantaſma, tamquàm imaginem rei præteritæ:interdum dubitamus, an recordemur, quia phantaſma quidem in nobis agit, ſed nobis non conſtat, an ſit imago rei antea ſenſu perceptæ,vel intellectæ: aliquando falsò putamus nos recordari, nimirum cùm nouum phantaſma contemplamur,quaſi imaginem rei pręteritæ:quod quidem maximè contigit cuidam Antipheronti Oretano, qui ea,quæ imaginabatur,quaſi anteà contigiſſent, narrare ſolebat. idem etiam iis contingit,qui exceſſu mentis, quem Græci ἔκστασιν vocant,tentantur.

12 ¶ Meditationes recolendo conſeruant memoriam: quia recolere,nihil aliud eſt, quam ſæpius idem phantaſma, non vt eſt phantaſma,ſed vt eſt imago,contemplari.

13 ¶ Memoria igitur eſt habitus, id eſt, retentio & conſeruatio phantaſmatis, non vt eſt phantaſma, ſed quatenus eſt imago rei anteà perceptæ vel intellectæ.

Cap. II.

De reminiſcentia.

Cap. 3. 14 Reminiſcentia eſt memoriæ amiſſæ inſtauratio ex interno aliquo principio,quod obliuione deletum non eſt.ſi quis autem non ex ſeipſo reuocet in memoriam id cuius eſt oblitus, ſed ab alio iterum diſcat, quod olim didicerat,& oblitus erat: non dicetur reminiſci, ſed diſcere denuò.Paulò aliter definitur reminiſcētia ab Alexandro lib. 3. natur.quæſt. cap.1.nempe,inuentio per inquiſitionem phantaſmatis,quod fuit quandoque in corpore, in quo eſt anima ſenſitiua.

15 ¶ Reminiſcimur interdum vno motu, veluti cùm ex principio carminis, *Sicelides muſæ*, reuoco in memoriam finem eiuſdem carminis,*paulò maiora canamus*.Interdum pluribus motibus ſe conſequentibus:vt ex luce memini tenebrarum, ex tenebris recordor furis, ex fure in memoriam reuoco rem amiſſam.

16 ¶ Prin-

16 ¶ Principium horum motuum plerumque ſumitur vel à ſimili, vt cùm ex imagine recordor Cæſaris: vel è contrario, vt cùm ex calore recordor frigoris: vel à propinquo, vt cùm ex principio carminis recordor ſequentium verborum.

17 ¶ Ordo ad memoriam valet, ſiue ſit naturalis, vt cùm ex tenebris recordor lucis: ſiue ex conſuetudine, vt cùm ex prima orationis parte reminiſcimur ſequentis partis, quam poſt illam ſæpius recitauimus.

18 ¶ Interdum difficile eſt reminiſci: quia non recordamur principij proximi, ſed remoti: ita vt ſit opus plurib. motibus, priuſquàm rem inueniamus, quam quærimus. vtputà ſi ex lacte in candoris, ex candore in aëris, ex aëre in pluuiæ, ex pluuia in Autumni memoriam veniendum ſit.

19 ¶ Ex eodem principio quandoq; reminiſcimur, quandoque non poſſumus reminiſci: propterea quòd ab eodem ad diuerſa ſunt diuerſi motus: vt ex aëre in pluuiam, vel in ventum. quandoque ergo vnum quærimus, & ad alterum ſit motus. verbi gratiâ alius eſt motus ex aëre in ventū, ex vento in terræ motum, ex terræ motu in ruinam ædium, ex ruina ędium in mortem Titij, ex morte Titij in teſtamentum eius, & ex teſtamento in heredem: alius verò motus eſt ex aëre in pluuiam, ex pluuia in Autumnum, ex Autumno in poma. itaque fieri poteſt, vt ex aëre reminiſcar poma, nec poſſim reminiſci heredem Titij.

20 ¶ Quemadmodum interdum natura peccat, & edit monſtra: ita etiam in reminiſcendo quandoque peccamus, ac ſimilitudine decipimur. exempli gratiâ cùm velim reminiſci Anaxagoræ, in memoriam venit Anaximenes, vel Anaximander: & ita quaſi quendam ſolœciſmum committimus.

Cap. III.

Communia de memoria & reminiſcentia.

21 MEmoriæ & reminiſcentiæ communia hæc ſunt. I. In vtraque cognitio temporis eſt neceſſaria: & neutra ſine tempore eſſe poteſt. II. Vtraque eſt affectio corporalis: ideóque diu inueſtigantes quod meminiſſe volunt, nec facilè recordari poſſunt, dolore capitis laborare ſo-

lent,etiamſi quærere deſierint: quia ſcilicèt corporeum aliquid mouerunt, quod non ſtatim ſiſtitur, atque illi quærere deſierunt. III. Qui ſuperiores partes corporis maiores habent,quàm proportio requirat,pumiliones, pueri, ſenes, nec memores ſunt,nec facilè reminiſcuntur.

22 ¶ Niſi tempus cum negotio, vel negotium cum tempore coniungamus, non poſſumus dici meminiſſe. etſi putemus nos meminiſſe, fallimur. contrarius autem error committi non poteſt, id eſt, vt dum meminimus, putemus nos non meminiſſe.

23 ¶ Meminimus vel temporis definiti, vt heri deambulaſſe,vel indefiniti,vt aliquando ſaltaſſe.

24 ¶ Differentia longi aūt breuis temporis dignoſcitur interno principio: quia ſpecies, quæ ſunt in anima, proportione reſpondent rebus externis, ita vt eas repræſentent ſecundum earum quantitatem, & maioris rei ſit maior ſpecies.

25 ¶ Differentiæ inter memoriam & reminiſcentiam tres ſunt. I. Alij memoriâ valent,non reminiſcentiâ: alij è contrario reminiſcentiâ,non memoriâ, vt docui ſuprà axio. 1. II. Reminiſcentia ſupponit memoriam præcedentem, quæ obliuione deleta fuit:memoria verò non ſupponit præcedentem reminiſcentiam. III. Multa bruta animantia memoriam habent,nûllum autem animal præter hominem reminiſcitur.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XL.

DE SOMNO ET VIGILIA.

Cap. I.

De ſomni & vigiliæ ſubiecto.

CVm ſomnus ſit vigiliæ priuatio, vtrumque ad eandem animalis partem pertinet. hæc autem eſt pars ſenſitiua: quoniam ex ſenſu vigiliam, proinde etiam ſomnum dignoſcimus:& eum, qui ſentit, vigilare dicimus. Cap. I.

2 ¶ Vt igitur ſenſus, ita etiam ſomnus & vigilia ſunt animæ & corpori communia.

3 ¶ Plantæ nec dormiunt, nec vigilant: quia ſenſu carent.

4 ¶ Neceſſe eſt omne animal vt ſenſus, ita etiam ſomni & vigiliæ particeps eſſe.etenim actu non ſentit, niſi vigilet:nec ſemper ſentire aut vigilare poteſt, cùm omnis operatio aliquando ceſſet.quocirca opus eſt,vt animal modò vigilet,modò dormiat.

5 ¶ Cetera omnia animalia aliquando dormire conſtat. de ſolis teſtaceis ſiue oſtreaceis dubitari poteſt.ſed dicta ratio euincit hæc quoque interdum ſomno capi.

Cap. II.

Ad quem ſenſum ſomnus & vigilia referantur.

6 SOmno ligantur omnes ſenſus.non tamen propterea dici debet ſomnum eſſe affectionem omnium ſenſuum: quoniam abſurdum eſſet omnes ſenſus neceſſariò ſimul ceſſare, cùm neceſſe non ſit,vt omnes ſimul operentur. Cap. 2.

ſomnus igitur eſt affectio ſenſus communis,qui eſt omnium ſenſuum dominus,adeo vt omnes ſecum quieſcere faciat.

7 ¶ Non omnis ceſſatio ſenſus eſt ſomnus : ſed ſomnus eſt ceſſatio ſenſus communis ob cauſam mox explicandam. ceteroqui etiam extra ſomnum ſenſus ceſſant : vt cùm quis animi deliquium,aut delirium patitur,aut cùm venæ iugulares apprehenduntur & conſtringuntur.

Cap. III.

Somni cauſa finalis.

7 Somnus eſt requies animalibus à naturâ ſalutis causâ tributa : quia non poſſunt indeſinenter & perpetuò operari.

8 ¶ Quare non ſomnus, ſed vigilia eſt finis, quem natura expetit.

Cap. IV.

Somni cauſa efficiens.

Cap. 3. 10 Cauſa efficiens ſomni eſt euaporatio alimenti. cùm enim alimentum concoquitur,vapores inde aſcendunt ad cerebrum,& eius loci frigore refrigerati deſcendunt in venas eodem modo, quo vapores à Sole in altum ſublati, frigore aëris concreſcunt, & in pluuiam conuerſi deſcendunt. vapores igitur ibi refrigerati, & ad venas delati, repellunt calorem eò à corde miſſum. itaque cùm hi vapores ad caput peruenerunt,caput grauant,& dormitare faciunt.cùm autẽ ad venas peruenerũt,tunc animal ſomno oppreſſũ iacet.

11 ¶ Hinc eſt I. Quòd poſt ſumptum cibum maximè dormitatus. II. Quòd omnia ſoporifera caput grauant, vt papauer,temetum,lolium. III. Quòd dormitantes nec caput erigere,nec palpebras attollere queunt.

12 ¶ Somnolenti ſunt, I. Qui nuperrimè cibum ſumpſerunt,ob dictam cauſam, quia vapores, dum cibus concoquitur,ad cerebrum tollũtur. II. Defatigati:quia labor corpora diſſoluendi, ac liquefaciendi vim habet. quod autem eſt colliquatum,eſt tamquàm alimentum incoctum, proinde euaporatiuum, dummodò calor adſit. III. Quibuſdam morbis affecti: veluti qui febri corripiuntur, & lethargici.

IV. Pue-

IV. Pueri:quia in iis maximè fertur alimentum ad caput: vt multis indiciis comprobatur.nam hac de cauſa caput maius habent,quàm membrorum proportio requirit:& morbo comitiali,qui eſt ſomno quodammodo ſimiles,ſunt obnoxij:& vinum eis nocet,niſi dilutum & modicum hauriatur:nec ferè intereſt,vtrùm ipſi infantes,an eorum nutrices vinum bibant.item vſque ad quintum menſem infantes collum obuertere & regere nequeunt:& intra matris vterum plerumque quieſcunt. V. Qui venas tenues nec manifeſtas habent: quia per eas humor tardiùs deſcendit. VI. Pumiliones, & quicumque magna habent capita:quia in his multum exhalationis ad caput adſcendit.

13 ¶ Melancholici non ſunt ſomnolenti: quoniam atrabilis frigida eſt,& partes corporis refrigerat:vnde in his exigua eſt euaporatio:quoniam ad vapores excitandos & attollendos calore opus eſt.

Cap. V.

Quid ſit ſomnus,& qui ſint eius effectus.

41 SOmnus eſt caloris ad internas partes receſſus propter humorem frigidum à cerebro deſcendentem & obſiſtentem.

15 ¶ Quare in ſomno motus augetur in partibus internis, túncque cibus maximè concoquitur:contrà fit in externis, & partes quidem internæ,vt ſtomachus, & inferæ, vt pedes, per ſomnum calefiunt:externæ:verò,& ſuperæ, vt palpebræ, refrigerantur.

Cap. VI.

Quì fiat,cùm ſomnus ſit refrigeratio,vt excitetur à rebus calefacientibus.

16 QVoniam euaporatio,quæ à ſtomacho calida adſcendit,frigiditate cerebri refrigeratur,vt docui ax.10.idcirco nemini mirum videri debet, quòd ea, quæ calefaciunt,vt vinum,ſomnum excitant, licèt ſomnus ex refrigeratione accidat.etenim humor refrigeratur, ex capite deſcendit,ac venas refrigerat,calorémque à corde proficiſcentem repellit.

Cap. VII.

Cur animal expergiſcatur.

17 Abſoluta cibi concoctione ceſſat exhalatio: interim calor in partibus internis vnitus, fortior eſt factus, & ſanguinem fæculentum à ſyncero diſcreuit: proinde iam ſuperat frigus, à quo repulſus fuerat. ſic animal expergiſcitur.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XLI.

DE INSOMNIIS.

Cap. I.

Cuius partis animæ ſit ſomnium.

Cap. 1. Cvm ſenſus communis & phantaſia re idem ſint, ratione differant: ſomnium eſt affectio ſenſus communis, quatenus eſt phantaſticus, id eſt, quatenus mouetur à phantaſmatibus.

Cap. II.

Quomodo ſomnia fiant.

Cap. 2. 2 Nam ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt rerum ſimulachra, etiam rebus abſentibus in ſenſu manent, & eum mouent, non ſolùm cùm animal dormit, ſed etiam cùm vigilat. hinc enim eſt, quòd ſi album aut viride diutiùs aſpexerimus, deinde aſpectum aliò conuertamus, omnia viridia ſiue alba videbuntur. &, ſi à fluminibus celeriter labentibus aſpectum aliò transferamus, id, quod ſtat, moueri videbitur.

3 ¶ Fallitur autem ſenſus propter perturbationes, vt cùm meticuloſus ſibi videtur videre hoſtem, & amator amaſiam.

quem

quem errorem animaduertimus, ſi alia facultas errorem patefaciat. verbi gratiâ, Sol pedalis apparet: ſed ratio hunc errorem redarguit, & granum ſi perplexis digitis tangatur, cùm vnum ſit, tactui duplex videtur: ſed viſus hunc errorem tactus detegit.

4 ¶ Motiones interni ſenſus, quando vigilamus, ſenſibus externis & mente operantibus, eliduntur & euaneſcunt: ſed ſomni tempore, iis facultatibus quieſcentibus, magis apparent. Cap. 3.

5 ¶ Quemadmodum aquarum vertigines, quę per ſumma amnium decurrunt, interdum ſui ſimiles manent, interdum in alias reſoluuntur, aut propter contrarium concurſum diſſoluuntur: ſic ſpecies & ſimulachra, quæ vnà à cerebro cum ſanguine deſcendunt ad cor, in quo ſecundum Ariſtotelem eſt ſenſus communis, aliàs feriunt ſenſum communem, aliàs obliterantur, quandoque in alia ſimulachra commutantur: & modò grata ſunt & iucunda, modò ingrata & monſtroſa, nec aliter eis accidit, quàm imagini, quæ in aqua commota perit, aut penitus diſtorta redditur, in eadem ſedatâ rectè apparet.

6 ¶ Prout hæ ſpecies à viſu, vel auditu, vel alio ſenſu delatæ ſunt: ita faciunt, vt ſomnians ſibi videatur videre, vel audire, alióve ſenſu percipere.

7 ¶ Semper inſomnio ſpecies ſiue ſimulachrum apparet. ſed ſi intellectus ſuo munere fungatur, ſomnium eſſe animaduertit. ſin minùs, ſomnians non putat ſe ſomniare, ſed putat reuerâ ita eſſe, & reuerâ ſe videre, vel audire, cùm ſcilicèt tanta eſt ſomni perturbatio, vt & intellectus obruatur. Vt rem exemplo declarem, idem accidit ęgrotis, qui ſibi videntur in pariete animalia videre: quia propter perturbationem, quâ ſunt affecti, lineamenta quædam in pariete parum animalium lineamentis ſimilia, eis videntur eſſe animalia: ſciunt tamen non eſſe animalia, licèt videantur animalia. ſed vi morbi ingraueſcente accidit, vt intellectu obruto omnino putent eſſe vera animalia. ergo tale quidpiam etiam in ſomniis euenit.

8 ¶ Aliæ ſpecies poſt alias ſenſum feriunt, prout ſanguis, quo continentur, ad cor delatus, purior redditur. quod quidem intelligi hoc exemplo faciliùs poterit. finge vas ſale

plenum eſſe,& in eo ſale eſſe ranas ligneas. quarum aliæ aliis ſuperiores ſint. deinde finge ſal paulatim liquefieri, primum in ſupremâ parte, deinde per partes vſque ad imum. prout igitur ſal liquefit, ita ranas emergere neceſſe eſt. pari ratione prout ſanguis calore cordis diſſoluitur, ita ſimulachra eo comprehenſa emergunt, & ſenſu communi, quem diximus eſſe in corde, ſe offerunt.

Cap. III.

Quid ſit ſomnium.

9 SOmnium differt I. A phantaſmate, quod vigilanti apparet, putà ægrotanti. II. A ſenſibili, quod extrinſecùs adueniens, à dormiente percipitur. contingit enim eum, qui dormit, audire ſonos, tangere, ridere. III. Ab eo quod intellectus in ſomno iudicat. cùm enim intelligit, id quod apparet, eſſe ſomniũ, hæc intellectio non eſt ſomnium.

10 ¶ Somnium igitur eſt phantaſma, quod à ſenſorum motu ortum, dormienti apparet, quatenus dormit.

Cap. IV.

Cur quidam non ſomnient.

11 NOn ſemper contingunt ſomnia. immò quidam per totam vitam numquàm ſomniarunt: alij procedente ætate ſomniare cœperunt, cùm antea non ſomniaſſent. Neque ſtatim à cibo ſumpto, neque in infantia ſomnia admodum fieri ſolent: quia cùm multa euaporatio ſurſum adſcendit, poſtea regrediens ad inferiora, multas affert commotiones, quę phantaſmatibus obſtant, vt ſuprà docui exemplo imaginis in aqua apparentis, axio. 5. mutatione autem vel per ætatem, vel ob aliam cauſam facta, ſomniis locum dari non eſt abſurdum.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XLII.

DE DIVINATIONE PER SOMNVM.

CAP. I.

Dubitatio an ſit diuinatio per ſomnium: & ſomniorum diuiſio huc ſpectans.

PLERAQVE ſomnia ſunt fortuita & inania: adeo vt, ſi id accidat, quod in ſomno viſum fuit, caſu id accidat: ſomnium verò non magis eius cauſa ſit, quàm alicuius mentio in cauſa eſt vt ille adueniat, ſi fortè, dum eius mentio fit, adueniat. Cap. 1.

2 ¶ Fieri tamen poteſt, vt quædam ſomnia rem futuram indicent: quia rerum exordia tenuia cum ſint, magis in ſomno apparent, magíſque afficiunt, quàm interdiu: propterea quod interdiu magnitudine & multitudine aliorum motuum obſcurantur.

3 ¶ Quinetiam fieri poteſt, vt ſomnium cauſam rei futuræ exhibeat, propter nexum, qui eſt inter motiones diurnas & nocturnas. vt enim ſæpe ea, quæ interdiu gerimus, vel cogitamus, ſunt cauſæ ſequentium ſomniorum: ita è contrario contingere poteſt, vt viſum in ſomnio, ſit cauſa eius, quod poſtea geremus.

4 ¶ Hæc ita obtinent in his, quæ ſunt in noſtra poteſtate. quod verò ad ea attinet, quæ à nobis remota ſunt, vel à nobis non fiunt, certè ſomnia nec eorum cauſæ, nec ſigna eſſe poſſunt. ſed ſi id eueniat, quod ſomniauimus, putà vt Turca Perſas prælio ſuperet: caſu id fieri fatendum eſt.

CAP. II.

Somnia non eſſe à Deo, ſed à natura.

5 CVm ſtolidiſſimi quique, & atra bili laborantes, immo & bruta animantia ſomnient: Ariſtoteli non vi- Cap. 2.

dentur ſomnia eſſe à Deo: quia Deus potiùs viris prudentibus ſomnia mitteret. Homerus autem exiſtimare videtur, non cuiuſuis hominis, ſed tantùm principum ſomnia eſſe à Deo. ſic enim Neſtorem 2. Iliad. loquentem inducit,

Si quis fortè alius quæ nunc audiſtis Achiuûm,
Somnia vidiſſet, potuiſſent falſa videri.
Nunc quia qui vidit, regno vir præſtat & armis,
Vera putanda reor.

Ex ſacris literis quædam ſomnia eſſe à Deo, ſatis conſtat.

CAP. III.

De euentu ſomniorum.

6 CVr quidam in exceſſu mentis futura præſagiāt, cauſa eſt: quia tunc propriis motibus non infeſtantur, ideóque peregrinos motus, qui ad alios ſpectant, maximè ſentiunt.

7 ¶ De amicis & neceſſitudine aliqua coniunctis ſolemus ſomniare: quia de his ſollicitè cogitamus.

8 ¶ Melancholici futura præſagiunt: quia propter naturæ ſuæ vehementiam, & propter mobilitatem, facilè conſequentia vident. & quia magna concitatione rapi ſolent, motus eorum ab aliis motibus elidi facilè non poſſunt.

CAP. IV.

De ſomniorum interprete.

9 OPtimus ſomniorum interpres eſt, qui ſimilitudines facilè cognoſcit, nam ſomniorum viſa rebus ſimilia ſunt, vt apparet ex inſomniis Pharaonis, quæ Ioſephus eſt interpretatus. vtputà ſeptem vaccæ pingues ſimiles ſūt ſeptem annis fertilitatis, & ſeptem vaccæ tenues atque eſurientes ſunt ſimiles ſeptem annis carę annonæ. ita de ceteris inſomniis iudicandum. ſed ille maximè in explicandis ſomniis excellit, qui poteſt etiam diſtorta & incondita ſimulachra in ſomno apparentia dignoſcere: quoniam difficiliùs horum ſimilitudines cognoſcuntur.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XLIII.

DE LONGITVDINE ET BREVITATE VITÆ.

Cap. II.

In quibus longæ & breuis vitæ diſcrimen reperiatur.

ET viuens viuente, & animal animali, & homo homine, non ſolùm diuerſæ, ſed etiam eiuſdem regionis, longiorem vitam habent. Cap. 1.

Cap. III.

De cauſis corruptionis & interitus. Cap. 2.

2 Quod eſt interitui obnoxium, poteſt loco mutato conſequi vitam diuturniorem, aut breuiorem, ſed æternum fieri nequit: quoniam à contrario interimetur, id eſt, vel ab elemento ambiente, vt ab aëre, vel ab excremento. Cap. 3.

Cap. IV.

Quæ viuentiá ſint longioris aut breuioris vitæ.

3 Non eſt neceſſe, vt diurniorem vitá habeat, I. Quod habet maius corpus. Nam equi vita eſt breuior, quàm hominis. II. Quod habet minus corpus: quia pleraq. inſecta, cùm parua ſint, annuam vitam degunt. III. Plantæ, quàm animalia: quia nonnullæ plantæ vltra annum non viuút: quædá etiam citiùs intereunt, vt lactucæ, & pleraq. hortẽſia. IV. Animalia, quá plátę: quia quędá plátę diu viuút, vt palma, & cupreſſus. V. Animalia ſáguinea, quá exáguia: quoniá Cap. 4.

apes diutiùs viuunt, quàm nõnulla animalia ſanguinea: quippe quæ ad annum vſque ſextum, vel ſeptimum, atque etiam interdum vſque ad decimum vitam producunt, teſte Ariſtotele de iuuent. & ſeneƈt. cap. 10. partic. 2. & 5. de hiſtor. animal. cap. 22. VI. Exanguia, quàm ſanguinea. nam exanguia, quæ mollia ſunt, annuam vitam habent. VII. Terreſtria, quàm aquatilia: quia quędam terreſtria vltra annum non viuunt, vt quædam plantæ, & paſſeres maſculi: quædam verò aquatilia ſunt longæua, vt balenę, delphines, & orcæ. Seneca piſces quoſdam à Pollione in Cæſaris piſcinam congeſtos, poſt ſexageſimum annum duobus aliis æqualibus piſcibus ſuperſtitibus (referente Plinio lib. 9. cap. 53.) expiraſſe tradit. VIII. Aquatilia, quàm terreſtria: quia tam teſtaceorum, quàm mollium vita breuis eſt.

4 ¶ Diuturna vita plerumque reperitur, I. In quibuſdam plantis, vt in palma, & cupreſſo. II. In animalibus ſanguineis potiùs, quàm exanguibus. III. In terreſtribus potiùs, quàm in aquatilibus. IV. In magnis corporibus potiùs, quam in paruis. vnde elephantos alij ducentos, alij trecentos annos viuere aſſerunt, vt Ariſtoteles ſcribit lib. 8. de hiſtor. anim. cap. 9. Ceruos autem vltra centum annos viuere probat Plinius lib. 8. cap. 32.

Cap. V.

De cauſis longæ aut breuis vitæ.

Cap. 5. 5 CAuſa longæ vitæ eſt, I. Quantitas & qualitas humidi vitalis, videlicèt ſi multum ſit, & pingue, vt nec facilè exſiccetur, nec congeletur. II. Calidum, quod non patitur humidum congelari. III. Debita proportio inter calidum & humidum. IV. Excrementorum paucitas. nam excrementum eſt naturæ contrarium: & quandoque naturam ipſam, quandoque partem corrumpit.

6 ¶ Animalia, quæ ſalacia ſunt, & ſemine abundant, citò ſeneſcunt: cùm quia ſemen eſt excrementum, tum etiam quia, dum prodit, corpus ſiccum relinquit. idcirco mulus ex equo & aſino, ex quibus eſt genitus, diutiùs viuit: & fœminæ diuturniorem vitam, quàm mares habent, ſi mares aut ſint ſalaces, vt paſſeres, aut laborioſi. nam labor quoque exſiccat:

ſenectus autem ſicca eſt.alias mares ſunt viuaciores fœminis: quia ſunt calidiores.

7 ¶ Animalia in regionibus calidis maiora fiunt, & diutiùs viuunt,quàm in frigidis, quæ vero animalia parum aut nihil ſanguinis habent, in Septentrionali plaga vel omnino non naſcuntur ,vel citò pereunt.

8 ¶ Tam animalia quàm plantæ, niſi ſumant alimentum, moriuntur: quia naturalis calor deficiente alimento materiam ipſam,in qua eſt,id eſt,humidum vitale conſumit.

9 ¶ Aquatilia magna ex parte minùs viuacia ſunt, quàm terreſtria: item exanguia minùs quàm ſanguinea : propterea quòd habent humidum magis aquoſum, ideóque faciliùs congelabile,& corruptioni magis obnoxium.

Cap. VI.

Collatio animalium,& plantarum.

10 Plantæ diu viuunt: I,Quia minùs humoris diluti in ſe continent:vnde fit,vt nòn facilè congeletur. II. Quia pinguedinem & lentorem habent. III. Quia germinant,& ita renouantur. Cap.6.

11 ¶ Magnitudo ſuperiorum partium tam in plantis, quàm in animalibus eſt diuturnæ vitæ argumentum:quia eſt naturalis caloris. ideóque mares habent ſuperiores partes maiores,fœminę verò inferas.ſummum locum tenet in plantis radix,non rami.2.de anima.axio.29.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XLIV.

DE IVVENTVTE, ET SENECTVTE: DE VITA, ET MORTE, ET DE RESPIRATIONE.

Cap. I.

Vbi ſit animæ nutritiuæ & ſenſitiuæ principium

Cap. 1. ANima non eſt corpus, ſed eſt in corpore, vt probatum fuit in lib. de Anima.

2 ¶ Vegetatiua & ſenſitiua in animali re idē ſūt, quia animal, quaten⁹ animal, viuit, & eſt animal per ſenſum: ratione autē differunt, quia ſi omnino idē eſſent, reciprocarētur, & quēadmodum omne ſentiēs viuit, ita etiam omne viuens ſentiret: quod tamen falſum eſt, quandoquidem plantæ non ſentiunt, ſed tantùm viuunt.

3 ¶ Tam vegetatiua quàm ſenſitiua eſt in media animalis parte, id eſt, in corde, quod eſt principium vitæ & ſenſus: vel in eo quod cordi proportione reſpondet: quædam enim animalia non habent cor, ſed aliquid ſimile. Id autem pro-
Cap. 2. batur multis argumentis. I. quia ſi animal inſectum diuidatur, ea pars aliquandiu viuit, in qua eſt pars animalis media.
Cap. 3. II. Quia quod primum in animali generatur, eſt cor, itidēmque è media ſeminis parte oritur tam radix quàm germen. III. Quia in corde fit perfectiſſima alimenti concoctio, cùm ibi ſanguis purus ab impuro ſecernatur, & ibidem ſecundum
Cap. 4. Ariſtotelem eſt commune ſenſorium. IV. Quia natura ſemper id facit quod eſt optimum, inter ea quæ fieri poſſunt: hoc autem eſt optimum, vt hæ facultates, vegetatiua & ſenſitiua, medium locum teneant: hic enim locus eſt præcipuus, & hîc vegeta-

vegetatiua optimè alimentum perficiet, atque in omnes partes corpori diſtribuet: ſenſitiua autem omnibus externis ſenſibus præerit.

Cap. II.

De naturali calore.

4 QVamdiu animal viuit, naturalem calorem inſitum habet, eóque deſtitutum moritur.

5 ¶ Huius caloris principium eſt in corde.

6 ¶ Calore in aliis partibus extincto, animal viuere poteſt: at ſi in corde extinguatur, eo ipſo animal interit.

7 ¶ Calor perit duobus modis. I. Marcore, cùm à ſe ipſo perit, vt calor naturalis ſenectute. II. Extinctione propriè dictâ, id eſt, cùm à contrario extinguitur, vt morte violenta. Cap.5.

8 ¶ Vtriuſque modi eadem eſt cauſa: hęc autem eſt defectus alimenti, quod in viuente eſt humidum vitale. nam & cùm ignis ſuffocatur, ideo extinguitur: quia deficiente refrigeratione fir fortior, & ſtatim conſumit humidum: quo conſumpto ipſe quoque neceſſariò perir.

9 ¶ Opus igitur eſt refrigeratione, vt calor naturalis conſeruetur.

10 ¶ In plantis refrigeratio fit ab aëre ambiente, & ab alimento. nam alimentum quoque ſuſceptum refrigerat. Cap.6.

11 ¶ Nimio frigore calor plantarum extinguitur: nimio æſtu marceſcit. híſque de cauſis planta moritur.

12 ¶ Animalia, quæ in aëre vel in aqua degunt, ex aëre vel aqua refrigerationem accipiunt: quædam ſcilicèt per reſpirationem, alia ſine reſpiratione, vt ex ſequentibus intelligetur.

Cap. III.

Veterum errores de reſpiratione.

13 ANimalium alia pulmonem habent, alia pulmonē carent: quorum illa neceſſariò, hæc nullo modo reſpiranr. Cap.7.

14 ¶ Eorum quæ pulmonem habent, alia ſanguineum habent, vt homo & cetera animalia viuipara, alia exanguem

& fungoſú,vt ranæ,& reliqua animalia ouipara.illa magis egent reſpiratione,proinde in aqua diu manere non poſſunt: hæc autem reſpiratione minùs egent,idcirco ſub aqua diutiùs manent: non tamen ſemper ibi manere poſſunt: ſed tandem,ſi diutiùs in aqua detineantur, quàm eorum natura ferat,ſuffocantur.

Cap. IV.

Anaxagoræ & Diogenis de reſpiratione ſententiæ, & earum confutatio.

Cap.8. 15 ANaxagoras & Diogenes exiſtimantes omnia animalia reſpirare, quæſiuerunt quomodo piſces reſpirent.Secundum Anaxagoram, cùm piſces per branchias humorem reddunt, tunc, ne ſit in eis aliquid vacui, aërem trahunt, qui in ipſorum ore fit ex aqua mota & calefacta. Secundum Diogenem verò piſces attrahunt aërem ex aqua ori circumfuſa, quoniam in aqua aërem commixtum eſſe putat.

16 ¶ Hæ ſententiæ refutantur ab Ariſtotele ſequentibus argumentis. I. Cùm reſpirationis duæ ſint partes, inſpiratio,& expiratio,id eſt,aëris attractio,& emiſſio:Anaxagoras & Diogenes tantùm de inſpiratione loquuntur, non de expiratione. Immo hæc ſecundum eorum ſententiam fieri nequit.ſic itaque contra eos arguitur:Si piſces non expirant, etiam non inſpirant:atqui verum prius: ergo & poſterius. Maior propoſitio patet: quia quæcumque reſpirant, per vices aërem attrahunt,& reddunt.Minor probatur:quia ſi piſces aërem trahunt, cum aquam reddunt, vt inquiunt Diogenes & Anaxagoras, opus eſt, vt è contrario aërem reddant,cùm aquam trahunt: ſiquidem contrariorum contrarij ſunt effectus. ſed hoc modo aër ingrediens & aqua exiens ſibi inuicem occurrerent & obſtarent. Item cùm piſces aquam euomunt,tunc quicquid ibi habent,eiiciunt, atque adeo non tantùm aquam, ſed etiam aërem, ſi aërem hauſerunt.atqui tunc aiunt eos aërem recipere. ergo ſimul & eodem tempore aërem attrahent, & emittent: quod eſt
Cap.9. abſurdum. II. Piſces pulmone carent,& ventrem ori continuum habent. quare ſi reſpirarent, aërem in ventrem traherent. idem igitur alia animalia facerent: idem ipſi piſces

ces facerent extra aquam: quod tamen falſum eſt. III. In animalibus reſpirantibus videmus fieri motum circa ventrem, dum pulmo attollitur, & contrahitur: quem motum in piſcibus non cernimus. IV. Cùm animalia in aqua ſuffocantur: ſiue ſint terreſtria, ſiue ranæ, & alia id genus animalia, quæ vocantur ἀμφιβία tunc bullæ in aqua fiunt ob aërem ex huiuſmodi animalibus exeuntem. ſed huiuſmodi bullæ à piſcibus non fiunt. V. Si piſces in aqua aërem attraherent, etiam animalia terreſtria idem facere poſſent, proinde in aqua viuerent. VI. Piſces ſimiliter reſpirarent, & viuerent in aëre, vt in aqua. Ad hoc argumentum Diogenes reſpondet, piſces in aëre mori, quia nimium aëris attrahunt. ſed cur idem aliis animalibus non contingit? VII. Inſecta non reſpirant, quandoquidem in multas partes diuiſa viuunt, vt ſcolopendræ. Falſa igitur eſt Anaxagoræ & Diogenis ſententia, omnia animalia reſpirare.

Cap. V.

Sententia Democriti de reſpiratione, & eius refutatio.

17 Democritus, qui animam & calorem ex atomis rotundis conſtare, & multas eiuſmodi atomos in aëre verſari, viuénſque ab aëre ambiente comprimi, atque ita atomos extrudi putauit, reſpirationem neceſſariam eſſe dixit ad hoc, vt atomi ex aëre attrahantur, quæ ipſi animæ ſuccurrant ne omnino extrudatur, & in locum atomorum extruſarum ſuccedant. itaque animal viuere, quamdiu hoc facere poteſt: mortem autem nihil aliud eſſe, quàm extruſionem dictarum atomorum. Cap. 10.

18 ¶. Reprehenditur Democritus ab Ariſtotele. I. Quia ex eius principiis non conſtat, cur neceſſe ſit aliquando mori, nec cur tempus mortis ſit incertum. II. Quia non docet, vtrùm principium reſpirationis ſit internum, an externum. III. Quia aëri tribuit contrarios effectus, dum ait aërem comprimere, atque atomos extrudere, & eundem attrahi per reſpirationem ne compreſſione atomi extrudantur. IV. Quia quod dixit mortem eſſe extruſionem atomorum, & animal tunc mori, cùm non poteſt per reſpirationem attrahere atomos, non conuenit

animalibus non reſpirantibus. immo nec reſpirantibus conuenit: quia æſtus tempore maximè egemus reſpiratione, vt refrigeremur, non hyeme, cùm gelu maximè videtur corpora comprimere, & atomos igneas animam conſtituentes extrudere.

Cap. VI.

Diſputatio de reſpiratione contra Platonem.

Cap.II. 19 PLato in Timæo de reſpiratione animalium terreſtrium loquitur: alia verò animalia eodémne, an diuerſo, an nullo modo reſpirent, non declarat.

20 ¶ Reſpirationem autem ſic fieri aſſerit, aër calefactus, per os egrediens, circumfuſum aërem pellit, ita vt, ne detur vacuum, aër hic pulſus, per carnes, quæ raræ & foraminibus plenæ ſunt, ingrediatur, & in eius aëris, qui per os exiuit, locum ſuccedat. ibi verò calefactus, ipſe quoque per eundem locum, per quem eſt ingreſſus, exit, & aërem calidum, qui ex ore exierat, intrò repellit. ſic viciſſitudo reſpirationis eſt: & modò aër per os exit, & per carnes ingreditur, modò per carnes exit, & per os intrat, inſtar Euripi.

21 ¶ Hanc ſententiam Ariſtoteles refellit ſequentibus argumentis. I. Hic reſpirandi modus temerè & ſine vlla certa ratione fictus eſt. II. Hac ratione fit, vt inſpiratio ſit prior expiratione: ſiquidem viciſſitudo eſt, vt dixi, adeo vt altera ſine altera eſſe non poſſit: vltimus autem actus eſt expiratio, quia morientes expirant, nec poſt mortem aërem attrahunt: primus igitur actus eſt inſpiratio, id eſt, aëris attractio: quod tamen falſum eſſe ex ſequentibus apparebit. III. Plato loquitur de reſpiratione, quaſi de accidente, cùm tamen reſpiratio ad vitam ſit neceſſaria. IV. Aëris ingreſſus & egreſſus per os apparet. cur igitur per carnes æquè non apparet, ſi per has quoque ingreditur, & egreditur? V. Malè ait aërem calidum intrò repelli: quia reſpiramus captantes refrigerationem, non calorem.

Cap. VII.

Reſpirationem non eſſe caloris naturalis alendi gratiâ.

22 QVidam dixerunt reſpirationem à natura datam eſſe animalibus, vt attracto ſpiritu calor naturalis alatur,& quod ex eo ſpiritu ſuperfluum eſt,quaſi excrementum eiiciatur. Cap.12.

23 ¶ Hæc quoque ſententia falſa eſt. I. Quia etiam animalia non reſpirantia naturalem calorem habent.. II. Quia calor naturalis non alitur ſpiritu attracto per reſpirationem, ſed alimento concocto. III. Quia animal alia parte capit alimentum, alia eiicit excrementa:ſpiritum autem attrahit ac reddit per eandem partem,id eſt, per aſperam arteriam.

Cap. VIII.

Empedoclis de reſpiratione ſententia,& eius refutatio.

24 EMpedocles ait venas ſanguinem continere, nec tamen ſanguine repletas eſſe.in his venis eſſe foramina, per quæ aër ingredi & egredi poteſt, ſanguis autem exire non poteſt. dum igitur ſanguis ad interiores partes migrat,aër ſuccedit in eius locum. cùm autem ſanguis verſus externas partes mouetur,aër emittitur.ſic igitur reſpirationem fieri cenſet, vt clepſydris accidit: in quas in aquam demiſſas aqua ita demum per inferiora foramina ingreditur,ſi aperto ſuperiori foramine aër inde exeat:& ex eiſdem ex aqua extractis ita demum aqua egreditur,ſi ſuperiori foramine aperto aër ingrediatur. Cap.13.

25 ¶ Ariſtoteles Empedocli opponit, I. Quòd non declarat cauſam finalem reſpirationis. II. Quòd non docet, an omnia animalia reſpirent, néc ne. III Quòd cùm reſpiratio ſpectetur vel per arteriam, vel per os ſeu nares, Empedocles tantùm de reſpiratione per nares loquitur, ſine qua animal viuere poteſt: ſed ei reſpirationi,quæ præcipua eſt,& ſine qua animal viuere nequit,id eſt,ei quę fit per arteriam, ſermo Empedoclis accommodari non poteſt. nam ſecundum Empedoclis ſententiam retrocedente in venis ſanguine, fit compreſſio, & aër attrahitur: eodem ad

partes externas procedente, dilatatio fit, & aër redditur. ſed contrarium euenire ipſe ſenſus oſtendit. perinde enim nobis reſpirantibus accidit, vt cùm folles inflati aërem accipiunt, & compreſſi eundem reddunt: niſi quòd folles aliâ parte aërem trahunt, aliâ reddunt: reſpirantes autem eadem parte ſpiritum attrahunt, & emittunt.

Cap. IX.

Refrigerationem omnibus animalibus eſſe neceſſariam.

Cap. 14. 26 NE calor naturalis marceſcat, refrigeratio cunctis animalibus eſt neceſſaria.

Cap. X.

Quomodo, & quo organo animalia refrigerentur.

Cap. 15. 27 PArua & exanguia animalia, quæ exiguum calorem habent, ſatis ab aëre vel aqua ambiente refrigerantur.

28 ¶ Omnia inſecta ſunt exanguia. ſed quæ ex his ſunt viuaciora, vt apes (de longit. & breuit. vitæ. axio. 3.) his ſub ſepto tranſuerſo ſciſſum quiddam eſt, vt per membranulam refrigerentur. quinimmò quæ murmur edunt, vt veſpæ, & cicadæ, ſub ſepto tranſuerſo aërem inſitum habent, cuius ad membranam attritu ſonum edunt.

29 ¶ Quæ pulmonem cum exiguo ſanguine fungoſum habent, diu ſine reſpiratione manere poſſunt: ideóque ſub aquis aliquamdiu degere poſſunt, vt ranę, & teſtudinum ac ſerpentium genera quædam: ſed tandem ſuffocantur, niſi ex aquis exeant, & reſpirent.

30 ¶ Aquatilia, quæ ſanguine carent, diutiùs in aëre viuere poſſunt, quàm ſanguinea.

Cap. 16. 31 ¶ Quæ ſanguineum pulmonem habent, ipſius pulmonis & cordis refrigerandi gratiâ frequenter reſpirare coguntur: alioqui vehemens calor humorem vitalem ſtatim abſumit, atque eo abſumpto perit.

32 ¶ Pulmonem habent, quę in ſe animal concipiunt, necnon ouipara pennata, vt aues, & corticata, vt teſtudines, & lacerti, & ſerpentes.

33 ¶ Quæ

33 ¶ Quæ branchias habent,aquâ acceptâ refrigerantur, vt piſces.

34 ¶ Nullum autem animal nouimus habens branchias & pedes præter cordulum,vt Ariſtoteles hic ſcribit, & lib. 4. de partibus anim.cap.13.& lib.8.de hiſtor.anim.cap.2.

35 ¶ Nullum animal pulmonem & branchias habet: quia vtrumque eſt refrigerandi inſtrumentum : natura verò, quæ nihil fruſtra facit, duobus organis ad eundem effectum non vtitur.

36 ¶ Quamquàm è contratio compendij causâ vnum organum ad duos effectus natura accommodat,vt os ad cibum recipiendum,& ad reſpirandum. Cap. 17.

37 ¶ Sed ne cibus reſpirationi noceat:alijs animalibus, vt quadrupedibus & ſanguine prædítis,naturá ligulam dedit, quam epiglotidem vocant,quaſi arteriæ operculum. in cibo namque degluticndo, arteria per eam ligulam clauditur: deinde cibo in vẽtrem demiſſo aperitur. Aues autem & quadrupedes,quæ oua pariunt,ligulâ carent,ſed in ſumendo cibo arteriam conſtringunt,mox reſpirandi causâ dilatant.

38 ¶ Quæ branchias habent,cibum per os accipiunt,aquam per branchias eiiciunt.cùm autem arteria careant,nullum ex cibo periculum ipſis imminet,niſi quaten9 aqua cum cibo ſumpta ventri nocere poteſt : quamobrem cibum non mandunt,ſed raptim ſummáque celeritate in ventrem tranſmittunt.

39 ¶ Cete, vt delphini & balenæ,pulmonem habent, & per reſpirationem refrigerantur : aquam igitur ſuſcipiunt, non vt per eam refrigerentur:ſed quia cùm in aquis cibum capiant,neceſſe eſt aquam vnà cum cibo influere. hanc verò aquam per fiſtulam eiiciunt. Cap. 18.

40 ¶ Omnino tam mollia quàm cruſtata, quæ reſpirant, humorem ideo recipiunt:quia in aqua cibum capiunt, non vt per eum refrigerentur.cúmque per certas partes egerunt, vt cancri iuxta hirſutas partes per plicaturas,quas Græci ἐπιπτύγματα vocant:ſæpiæ & polypi per cauum illud, quod ſupra eam partem,quæ caput appellatur,poſitum eſt.

Cap. XI.

Cur quædam animalia pulmonem habeant, & cur reſpirent, & quomodo alia per reſpirationem, alia per branchias refrigerentur.

Cap. 20. 41 EMpedocles ait calidiſſima eſſe animalia aquatilia, ideóque exceſſum caloris fugientia ſe contuliſſe in aquas, vt in loco contrario ſeruentur.

42 ¶ Hæc ſententia refutatur ſequentibus argumentis. I. Abſurdũ eſt aquatilia, cùm in ſicco genita ſint, mutatis ſedibus ſe in humorem contuliſſe: quia pleraque pedibus carent. II. Alia ſanguine carent, alia parum ſanguinis habent: ergo non ſunt animalibus terreſtribus calidiora. III. Quod calore adſcititio affectum eſt in loco cõtrario, ad mediocritatem naturalem redigitur: quod verò naturâ eſt calidum, in loco contrario non ſeruatur, vt Empedocles putat. IV. Simili ratione plantæ, quia terreſtres, proinde ſiccæ ſunt, debuiſſent in humorem transferri.

43 ¶ Vt branchiæ piſcibus, ita thorax reſpirantibus animalibus ſurſum & deorſum mouetur: quo motu animal deſtitutum moritur.

44 ¶ Neque quod reſpirat, in paruo & eodem aëre, neque piſcis in parua & eadem aqua viuere poteſt: quoniam aër ille vel aqua calefit, nec ad refrigerandum ampliùs valet.

Cap. XII.

Mortis genera.

Cap. 23. 45 GEneratio & interitus omnibus viuentibus communes ſunt: quamquàm non eodem modo omnia oriuntur & occidunt.

46 ¶ Mors diuiditur in violentam, & naturalem. Violenta eſt, cùm principium interimens aduenit extrinſecùs. Naturalis autem eſt, cuius principium eſt in ipſo viuente: quia ſcilicèt certa pars, à qua vita pendet, ita à natura conſtituta eſt, vt non poſſit officio ſuo in perpetuum fungi: hæc autem pars eſt pulmo, vt poſteriùs exponam.

47 ¶ Huius naturalis interitus cauſa eſt defectus caloris: calor verò deficit, quia deficiente refrigeratione confeſtim

humi-

humidum vitale conſumit,& marceſcit:ideo autem refrigeratio naturaliter deficit,quia progreſſu temporis in animalibus reſpirantibus pulmo,in piſcib. branchiæ redduntur magis terreæ, & obdureſcunt, adeo vt amplius moueri nequeant.

48 ¶ Senes leui de cauſa moriuntur: quia exiguo calore ſunt præditi.

49 ¶ Mors ob ſenium contingens dolore vacat:quia ſine violento affectu euenit.

50 ¶ Quandoque etiam propter morbum fit, vt pulmo obdureſcat, nec ampliùs refrigerare poſſit: ideóque animal ſine dolore interit.

Cap. XIII.

Quid ſit ortus,vita, iuuenta,ſenectus,conſtans ætas,obitus.

51 Viuentis ortus ſeu generatio eſt prima vegetatricis animæ cum naturali calore coniunctio. Cap.24.

52 ¶ Vita eſt eius animę cum dicto calore permanſio, ſeu,dictæ coniunctionis duratio.

53 ¶ Iuuentus eſt primæ refrigeratricis partis,id eſt,pulmonis incrementum. ſenectus eſt eiuſdem decrementum. Ἀκμὴ ſeu conſtans & adulta vita eſt iuuentutis & ſenectutis medium.

54 ¶ Interitus violentus eſt naturalis caloris extinctio, vel marcor, cuius (vt ſuprà docui ax. 46.) principium eſt extrinſecum. Interitus autem naturalis eſt eiuſdē caloris marcor longitudine temporis eueniens.

55 ¶ Hic in plantis vocatur ariditas, in animalibus mors.

56 ¶ Mors naturalis eſt dicti caloris marcor ex eo eueniens,quòd refrigeratrix pars, id eſt, pulmo propter ſenium refrigerare ampliùs non poteſt.

Cap. XIV.

Cur animantia reſpirantia,in aqua,piſces in aëre ſuffocentur.

57 Animalia quæ reſpirant, ſuffocantur in aqua, quoniam aëre refrigerantur, quo in aqua deſtituuntur.Similiter piſces in aëre ſuffocantur, quoniam aqua refrigerari debent,quâ in aëre priuantur. Cap.25.

Cap. XV.

De accidentibus cordis, de cauſa motus pulmonis, vel branchiarum, & de conſtitutione inſtrumenti refrigeratiui.

Cap.26. 58 TRia cordi accidunt, palpitatio, pulſus, & reſpiratio. 59 ¶ Palpitatio eſt caloris in corde exiſtentis compulſio ſeu conſtrictio ob refrigerationem excrementitiam, vel colliquatricē, vt in quibuſdam morbis accidit, quo fit vt interdum adeo calor in anguſtum coarctetur, vt animal intereat.

60 ¶ Pulſus eſt perpetuus motus cordis ob tumefactionem humoris è cibo accedentis, quâ fit vt vltima cordis tunica eleuetur.

Cap.27. 61 ¶ In iunioribus maior eſt, quàm in ſenioribus: quia in iunioribus fit maior euaporatio.

62 ¶ Hinc pulſus venarum oritur: quia venæ ex corde initium ducunt.

63 ¶ Cùm cordis calor ob accedens alimentum augetur, cor dilatatur, & pulmonem attollit, non aliter quàm manus folles attollit: (nam pulmo ad ſimilitudinem quodammodo follis factus eſt) & ſublato pulmone attollitur pectus, vt in reſpirantibus apparet. hinc fit, vt aër ingrediatur, qui pulmonem & cor refrigerat. ita deminuto calore, pulmo & cor deprimuntur: vnde aër, qui ingreſſus fuerat, exit, & licèt frigidus ingreſſus ſit, tamen calefactus exit, eiúſque ingreſſus vocatur reſpiratio, ſiue inſpiratio: egreſſus autem expiratio.

64 ¶ Similiter in piſcibus auctus calor partes mouet, & branchias attollit: vnde aqua ingreditur, quæ refrigerat, atque hac refrigeratione minuto calore, & compreſſis partibus, eadem aqua eiicitur.

65 ¶ Hæc ſine interruptione reſpirationis & expirationis viciſſitudo conſeruat animal quamdiu viuit. & quia inſpiratio præcedit, expiratio ſequitur: idcirco qui moriuntur, expirare dicuntur: hic enim eſt vltimus viuentis actus.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ TOMVS III. LIBER XLV.

ETHICORVM PRIMVS.

Prolegomena.

ETsi philoſophia,ſi verbi notationem ſpectes,nihil aliud,quàm amorem ſapiẽtiæ ſignificat. (vnde Cicero 2. de offic. *ſapientiam*, inquit, *qui expetunt,philoſophi nominantur*.& 1. de legib. *Ita fit,vt mater omnium bonarum rerum ſit ſapientia, à cuius amore Græco verbo philoſophia nomen inuenit)* tamen pro ipſa ſapientia & rerum cognitione accipi ſolet, vt apud eundem Cic.3. de Orat. illo loco : *Cognitio optimarum rerum atque in iis exercitatio, philoſophia nominatur.*

2 ¶ Eius variæ definitiones afferuntur ab Ammonio in Porphyrium,& ab aliis. Nos eam non poſſe definiri arbitramur: quia quod definitur, ſynonymũ aut quaſi ſynonymum ſit oportet:philoſophia verò nec ſynonymως, nec ſecundum analogiam, nec alia ſimili ratione dici poteſt vna ſcientia, quippe quæ multas ſcientias toto genere diuerſas complectitur,vt mathematicas,phyſicam,metaphyſicam,politicam.

3 ¶ Quia verò in præſentia Politicam enarraturi ſumus: in primis ſciendum eſt, de eius nomine tres eſſe opiniones, vnam Platonis,alteram vulgarem,tertiam Ariſtotelis.

4 ¶ Plato cenſet promiſcuè vocari poſſe regiam,politicam,œconomicam. Eius verba in Politico hæc ſunt : *ταύτην εἴτε βασιλικὴν, εἴτε πολιτικὴν, εἴτε οἰκονομικήν τις ὀνομάζει, μηδὲν αὐτῷ διαφερώμεθα.* ſed hanc ſententiam Ariſtoteles refellit 1. Polit. capite 1.

5 ¶ Vulgus etiam Peripateticorum vniuerſam hãc philoſophiam practicam, exiſtimat rectè vocari ethicã,ſeu moralem,ſeu de morib. Ariſtoteles autem docet, rectiùs appel-

lari politicam, quàm ethicam. Ethic. Nimach. lib. 1. cap. 2. & Ethic. magn. lib. 1. c. 6. partic. 3. & cap. 10. partic. 2. Ratio euidẽs eſt: quia commune ſcientiæ nomen à toto ſubiecto, non ab eius parte ſumi debet. vnde politica ſeu ciuilis ἀπὸ τῆς πόλεως, id eſt, à ciuitate denominatur. ciuitas enim eſt ſubiectum (vt ſcholaſtici loquũtur) totale, cuius pars eſt ciuis, id eſt, homo, de cuius moribus in Ethicis tractatur.

6 ¶ Vt igitur principia phyſica traduntur in lib. naturalis auſcultationis: de mundo autem agitur in lib. de cœlo: ita principia politica explicantur in lib. Ethicis: de ciuitate autem ſeu republica diſſeritur in Politicis.

7 ¶ Ipſi politicæ ſubiiciuntur, non vt partes, ſed vt ancillantes, œconomica, poëtica, rethorica, & hiſtorica. his enim, tamquàm inſtrumentis, politicus vtitur ad ciuium animos & domos rectè informandas.

8 ¶ Ethicorum inſcriptio non à toto ſubiecto, ſed à maxima parte ſumpta eſt: quia maxima librorum Ethicorum pars de virtutib. moralibus, quæ beatitudinem practicam efficiunt, pertractat. nihilominùs tamen in iiſdem libris exponuntur etiam virtutes dianoëticæ, & beatitudo contemplatiua, quæ ſecundum Ariſtotelis ſententiam actiuæ præſtat, vt lib. 6. & lib. 10. demonſtrabitur.

9 ¶ Tria Ethicorum volumina circumfcrũtur: nimirùm Ethica Nicomachica, Ethica Eudemia, & Ethica magna. Ego cõiicio Ariſtotelẽ primò conſcripſiſſe magna Ethica, deinde Eudemia, tandem Nicomachia: ita vt Eudemia nihil aliud ſint, quàm magnorum Ethicorum emendatio: & Nicomachia, Eudemiorum correctio.

10 ¶ Plerique putant Eudemia & Nicomachia vocari, quoniam Ariſtoteles illa Eudemo, hæc filio Nicomacho dicauit. Cicero autẽ 5. de finib. videtur exiſtimaſſe Ethicorum Nicomachiorum auctorẽ fuiſſe Nicomachũ. *Tenemus* (inquit) *Ariſtotelẽ & eius filium Nicomachũ: cuius accuratè ſcripti de morib. libri dicuntur illi quidem eſſe Ariſtotelis. ſed non video, cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius.*

11 ¶ Verũtamẽ & ſtylus oſtendit hoc opus fuiſſe ab Ariſtotele cõſcriptũ: & varia loca hoc confirmãt. nã vltimũ huius operis caput tranſitionẽ cõtinet ad libros politicos, quorum Ariſtotelem eſſe auctorem nemo negat. Præterea lib. 6. huius

huius operis,c.5.citatur primus liber Poſter.Analyt.& diuerſis Politicorũ locis citantur hi libri Ethici: vt lib.2.c.1. & lib. 3.c.6.& lib.4.cap.2.& lib.7.c.13.quinetiam ſextus Ethicus citatur 1.Metaphyſ. adeo vt neceſſe ſit eundem eſſe authorem Ethicorum,Politicorum,Analyticorũ,& Metaphyſicorum.

12 ¶ Ego puto Nicomachia & Eudemia nominari, quia dictante Ariſtotele à filio Nicomacho, & à diſcipulo Eudemo ſunt excepta.

13 ¶ Magna Ethica ſi à voluminis magnitudine vocentur, fateri cogimur opus integrum non extare : quandoquidem hæc Ethica ſunt omnium breuiſſima.

14 ¶ Ex dictis patet,eum,qui Ethica Nicomachia intellexerit,nihil deſideraturum ex iis,quæ Eudemicis & magnis Ethicis continentur.

15 ¶ Libellus de virtutibus falsò Ariſtoteli adſcribitur. meus codex manuſcriptus auctorem facit Andronicum Peripateticum,qui eadem methodo ſimul egit de affectionib. ſeu perturbationibus animi,& de virtutibus ac vitiis.

16 ¶ In libris Ethicis explicatur ſummũ hominis bonũ, quod in hac vita conſequi poteſt.id à Latinis vocatur beatitudo,(Cicero lib.1.de nat.Deor.beatitudinẽ &beatitatẽ dura vocabula appellat,ſed vſu molliẽda cenſet)à Græcis appellatur εὐδαιμονία,& interdũ εὐπραξία,& εὐζωία,Eth.lib.1.c.3.part.2.

17 ¶ De hoc ſummo bono generaliter agitur in primo libro:partes eius explicantur libris ſequentibus.

Cap. I.

An ſit aliquod ſummum bonum.

1 TRiplex eſt,auctore Ariſtotele 5.Metaphyſ.cap.1.dianœa,id eſt,habitus, vel operatio intellectus , & vſus rationis:nimirùm effectiua,vt ars:actiua,vt prælectio:& cõtemplatiua,vt ſcientia: vnde cognitionum tripertita diuiſio ſumitur.Topic.lib 8.c.1.partic.25.Quintil.lib.2.cap.18. Cap.1.

2 ¶ Omnis autẽ dianœa & omnis actio bonũ aliquod appetit.nã & cùm quis malũ appetit, vt voluptatem, id appetit ſub ratione boni:quia ſcilicèt ſibi bonũ videtur.1.Polit.cap.1.

3 ¶ Bonum igitur eſt,quod omnia appetunt.

4 ¶ Itaque bonum habet rationem finis :& retrò finis habet rationem boni.

5 ¶ Finis vel eſt operatio, vel opus poſt operationẽ manẽs.

Eſt autem operatio, vt ædificatio. Opus, vt domus. Sed quotieſcumque opus poſt operationem manet, illud operatione melius eſt.

6 ¶ Quot ſunt actiones, artes, & ſcientiæ, tot ſunt fines, ſed interdum aliæ artes aliis ſubiiciuntur, vt ars conficiendi frænos arti equeſtri, & ars equeſtris arti militari: túncque huius, quæ architectonica vocatur, finis eſt præſtantior: quia *eſt* finis vlterior. Exempli gratiâ, conficimus frenos, vt equos regamus, & equos regimus, vt obtineamus contra hoſtes victoriam.

Cap. 2. 7 ¶ Neceſſe eſt aliquem eſſe vltimum actionum humanarum finem, ita vt alia omnia huius gratiâ, hoc verò per ſe eligamus: alioqui res in infinitum progrederetur, & noſter appetitus inanis eſſet, quippe qui finem ſuum aſſequi non poſſet.

8 ¶ Hic vltimus finis eſt ſummum bonum, quod in his libris quærimus. nam ſi finis quò eſt vlterior, eò eſt melior: certè neceſſe eſt, vt finis vltimus ſit optimus.

CAP. II.

De ſcientia ſummi boni.

9 SVmmi boni, quòd hominem beatum efficit, cognitio ad politicam pertinet, cuius pars eſt ethica, vt homo eſt pars ciuitatis. quare totius ciuitatis vel gentis bonum longè præſtat vnius hominis bono.

10 ¶ In politica nec adhiberi poteſt nec deſiderari debet ἀκρίβεια mathematica: ſed pro ſubiecto argumento ſufficit ſingula populari ſtylo & rudi Minerua pertractare.

Cap. 3. 11 ¶ Idonei politicæ auditores non ſunt, I. Pueri, cùm quia ſunt expertes actionum, ex quib. principia politica ſumuntur, proinde non ſunt capaces huius ſcientiæ: tum etiam quia ſenſu ducuntur & ſecundum affectus viuunt, adeo vt hæc ſcientia ſit eis inutilis. II. Vitioſi & incontinẽtes: *quia* ità viuunt, vt pueri, ſecundum affectus & animi perturbationes. quamobrem ipſis quoque hæc ſcientia nihil prodeſt.

12 ¶ Idonei auditores ſunt, qui ex rationis præſcripto vitam traducere cupiunt: hi namque & hanc ſcientiam capere, & ex ea vtilitatem conſequi poſſunt.

CAP.

CAP. III.

Quid ſit ſummum bonum ex aliorum ſententia.

13 SVmmum bonum ab omnibus vocatur beatitudo,& omnes bene viuere, ac bene agere, idem putant, quod beatum eſſe. Cap. 4.

14 Summum bonum alij in alia re collocant.nec ſolùm alij ab aliis diſſentiunt,ſed etiam iidem à ſemetipſis.verbi gratiâ, alii ſummum bonum ponunt in voluptate, alii in diuitiis, alij in alia re. Rurſus cùm quis ægrotat, ſummum vocat ſanitatem: cùm paupertate premitur, diuitias: cùm ſuæ ignorantiæ conſcius, viros doctos admiratur, ſcientiam & magnarum rerum cognitionem. Plato autem ait id eſſe ideam boni.

15 ¶ Non omnes opiniones ſunt examinandæ,ſed quę celebres ſunt,quæque ratione aliqua nituntur. nam futiles ſatius eſt prætermittere:præſertim cùm magnus ſit earum numerus:quippe cùm Varro ducentas octoginta octo opiniones de ſummo bono enumerari poſſe auctor ſit, referente Auguſt.de ciuit. Dei.

16 ¶ Methodo vtimur à notioribus nobis ad notiora ſecundum naturam,id eſt,ab effectis ad cauſas.

17 ¶ Quapropter huic ſcientiæ operam daturus in primis bene educatus& bene moratus eſſe debet:adeo vt ſi ex ſe bona à malis diſcernere nequeat,tamen recta imperantibus obtemperare ſit paratus: primus enim locus ſecundum Heſiodum ἐν ἔργοις,debetur iis,qui agenda & fugienda norunt,alter iis,qui rectè monentibus parent: deterrimi verò & inutiles habentur,qui nec ſunt prudentes,nec prudentibus obediunt Cap. 5.

19 ¶ Ex ratione viuendi ſumuntur opiniones de beatitudine. Tria verò ſunt præcipua vitæ genera,voluptuoſum, politicum,& contemplatiuum. Voluptuoſi ſummum bonum ponunt in voluptate:politici in honore,aut virtute:contemplatiuam vitam degentes,in contemplatione.

CAP. IV.

Refutatio quarundam opinionum de ſummo bono.

19 QVi ſummum bonum in voluptate ponunt,fortaſſe quia multi auctoritatem & poteſtatem habentes, Sardanapalo ſimiles ſunt,ij pecudum vitam eligunt ac cete-

ris anteponunt. Ciceronem igitur audiant, cuius verba. 1. Parad. hæc ſunt, *Tu, cùm tibi ſiue Deus ſiue mater (vt ita dicam) rerum omnium natura dederit animum: quo nihil eſt præſtantius neque diuinius, ſic te ipſe abiicies atque proſternes, vt nihil inter te atque inter pecudem putes intereſſe?*

20 ¶ Nec in honore, quem multi politici quaſi vltimum vitæ finem ſectantur, beatitudo conſiſtit. I. Quia honor magis eſt vi honorante, quàm in honorato, adeo vt facilè huic eripi poſſit, & ab alieno arbitrio pendeat, quod de beatitudine non eſt ſentiendum, quæ eſt res conſtans, firma, & ſtabilis. II. Quia honorari virtutis nomine à viris prudentibus cupiunt, vt viri boni & virtute præditi videantur. itaque virtutem eſſe honore potiorem & præſtantiorem fateantur neceſſe eſt.

21 ¶ At verò ſola virtus non ſufficit ad hominem beatum faciendum. quid enim, ſi virtute præditus dormiat? nam hoc tempore beatus à miſero nihil differt. vnde aiunt inter beatos & miſeros dimidiam vitæ partem nihil intereſſe infrà ca. vlt. quid ſi in tota vita nihil agat? vt quia rectè agere impediatur? profectò virtutis habitus parum ei proderit, nullam actionem producens. quid præterea, ſi in maximis malis & calamitatibus, vt Priamus, verſetur? quis hunc niſi diſputandi causâ beatum appellet?

22 ¶ De contemplatione & vita contemplatiua poſteriùs diſſeram lib. 6. & lib. 10.

23 ¶ Pecunia non eſt ſummum bonum. I. Quia vita in conquirendis pecuniis occupata, laborioſa eſt, non coniuncta cum ea animi tranquillitate, quam beatitudo requirit. II. Quia pecunia per ſe non expetitur, ſed propterea, ad quæ eſt vtilis, & quæ pecuniâ comparantur: beatitudo verò proculdubia expetitur per ſe,

Cap. V.

Summum bonum non eſſe ideam.

Cap. 6. 24 PLato exiſtimauit ſummum hominis bonum eſſe αὐτὸ ἀγαθὸν, ipſum bonum, id eſt, ideam boni. quæ ſententia repudianda eſt. I. Quia nec omnium bonorum nec bonorum per ſe expetendorum eſt vna idea. II. Quia quæ-

rimus

rimus ſummum bonum, quod ab homine acquiri poteſt, cuiuſmodi bonum non eſt idea.

25 ¶ Non eſſe vnam omnium bonorum ideam, ita probatur. I. In quibus eſt ordo, ita vt alia ſint priora, alia poſteriora, horum non eſt vna idea: atqui in bonis eſt eiuſmodi ordo: ergo bonorum non eſt vna idea. Maior propoſitio conceditur à Platone. Minor probatur: quia bonum reperitur in diuerſis, atque adeo in omnibus categoriis: vt in ſubſtantia bonum eſt Deus & mens, in quantitate mediocritas, in qualitate virtus, in relatione vtile, in tempore occaſio, in loco domicilium: categoriarum autem aliæ ſunt priores, aliæ poſteriores: vt ſubſtantia eſt prior quantitate, quantitas qualitate, qualitas relatione: Ergo etiam bonorum alia ſunt priora, alia poſteriora: proinde non eſt bonorum vna idea. II. Non eſt vna idea communis omnibus categoriis: atqui bonum, vt modò docui, reperitur in omnibus categoriis: non eſt igitur boni vna idea. III. Si vna eſſet omnium bonorum idea, vna eſſet etiam omnium bonorum ſciētia: ſed non eſt vna ſcientia: ergo non eſt vna idea. Maior eſt perſpicua. Minor probatur: quia tantùm abeſt, vt omnium bonorum ſit vna ſcientia, vt ne quidem eius boni, quod ad vnam categoriam refertur, vna ſcientia ſit. exempli causâ, occaſio partim cōſideratur in arte militari, quatenus in bello ſpectatur, partim in medicina, quatenus in morbo cernitur. IV. Homo & ipſe-homo ſiue idea hominis, quatenus homo, non differunt: quia vtrique eadem hominis definitio conuenit: ergo ſimiliter bonum & ipſum-bonum ſiue idea boni, quod ad boni rationem attinet, nihil differūt. Nec ad rem facit, quòd idea ſit ſempiterna, quia tempus non facit rem magis talem. vt enim res diuturna non eſt propterea candidior, quàm nix exiguo tempore durans: ita idea boni non ideo ceteris bonis præſtat, quia ſempiterna eſt: conſequenter non eſt dicendum, ſummum bonum eſſe ideam.

26 ¶ Ne quidem bonorum per ſe expetendorum eſſe vnam ideam, ſic probatur: Aut ſola idea eſt bonum per ſe, aut etiam alia ſunt bona per ſe, vt ſapientia, & honeſta voluptas. ſi ſola idea eſt bona per ſe, inanis eſt, nec datur bonum per ſe, quod è nobis acquiri poſſit. quòd ſi alia quoque ſunt per ſe bona ſecundum vnam illam communem

ideam, neceſſe eſt omnium eandem eſſe rationem, quod tamen falſum eſt: aliter enim ſapientia eſt in bonis, aliter ſanitas, aliter facultas videndi, &c.

27 ¶ Denique bonum neque eſt commune ſynonymum, nec homonymum, ſed analogum: veluti quam habet rationem ſcientia in anima, eandem habet ſanitas in corpore, aſpectus in oculo.

28 ¶ Idea non ſolùm à nobis acquiri nequit: ſed etiam eius cognitio nihil ad bonum acquirendum prodeſt. I. Quia à nullo artifice idea conſideratur: vtputà medicus non conſiderat ideam hominis, ſed hominem: nec probabile eſt, omnes artifices fuiſſe eam prætermiſſuros, ſi ad aliquid conferret. II. Quia idea eſt vniuerſalis, actiones autem humanæ, quibus ſummum bonum comparatur, in rebus particularibus ſpectantur.

Cap. V.I.

Beatitudinis definitio ὀνοματώδης.

Cap.7. 29 Beatitudini hæc attribuuntur. I. Eſt eorum, quę ſub actionem cadunt, finis. II. Eſt bonum perfectiſſimum, id eſt, quod expetitur tantùm propter ſe, non propter aliud. III. Eſt ſufficiens, id eſt, viro beato ſufficit, vt vitam optabilem & perfectam degere dicatur, etiamſi hoc ſolo bono fruatur. Intellige ei ſufficere, non vitam ſolitariam degenti, quia homo eſt animal ciuile & ſociabile, ſed ita vt communicetur cum parentibus, liberis, coniuge, cognatis, affinibus, & amicis.

30 ¶ Beatitudo igitur eſt bonum perfectum & ſufficiẽs, cùm ſit eorum, quæ ſub actionem cadunt, vltimus finis. hæc eſt beatitudinis definitio nominalis.

Cap. VII.

Beatitudinis definitio οὐσιώδης.

31 Eſſentialis verò definitio beatitudinis eſt, operatio ſiue actio animi ſecundum virtutem in vita perfecta. Dixi, *operatio ſiue actio:* quia cuiuſque rei bonum & perfectio in opere eius conſiſtit: vt ſtatuarij in ſtatua, pictoris in

pictura

pictura conficienda. Nec dubitandum, quin aliquod ſit hominis opus: quia fieri nequit, vt ad otium & ad nihil agendum ſit natus. Dixi, *animi:* quia hominis eſſentia magis conſiſtit in animo, quàm in corpore. & quidem in facultate rationali, qua à brutis ſecernitur: aut in facultate ſenſitiua, quatenus rationi obtemperat: ceteroqui ſenſus eſt communis etiam brutis: anima verò vegetatiua ineſt etiam plantis: nos autem hominis proprium quærimus, quod nec plantis, nec beſtiis conuenit. Dixi, *ſecundum virtutem*: quia ſecundum hâc opus rectè fit. id enim in quoquo genere bene eſt, quod ſecundum virtutem eſt. Dixi, *in vita perfecta:* quia ſicut vna hirundo (vt eſt in prouerbio) non facit ver, ita vna actio vel exiguum tempus non facit hominem beatum: nos verò perfectiſſimam beatitudinem, & perfectiſſimum hominis bonum quærimus.

CAP. VIII.

Tranſitio.

32 DAta beatitudinis definitio, quo magis confirmetur, conferenda eſt cum variis dictis ac ſententiis, quæ de ea circumferuntur. eſt enim in hac ſcientia principium: & quomodo poteſt, comprobari debet: quia magnum ad ſequentia momentum habet perfecta principiorum cognitio. nec malè Heſiodus ἐν ἔργοις Principium ait plus eſſe quàm dimidiam totius partem, & Ariſt. Elench. cap. vlt. partic. 6. inquit principium eſſe maximam totius partem, qua reperta facile eſt reliqua ſupplere. Caius quoque Iureconſultus in l. 1. D. de orig. iur. ait principium eſſe potiſſimam rei partem. Horatius dimidię parti principium comparat, inquiens: *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.* Cpa. 8.

CAP. IX.

Datæ definitionis collatio cum variis dictis & ſententiis.

33 CVm alia ſint bona animi, vt ſcientia, & prudentia, alia corporis, vt ſanitas, & pulchritudo, alia externa, vt honores, & opes: præſtantiſſima eſſe animi bona conſtat. quocirca rectè diximus beatitudinem eſſe animi

actionem. cui ſententiæ congruit etiam, quod multi aiunt, beatitudinem eſſe εὐζωΐαν καὶ εὐπραξίαν, id eſt, vitam bene actam,& rectam actionem.

33 ¶ Quæ in beatitudine ab aliis requiruntur,ferè omnia in allata beatitudinis definitione reperiuntur I. Nonnulli aiunt beatitudinem eſſe virtutem: nos autem diximus eſſe actionem ſecundum virtutem:ergo nos quoque, vt illi, virtutem ſpectamus, & ab eâ pendêre beatitudinem cenſemus: ſed in eo diſſentimus, quòd illi virtutis habitum, nos (quod longè præſtat)actionem conſideramus. habitus enim poteſt eſſe otioſus,non item actio.Et ſicut in Olympicis coronâ donantur, non qui formoſiſſimi aut robuſtiſſimi ſunt, ſed qui certant & vincunt: ſic beatitudinis coronam (vt ita dicam) ij conſequuntur, qui rectè agunt. II. Aliqui ſummum bonum ponunt in voluptate: nos autem diximus actionem illam, per quam beatitudo definita eſt, iucundiſſimam eſſe.eſt enim animi actio, & voluptas quoque ad animum refertur. præterea vir bonus rectis actionibus lætatur: alioqui nemo eum iuſtum vel bonum appellaret, niſi libenter & cum voluptate bene ageret.verbi gratiâ,non eſt iuſtus, qui inuitus & coactus depoſitum reddit: ſed qui ſponte, ac libenter. quamuis ergo plebeiis hominibus alia ſint iucunda,alia honeſta,quia quæ ſunt eis iucunda,non ſunt per ſe & ſecundum naturam iucunda, ſed propter deprauatum eorum animum talia eis videntur: tamen viro bono & beato, cuius iudicium rectum,integrum,& incorruptum eſt,ea ſunt iucunda,quæ naturâ ſunt talia, atque eadem ſunt honeſta & iucunda:quemadmodum eadem ſunt per ſe & homini ſano ſalubria & iucunda, licèt ægroto alia ſalubria, alia iucunda videantur. denique etſi Deliacum epigramma pro foribus Apollinis Delphici inſcriptum, quod etiam apud Theognidem extat,hæc tria ſeparet, quaſi iuſtitia ſit res pulcherrima,valetudo res optima,optatæ rei fruitio res iucundiſſima: tamen vna & eadem res,id eſt,beatitudo, ſimul eſt res optima,pulcherrima, & iucundiſſima. III. Quidam collocant beatitudinem in diuitiis:nos verò dicimus has non pertinere ad eſſentiam beatitudinis, quæ in ſola ſecundum virtutem actione conſiſtit, ſed eſſe eius inſtrumenta & organa externa: quia vix fieri poteſt, vt bonis externis deſtitutus, præclaras

præclaras actiones edat. vtputà pauper non poteſt liberalitatem exercere, nec magnificè ſe gerere: ignobilis non poteſt ad publicas dignitates, per quas de ciuibus bene mereatur, adſpirare.

Cap. X.

Quomodo beati fiant.

35 Beatitudo comparatur naturâ, doctrinâ, & exercitatione. natura eſt à Deo: doctrina & exercitatio in noſtra poteſtate ſunt. Ethic. lib. 10. cap. vlt. & Polit. libr. 7. cap. 13. Nullo autem modo beatitudo eſt à fortuna. I. Quia melius eſt, vt ſit ab iis cauſis, quas modò retuli, quàm à fortuna: ſemper autem tam res naturales quàm aliæ eo modo fiunt, quo poſſunt quàm optimè fieri. II. Quia beatitudo eſt res diuina: abſurdum autem eſt, tam præſtantem effectum fortunæ tribuere. III. Quia ex definitione beatitudinis cōſtat eam conſiſtere in actione ſecundum virtutem, non in bonis fortuitis, quæ tantùm adiuuant beatitudinem in inſtrumenta quædam. IV. Quia beatitudo eſt finis politicę: ac politica eò reſpicit, vt viros bonos efficiat, & ad res honeſtas agendas idoneos, non vt fortunatos reddat. Cap. 9.

Cap. XI.

Qui ſint beati.

36 Beatitudo in bruta non cadit: quia nullum animal brutum eſt capax actionis, in qua beatitudinem conſiſtere diximus.

37 ¶ Puer non poteſt eſſe beatus. I. Quia ipſe quoque non eſt actionis ſecundum virtutem particeps. cùm enim puer non ratione, ſed ſenſu viuat: non ſunt in eo veræ virtutes, ſed potius imagines quædam & ſimulachra virtutum. III. Quia vita pueri non poteſt dici perfecta.

38 ¶ Si quando puerum aliquem beatum dicimus: potiùs ad rei futuræ ſpem, quàm ad id, quod eſt præſens, reſpicimus.

39 ¶ Secundum Solonem. Cap. 10.

— Vltima ſemper

Expectanda dies homini dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremáque funera debet.

vt Ouidij verbis vtar 13. Metamorph. Ratio huius ſententiæ eſt:quia homo eſt multis caſibus,periculis,infortuniis obnoxius, quæ non patiuntur eum eſſe beatum: iis autem ſola morte liberatur.vide Herodot.lib.1.Plutarch.in Solo. & Cicer.3.de finib.

40 ¶ Aduerſus hanc ſententiam Ariſtoteles vtitur dilemmate. aut enim expectandum eſt ſupremum vitæ tempus,quia moriens incipit eſſe beatus, aut quia tũnc cognoſcitur an beatam vitam traduxerit: vtrouis autẽ modo accipiatur,ſententia falſa eſt. Prior ſententia eſt falſa: quia docui beatitudinem conſiſtere in actione ſecundum virtutem: mortui verò nihil agere poſſunt:loquimur enim de humana & politica beatitudine,non de ea, qua fideles per Chriſtum in altero ſeculo fruuntur.Altera ſententia eſt falſa:quia ſi viuens eſt beatus, mortuus verò non eſt beatus: profectò abſurdum eſt,cum,dum viuit, id eſt, dum eſt beatus, non poſſe dici beatum:poſt mortem autem, quando beatus eſſe deſiit, poſſe appellari beatum.

41 ¶ Ratio Solonis ab infortuniis ſumpta, inanis eſt. I. Quia infortunia etiam poſt mortem noſtram contingere poſſunt,ſi non in noſtra perſona, ſaltem in poſterorum, neceſſariarum perſonarum,& amicorum perſona;quorum omnium caſus ad nos etiam defunctos pertinere fatendum eſt. nam qui ſecus pronunciet, eum inhumanum ac barbarum meritò omnes appellauerint. II. Quia fortuna non eſt domina,nec cauſa beatitudinis:quandoquidem ſola virtutis actio beatum efficit.

Cap.11. 42 ¶ Parui externi caſus nihil momenti habẽt ad vitam bene vel malè traducendã.multa & magna fortunæ beneficia beatitudinem iuuant per accidens,vt ſuprà expoſui,quatenus fortuna ſuppeditat inſtrumẽta ad rectè agendũ neceſſaria,vel vtilia.magna infortunia, veluti quæ Priamo contigerunt,beatitudinem quidem labefactãt, ſed hominem miſerum non reddunt. vt enim beatus non eſt, niſi qui bene & ſecundum virtutem agit: ſic miſer non eſt, niſi qui malè & vitioſè agit. immò in rebus quoque aduerſis virtutis ſplendor fulget,cùm aliquis res aduerſas forti animo fert.

43 ¶ Bea-

43 ¶ Beatus igitur eſt, qui ſecundum virtutem perfectam agit, & bonis externis eſt ſufficienter inſtructus: idque non ad breue tempus, ſed in vita perfecta. beatiſſimus autem eſt, (quatenus ſcilicèt beatitudo in hominē cadere poteſt: nam de humana, non de diuina beatitudine loquimur) qui ita vixit, & ita viuet vſque ad mortem, quam huiuſmodi vitæ conſentaneam obiturus eſt.

Cap. XII.

An res poſterorum vel amicorum pertineant ad defunctos.

44 QVæ in perſona poſterorum vel amicorum eueniunt, ad defunctos leuiſſimè pertinent, adeo vt eorum ſtatum non mutent, & neque ex beatis miſeros, neque ex miſeris beatos efficiant.

Cap. XIII.

Beatitudinem non eſſe laudabilem, ſed honorabilem.

45 BOnorum tria ſunt genera: honorabile, laudabile, Cap. 12.
& facultas. honorabile eſt, quod eſt per ſe bonum, non per relationem ad alterum, vt Deus. laudabile eſt, cuius bonitas in relatione conſiſtit, vt vir bonus laudatur propter bonas actiones, non per ſe. facultates ab Ariſtotele vocantur τὰ ἀδιάφορα, quibus ſcilicèt bene vel malè vti poſſumus, vt diuitiæ, & nobilitas. Magn. Ethic. lib. 1. cap. 3. & Eth. Eudem. lib. 2. cap. 1.

46 ¶ Fini tribuitur honor, vt beatitudini: habitui laus, vt virtuti: actionibus encomium ſeu commendatio.

47 ¶ Beatitudo igitur non eſt bonum laudabile, multò minùs eſt facultas: ſed eſt bonum honorabile: quia eſt bonum per ſe, & eſt principium & cauſa omnium aliorum bonorum, ad quod alia bona referuntur, quia ſcilicèt eatenus bona ſunt, quatenus ad beatitudinem conferunt.

Cap. XIV.

Animæ, & virtutis diuiſio.

48 CVm dictum ſit beatitudinem eſſe actionem ſecundū virtutē: intelligere oportet virtutē humanā, nō Cap. 13.

bruti animalis, vel alius rei. item virtutem animi, vt iuſtitiam: non corporis, vt ſanitatem.

49 ¶ Animæ facultates ſunt tres: prima vegetatiua, quæ eſt communis etiam plantis: altera ſenſitiua, quæ in omnibus animalibus ineſt: tertia rationalis, quæ eſt hominum propria. Vegetatiua nullo modo eſt rationis capax. Senſitiua eatenus eſt rationis particeps, quatenus ſecundum naturam obtemperat rationi, vt in homine temperante: quamquàm interdum ei repugnat, vt in incontinente: quandoque contra naturam ei dominatur, vt in intemperante. Rationalis verò habet rationem in ſeipſa.

50 ¶ Virtutum igitur aliæ ſunt in facultate ſenſitiua, vt fortitudo, temperantia, liberalitas: aliæ in rationali, vt ſcientia, intelligentia, ſapientia: quarum illas morales, has rationales ſolemus appellare.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XLVI.

ETHICORVM SECVNDVS.

CAP.

De ortu & incremento virtutis, ac vitij.

Cap. I. VIRTVTES rationales per doctrinam & diſciplinam conparantur: ideóque experientiam & temporis iuſtum ſpatium requirunt.

2 ¶ Virtutem moralem non ineſſe *nobis* naturâ, ſed conſuetudine & aſſuefactione acquiri, probatur ſequentibus argumentis. I. Quia moralis dicitur à more, id eſt conſuetudine. II. Quia quod naturale eſt, aſſuefactione non mutatur: vt lapis naturaliter deſcendit: idcirco non

non poteſt aſſuefieri, vt adſcendat. III. Quia actiones ſunt priores habitu: non poſſumus enim eſſe iuſti, niſi priùs multas actiones iuſtas ediderimus. IV. Quia legum latores, ciues ad virtutem aſſuefacientes, eos bonos efficere conantur.

3 ¶ Vt bona educatio & aſſuefactio virum bonum, ita mala improbum facit. vt enim bene vel malè ædificando fiunt boni vel mali ædificatores: ita iuſtè vel iniuſtè agendo, iuſti vel iniuſti efficiuntur. ſimiliter temperantes fiunt, qui temperanter agunt: intemperantes autem euadunt, qui intemperanter ſe gerunt.

4 ¶ De aſſuefactione rectè inſtituenda dantur tria præcepta. I. Præcipitur, vt ſecundum rectam rationem, id eſt, ex præſcripto rationis agatur. II. Vt mediocritatem perſequamur, extrema fugiamus. Verbi gratiâ, vt pecunias neque profundamus, neque occultemus, ſed, vt oportet, impendamus. III. Vt à pueritiâ aſſueſcamus. vt enim ait Horatius, Cap. 2.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.--

5 ¶ Aſſuefactio in dies fit facilior: quia vt iuſtè agendo fiunt iuſti: ita quò quis iuſtior eſt, eò faciliùs iuſtè agit. cùm autem quis habitum virtutis perfectè ſibi comparauit, tunc facillime ſecundum virtutem agit.

6 ¶ Vtrùm habitus virtutis in nobis perfectus ſit, ánnon, ex voluptate & dolore dignoſcitur. nam qui libenter bene agit, & qui ex ipſa recta actione voluptatem percipit, is habitum virtutis iam contraxit. qui verò aliquam moleſtiam bene agendo ſentit, nondum eſt habitum adeptus, & quò maior eſt voluptas, eò perfectior eſt habitus, quò maior eſt dolor & moleſtia, eò magis à perfectione abeſt. Cap. 3.

7 ¶ Virtus igitur in voluptate & dolore verſatur: quod probatur, I. Quia noſtras actiones & animi perturbationes voluptas aut dolor conſequitur. II. Quia remedia vitiorum, id eſt, pœnę & ſupplicia dolorem afferunt. III. Quia propter voluptatem malè agimus: aut propter dolorem abſtinemus à bene agendo. IV. Ab auctoritate eorum, vt Stoicorum, qui virtutes definiunt eſſe perturbationum & motionum vacuitates. quanquàm non omnino bene definiunt, quia ſimpliciter loquuntur non habitâ ratione circumſtantiarum neceſſariarum: non enim quacumque re, nec quocumque

CAP. III.

Quid ſit virtus.

11 VIrtus eſt habitus prӕelectiuus, qui in mediocritate ad nos relata & ſecũdum rectam rationem ac prudentiam definita conſiſtit. Dixi: *virtus*, intellige virtutem moralem, de qua nunc loquimur. Dixi *habitus:* quia cùm virtus moralis ſit in anima ſenſitiua, in hac autem anima ſint affectus, facultates, & habitus: cúmque virtus non ſit affectus, nec facultas: relinquitur, vt ſit habitus. Affectus ſunt, quos voluptas aut dolor conſequitur, vt cupiditas, ira, metus, confidentia, inuidia, dilectio, odium, deſiderium, ӕmulatio, miſericordia. Facultates ſunt, ſecundum quas dicimur apti & idonei, vt perturbationibus ſiue affectibus illis afficiamur: veluti ſecundum quas poſſumus iraſci, miſereri, inuidere, &c. Habitus ſunt, per quos erga illas perturbationes bene aut malè affecti ſumus: veluti ad vehementer, vel remiſſè iraſcendum. Porrò virtutem non eſſe affectum probatur, I. Quia ex virtute ſumus boni, & laudamur: ex affectibus verò nec boni nec mali dicimur, & nec laudem nec vituperationem meremur. verbi gratiâ, non vituperatur metuens, aut diligens: ſed qui nimiùm diligit, aut metuit. II. Quia iraſcimur, vel metuimus, vel aliter afficimur ſine prӕelectione, vt cùm aliquid terribile nobis inopinatò occurrit: virtus autem & vitium non eſt ſine prӕelectione. III. Quia affectibus commouemur: virtutibus autem & vitiis non commouemur, ſed aliquo modo conformamur. Rurſus virtutes & vitia non eſſe facultates, probatur, I. Quia ex facultatibus nec boni nec mali dicimur, & neque laudamur neque vituperamur. II. Quia facultates ſunt à natura, virtutes autem & vitia nõ ſunt à natura, ſed aſſuefactione cõparãtur, vt ſuprà fuit probatum. Quoniã igitur virtus nec eſt affectus, nec facultas: neceſſe eſt, vt ſit habitus. Dixi *prӕelectiuus*. quid ſit prӕelectio, ſequẽti libro explicabitur. Dixi *qui in mediocritate conſiſtit*, cùm quia virtus tenet medium locum inter duo vitia extrema, vt liberalitas profuſioni & auaritiӕ interiecta eſt: tũ etiam quia virtus in actionibus humanis medium perſequitur, & inuenit. vt enim in corpore nimium & parum, putà cibi & potus, ſanitatem corrumpit, mediocritas eam conſeruat: ita etiam

Cap. 5. & 6.

in anima nimium & parum virtuti aduerſantur, mediocritas ei congruit. Dixi *ad nos relata:* quia mediocritas accipitur vel ſecundum rem, vel ſecundum nos. verbi gratiâ, ſi decem libræ farris eſt nimius cibus, duæ autem non ſufficiunt: medium ſecundum rem inter decem & quatuor, ſunt ſex: non propterea tamen ſex libræ ſunt præbendæ: ſed alij plures, vt athletæ: alij pauciores, vt ſedentariam vitam degenti. ſic ergo virtus petit medium ſecundum nos, non ſecundum rem: quorum illud ex proportione geometrica, hoc ſecundum proportionem arithmeticam ſumitur. Dixi *ſecundum rectam rationem & prudentiam:* quia prudentia eſt recta ratio, ſeu intellectiua virtus, regens virtutes morales, vt libro ſexto declarabitur.

12 ¶ Secundum vnamquamque virtutẽ vno modo poſſumus bene agere, multis modis peccare: quia medium vnum eſt, à quo in vtramuis partem ſiue parum ſiue multùm quis recedat, ſine dubio peccat: quamquam magis vel minùs peccat, prout magis vel minùs à medio recedit. vnde falſum eſt Stoicorum dogma, omnia peccata eſſe æqualia: quos ſecutus eſt Cicero parado. 3. deridet Horatius lib. 1. Saty. 3.

13 ¶ Etſi virtus ſecundum ſuam eſſentiam eſt mediocritas, tamen ſecundum perfectionem & dignitatem eſt extremitas, id eſt, ſummum quid & excelſum.

14 ¶ Quædam actiones & quidam affectus non recipiunt mediocritatem, ſed omnino in malis numerantur, & ſunt exceſſus quidam, adeo vt non liceat dicere hęc eſſe mediocriter admittenda, ſed omnino damnanda: vt adulteria, furta, rapinæ.

CAP. IV.

Singulas virtutes in mediocritate conſiſtere, & inter extrema vitia collocari.

Cap. 7. 15 QVod dictum fuit, virtutem in mediocritate conſiſtere, ac duobus contrariis vitiis eſſe interiectam, diſtinctiùs explicandum eſt de ſingulis virtutis ſpeciebus. Notandum igitur eſt, vndecim virtutes morales conſiderari ab Ariſtotele, quæ diſtinguuntur ab obiectis, in quibus verſantur. quare tot enumerantur virtutes, quot ſunt eàrum obiecta:

iecta: vndecim autem ſunt obiecta, in quib. ſingulis ſpectantur tres habitus, nempe duo extremi vitioſi, & virtus media. In primo obiecto, quod eſt metus & confidentia, timidus metuendo modum ſuperat, in confidendo deſerit, quia nimium metuit, & parum confidit: ἄφοβος, id eſt metu vacuus, in metuendo modum deſerit: audax verò tantùm abeſt vt metuat, vt etiam confidat, & in confidẽdo modum ſuperet: fortis verò mediocritatem ſeruat, quia metuit, cùm eſt metuendum, & confidit, cùm eſt confidendum. in ſumma igitur in metu & confidentia ſunt tres habitus: nimirum qui modum ſuperat, qui deficit, & qui mediocritatem ſeruat. Eadem eſt ratio ſequentium obiectorum: quod explicare, operę pretium erit. In ſecundo itaque obiecto, quod eſt voluptas & dolor ex cibo, potu, & rebus Venereis, intemperans modum ſuperat: ſtupidus modum deſerit: temperans mediocritatem ſeruat. In tertio obiecto, quod eſt parua pecunia, prodigus in largiendo modum ſuperat, in accipiendo deſerit: auarus cõtra in dando deficit, in accipiendo modum ſuperat: liberalis vtrobique modum tenet. In quarto obiecto, quod eſt magna pecunia, luxui deditus, modum ſuperat: ſordidus modum deſerit: magnificus mediocritatem ſeruat. In quinto obiecto, quod eſt magnus honor, ſuperbus modum ſuperat: puſillanimus modum deſerit: magnanimus medium amplectitur. In ſexto obiecto, quod eſt paruus honor, ambitioſus modum ſuperat: honoris contemptor modum deſerit: honoris ſtudioſus medium ſequitur. In ſeptimo obiecto, quod eſt ira, mediocritatem ſuperat iracundus, deſerit lẽtus, ſeruat manſuetus & clemens. In octauo obiecto, quod eſt factorum & dictorum veritas in iis cauſis, quæ ad iuſtitiam non pertinent, modum ſuperat arrogans, deſerit diſſimulator, ſeruat verax. In nono obiecto, id eſt in iocis, ſcurra modum ſuperat, ruſticus deſerit, vrbanus medium tenet. In decimo obiecto, id eſt in iucunditate, quæ ex conuictu & mutua conuerſatione præter iocos percipitur, aſſentator modum ſuperat, moroſus deſerit, comis mediocritatem ſeruat. In vndecimo obiecto, quod eſt ius, verſantur iuſtitia & iniuſtitia: de quibus dicemus lib. 5. quia non poſſunt paucis explicari. De virtutibus autem rationis diſſeremus libro 6.

16 ¶ In affectionibus quoque & animi perturbationib.

exſuperantia & defectio vituperantur,mediocritas laudatur: quod duobus exemplis declarabo. I. Conſternatus vituperatur,quia modum ſuperat,& nimio pudore afficitur: impudens è contrario vituperatur,quia modum deſerit: verecundus laudatur, quia mediocritatem tenet. II. Inuidus reprehenditur,quia ex alienis bonis dolorem capit , & in eo modum ſuperat,quia dolet etiam rebus ſecundis,quæ viris dignis eueniunt : maleuolus autem vituperatur , quia omnium malis lætatur:ſed indignabundus,quem Græci *νεμεσητικὸν* appellant , laudatur vt mediocritatem tenens , quia tum demum alienis bonis dolet , cùm hominibus indignis accidunt.

Cap. V.

De oppoſitione medij & extremorum.

Cap.8. 17 CVm in vnoquoque obiecto ſint tres habitus , quia virtus inter duo extrema vitia collocatur, exſuperantiam & defectionem: ſciendum eſt , omnes hos habitus, quocumque modo comparentur , pugnare inter ſe , quia & extremum extremo , & vtraque extrema medio repugnant: vt prodigalitas auaritiæ,& liberalitati, & liberalitas auaritiæ aduerſatur.

18 ¶ Idcirco vitioſi virtute præditos vituperant , quaſi contrario vitio ſint inquinati: vt eum qui fortis eſt , timidus vocat audacem,audax appellat timidum.

19 ¶ Maior repugnantia eſt inter duo extrema , quàm inter extremum & medium. itaque vitium vitio magis eſt contrarium,quàm virtuti:vt auaritia magis eſt contraria profuſioni,quàm liberalitati. hæc ſententia probatur I. Per exemplum.ſic enim paruum à magno magis diſtat,quàm ab ęquali. II. Quia inter extremum & medium reperitur aliqua ſimilitudo , vt inter fortem & audacem , inter prodigum & liberalem:ſed inter extrema diſſimilitudo maxima eſt,vt inter audacem & timidum,inter prodigum & auarum.

20 ¶ Aliquando exſuperantia magis opponitur medio, quàm defectio , vt temperantiæ magis opponitur intemperantia,quàm ſtupiditas illa ab omnibus voluptatibus abhorrens:aliquando è cõtrario magis defectio, quàm exſuperantia,vt fortitudini magis opponitur ignauia,quã audacia. Huius diſ-

ius diſcriminis ratio duplex eſt,quarũ prior ſumitur à reipſa quia illud extremum eſt magis contrarium medio,quod magis ab eo recedit,vt ignauia magis diſtat à fortitudine,quàm audacia.poſterior ratio ſumitur à noſtra naturali propenſione:vt quia magis ſumus propenſi ad voluptatem, quàm in contrariam partem, idcirco temperantiæ magis opponitur intemperantia,quàm ſtupiditas.

Cap. VI.

De difficultate medij aſſequendi,ac definiendi.

22 CVm in medio virtus,bonitas, honeſtas conſiſtat: difficile eſt, id aſſequi quemadmodum difficile eſt attingere ſcopum,& quemadmodum difficile eſt inuenire centrum circuli,quod ſolus geometra inueniet ſecundum doctrinam Euclidis,lib.3.propoſ.1. Cap. 9.

22 ¶ Vt medium aſſequamur,hæc ſunt obſeruanda. I. Et in primis vitetur illud extremum, quod magis opponitur medio. II. Magis cauendum ab iis vitiis,ad quæ ſumus naturâ propenſi.vt propenſus ad iram,maximè laboret,ne iraſcatur:& propenſus ad voluptates, quàm maximè poteſt, ab iis abſtineat. III. Nos ipſos ab eo,ad quod ſumus propenſi, abſtrahamus in contrariam partem. ſic enim ad medium veniemus,eadem ratione,qua ligna diſtorta diriguntur.IV.Cauendum maximè eſt à voluptate

23 ¶ Difficile eſt vel potiùs impoſſibile,definire generaliter medium ſecundum omnes circumſtantias:veluti quando ſit danda pecunia,& quomodo, & quanta, & cui, &c. in quibus exiguum peccatum latet. ſi verò maius ſit, apparet. quouſque autem lateat,& quando appareat,explicari oratione non poteſt,ſed magis ſenſu percipitur.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XLVII.

ETHICORVM TERTIVS.

Cap. I.

De his, quæ ſponte, vel inuiti facimus.

SPONTE & inuitè opponuntur, vt & apud Græcos ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον.

2 ¶ Inuitus agit aut patitur, qui aut vi coactus, aut per ignorantiam agit vel patitur.

3 ¶ Violentum eſt, cuius principium extrà eſt, ita vt nihil adiumenti afferat is qui agit, aut patitur: veluti ſi quis à vento aut robuſtiori homine impellatur.

4 ¶ Quod maioris mali metu, aut boni conſequendi ſpe fit, partim fit ſponte, partim inuitè: veluti cùm merces in mare iaciuntur naufragij vitandi causâ vt nauis ſeruetur: ſimilius tamen eſt ei quod ſponte, quàm ei quod inuitè fit. vt enim nemo ſimpliciter hæc eligeret, ita pro tempore & ratione circumſtantiarum quiuis eliget, qui non ſit planè ſtultus. verbi gratiâ, nemo vellet res ſuas proiicere: quilibet tamen mauult eas proiicere, quàm ſubmergi.

5 ¶ Hæc modò laudem merentur, modò vituperationem, modò veniam. Laudantur, qui magnarum & honeſtarum rerum causâ turpitudinem aliquam aut moleſtiam ſubeunt: vt ij qui orthodoxæ religionis causâ ſupplicia perferunt. è contrario vituperantur, qui res turpiſſimas nullius honeſtæ rei aut mediocris causâ ſuſtinent, vt latrones. venia datur iis, qui non facienda faciunt, aut non patienda patiuntur, eiuſmodi

malis

malis coacti, quæ humanam naturam ſuperant, vt à nemine ſuſtineri poſſint. quædam tamen nullam veniam merentur: quia ſunt ita fœda, vt ſatius ſit mortem cum grauiſſimis cruciatibus perpeti, quàm ea admittere: vt parricidium, patriæ proditio, Chriſti abnegatio. Cùm autem quæritur, quid cui anteponendum ſit, & quid pro quo perferendum, interdum difficile eſt rectè iudicare: longè autem difficilius eſt id exequi, quod iudicio comprobatum ſit. ferè enim quod expectatur, moleſtum: id verò, ad quod quis impellitur, turpe eſt.

6 ¶ Iucunda non eſſe violenta, & quod quis voluptatis causâ agit, cum non inuitum, nec vi coactum agere, probatur, I. Quia violenta ſunt moleſta, non iucunda. II. Quia ipſe agens eſt talis, vt eiuſmodi rebus facilè capiatur: violentum verò ita demum dicitur, cùm is, cui vis affertur, nihil adiuuat.

7 ¶ Eum, qui per inſcitiam egit, aut facti pœnitet, aut non pœnitet. ſi eum re cognitâ pœniteat, inuitus dicitur. at ſi non pœniteat, nec ſponte nec inuitus egit. quoniam igitur medium locum tenet: vt proprium nomẽ habeat, non ſponte egiſſe dicatur.

8 ¶ Eorum qui ignorantes agunt, alij per ignorantiam agunt, vt Aegeus Theſeo venenum præbebat, ignorans eum eſſe ſuum filium: alij per alias cauſas, vt per iram, vel ebrietatem.

9 ¶ Ignorantia eius quod facere oportet, vel non oportet, eſt ignorantia vniuerſalis, quam Iuriſconſulti vocant ignorantiam iuris. atque hæc neminem excuſat, neque facit, vt aliquis dicatur inuitus egiſſe, ſed vitio datur. alioqui nullus improbus eſſet reprehendendus: quia omnes improbi per eiuſmodi ignorantiam peccant.

10 ¶ Ignorantia verò rerum particularium, quam Iuriſconſulti vocant ignorantiam facti, id eſt, ignorantia circumſtantiarum, veniam meretur, quippe quę facit, vt aliquis dicatur inuitus agere.

11 ¶ Circumſtantiæ aliæ ab aliis enumerantur. Ariſtoteles ſex facit. I. Eſt quis agat. II. Quid agat. III. In quo. IV. Quo inſtrumento. V. Cuius rei gratiâ. VI. Quomodo. Circumſtantia tertia eſt tripertita: nempe in quo ſubiecto, quo loco, & quo tempore. Vulgò omittunt ſubiectum,

& locum:& ſex circumſtantiás faciunt, vulgato illo verſiculo comprehenſas:

Quis, quid, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Claudius Saturninus in l. aut facta. 16. D. de pœn. ſeptem circumſtantias aliter enumerat: nempe cauſam agendi, perſonam agentem, aut patientem, locum, tempus, qualitatem, quantitatem, euentum.

12 ¶ Neque omnes circumſtantias, neque ſeipſum quis ignorare poteſt, niſi ſit planè ſtultus. ſed fieri poteſt, vt aliquis ignoret, I. Quid agat. hac ratione Aeſchylus ſe defendit, cùm arcana Cereris ſacra in tragœdia quadam euulgaſſet. nam quia his ſacris initiatus non erat, arcana eſſe ignorabat: proinde ſe arcana vulgare neſciebat. vide Clement. Alex. ſtromat. 2. & Ælian. de var. hiſtor. lib. 5. cap. 19. II. Circa quod ſubiectum agat, vt Aegeus præbens venenum Theſeo, neſciebat ſe filio prębere. vide Plutarch. in Theſeo. & Merope Creſphontem filium, quem pro hoſte habebat, ſecuri percutere voluit in Creſphonte Euripidis fabula, quæ non extat, ſed eius Ariſtoteles hîc, & de arte poëtica cap. 14. & Plutarchus de eſu carnium meminerunt. III. Quo inſtrumento agat: veluti ſi putet lanceam eſſe obtuſam, quæ acutum mucronem habeat: aut lapidem pro pumice accipiat. IV. Cuius gratiâ: vt hoſtis Iaſonem Phereum ſiue Phalereum illato vulnere ſanauit, quem interficere volebat. Cicerone 3. de natur. Deor. Plinio lib. 7. cap. 50. & Valer. Max. libr. 1. cap. 9. auctoribus. V. Quomodo agat: veluti ſi pugil ſummis manibus dimicans, eum percutiat, quem tantummodò tangere volebat.

13 ¶ Cùm ſingularum circumſtantiarum ignorantia efficiat, vt aliquis dicatur non ſponte agere: tùm maximè hoc euenit propter ignorationem ſubiecti, in quo agitur, & ipſius finis, cuius gratiâ agitur.

14 ¶ Sponte id fit, cuius principium eſt in eo, qui ſciens agit.

15 ¶ Qui per iram vel cupiditatem agit, non inuitus ſed ſponte agit. quod probatur, I. Quia niſi hoc fateamur, conſequetur hæc abſurditas, bruta animalia, & pueros, qui non aliter agunt, ſemper inuitè agere. II. Quia cum interdum oporteat iraſci, & quædam ſint cupienda: tunc nemo dicit inuitè

uitè agi. quod autem ad hoc, vt quis ſponte agat, par eſt ratio, ſiue iuſtè ſiue iniuſtè iraſcatur: nec intereſt, vtrùm expetenda, an non expetenda cupiat. III. Quia ſic agens, voluptatem ex illa actione percipit: qui verò inuitus agit, moleſtiâ afficitur. IV. Quia per prauam rationem peccans dicitur ſponte agere: ergo ſimiliter ſponte agit, qui per iram aut per cupiditatem peccat. V. Quia principium harum actionum eſt internum: eius autem, quòd inuitè fit, principium eſſe externum, ſuprà docui.

CAP. II.

Quid non ſit proæreſis, id eſt, præelectio.

16 PRæelectio, ſecundum quam conſilium capere dicimur (Græci vocant προαίρεσιν) I. Non eſt idem quod ſpontaneum, ſed eſt eius ſpecies. II. Non eſt cupiditas. III. Non eſt ira. IV. Non eſt voluntas. V. Non eſt opinio. Cap. 2.

17 ¶ Non eſſe idem quod ſpontaneū, probatur, I. Quia pueri & beſtiæ dicuntur ſponte facere, non tamen ex præelectione. II. Quia quod repente fit, id non fit ex præelectione, & certo conſilio, fit tamen ſponte.

18 ¶ Non eſſe cupiditatem, probatur, I. Quia bruta cupiunt, conſilium verò non capiunt. II. Quia vir continens agit ex præelectione contra cupiditatem: incontinens è contrario ſecundum cupiditatem agit, quod non præeligit. III. Quia præelectioni contraria eſt cupiditas, vt in homine continente: cupiditati verò cupiditas non eſt contraria. IV. Quia iucundi eſt cupiditas, non præelectio. non enim de iucundo conſilium capitur, ſed de vtili, vel de honeſto.

19 ¶ Non eſſe iram probatur, I. Quia pueri & bruta iraſcuntur, quamuis conſilio careant. II. Quia ira eſt conſilio contraria. nam

Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

20 ¶ Non eſſe voluntatem, probatur, I. Quia impoſſibilia quædam volumus, vt immortalitatem, de quib. nemo ſanus conſilium capiet. II. Quia volumus quędá, quę à nobis effici non poſſunt, vt regem Gallię triũphare de hoſtibus: ſed de his rebus conſiliũ nõ capimus. III. Quia volũtas eſt ipſius

finis, vt ſanitatis, aut victoriæ: conſilium autem ſumitur de mediis,per quæ optatum finem aſſecuturi ſumus.

21 ¶ Non eſſe opinionem,probatur, I. Quia opinamur etiam ea,quæ non ſunt in noſtra poteſtate,vt cœlum eſſe rotundum:de his autem conſilium nemo ſuſcipit. II. Quia opinio diuiditur in veram & falſam: prælectio verò in bonam & malam. III. Quia boni vel mali vocamur, non propter aliquam opinionem, ſed ratione bonæ vel malæ prælectionis. IV. Quia præligimus aliquid vitare, vel conſequi:opinamur autem potiùs quid ſit,aut cui vel quomodo ſit vtile,quàm id conſequi,vel vitare. V. Quia prælectio magis laudatur âb obiecto, quia ſcilicèt præligitur id quod agẽdum eſt,quàm à modo,quia ſcilicèt rectè ſit deliberatum: opinio verò ex eo laudatur,quòd vera eſt. VI. Præligimus, quæ maximè ſcimus eſſe bona: opinamur autem, quæ non ſunt nobis valde nota. VII. Quia incontinentes id quod agendum opinantur,agere non præligunt.

Cap. III.

Quid ſit proæreſis,& de conſultatione.

Cap.3. 22 QVia præligimus id,de quo conſultauimus ſeu deliberauimus: idcirco videndum, de quibus rebus conſultetur,& quid ſit conſultatio.

23 ¶ In conſultationem cadunt ea,de quibus vir mentis compos deliberauerit.nam ſtultus fortaſſe de re,quę in conſultationem venire non poteſt,conſilium capiet.

24 ¶ Non deliberamus I. De rebus æternis,quæ ſemper eodem modo ſe habent:veluti de mũdo,aut de eo quòd diameter & latus non habent communem menſuram. II. De iis,quæ cùm ſint in perpetuo motu, ſemper eodem modo fiunt,vt de Solis conuerſionibus. III. De iis, quæ ſecundum naturam aliàs aliter eueniunt, vt de ſerenitate, & de pluuia. IV. De rebus fortuitis, & quæ rarò eueniunt, vt de fortuita inuentione theſauri. V. De iis, quæ ad nos nõ ſpectant,vt de adminiſtratione reip. Turcicæ. VI. De iis, quæ ſub certam ſcientiam cadunt, veluti quomodo ſint literarum characteres pingendi. VII. De fine,veluti an medicus ſanare debeat. VIII. De rebus ſingularibus,quid,aut quales ſint,

ſint,veluti an hic ſit panis,& an ſit bene coctus,nam hęc ſenſu percſpiuntur.

25 ¶ Deliberamus de his, quæ ſub actionem noſtram cadunt alicuius finis gratiâ: veluti de mediis, per quæ poſſimus bene valere.

26 ¶ Conſultatio ſeu deliberatio eſt ſpecies quęſtionis. quicumque enim cōſultat, quærit:ſed non quicumque quęrit,etiam conſultat.veluti ſi quis quærat an mundus ſit æternus,non conſultat. At ſi quis quærat, vtrùm debeat ſumere pharmacum,an ſecare venam,ſine dubio conſultat.

27 ¶ Si plura ſint media ad eundem finem tendentia inter ſe diuerſa ac ſeiuncta, quærimus, quo potiſſimùm vtamur,id eſt, per quod optatū finem faciliùs aſſequi poſſimus. Sin autem vnum ſit medium, quærimus quâ ratione per illud finem conſequamur. Quòd ſi plura ſint media ſubordinata, quærendo reſoluimus, & à fine ad principia progredimur:quod enim poſtremum eſt in deliberatione, id eſt primum in actione.Verbi gratiâ,quo ſuperabimus hoſtes?exercitu. quâ ratione colligemus exercitum? exponentes pecuniam.hanc ſi inuenire poſſimus, contrahemus exercitum ad debellandos & profligandos hoſtes. ſin minùs, nihil agemus.

28 ¶ Conſultationem ſeu deliberationem prælectio ſequitur. quod enim in deliberatione ceteris præponimus, & præ ceteris eligimus,id prælectum dicitur.Exempli gratiâ, quomodo recuperabo priſtinam ſanitatem? pharmaco, an ſectione venæ?ſi pharmacum eligam,hoc dicitur prælectum, id eſt ſectioni venæ antelatum, quaſi melius remedium,& ad recuperandam ſanitatem accommodatius.

29 ¶ Prælectio igitur nihil aliud eſt, quàm earum rerum, quæ in noſtrâ poteſtate ſunt,appetitio, ex conſultatione proueniens.

Cap. IV.

De voluntate,& eo quod ſub voluntatem cadit.

30 VT prælectio eſt mediorum,ita voluntas eſt ipſius finis,vt antea dixi. Cap.4.

31 ¶ Quæritur, quid ſit id, quod ſub voluntatem cadit,

id eſt, vtrùm ſit verum bonum, an id quod videtur bonum. Si dicatur eſſe tantùm verum bonum: id non dicetur ſub voluntatem cadere, quod improbus vult. ſi verò tãtùm id quod videtur bonum: certè nihil erit, quod naturâ ſub voluntatem cadat, ita vt ſecundum naturam id velle debeamus. Itaque harum abſurditatum vitandarum causâ fatendum eſt, vtrumque aliquo modo ſub voluntatem cadere: ſed alterum abſolutè & ſecundum naturam, id eſt, verum bonum: alterum relatione ad ſingulos facta, id eſt, quod ſingulis videtur bonum.

32 ¶ Sed viro bono id ſolum videtur bonum, quod re vera eſt bonum: ídque & abſolutè ac ſimpliciter ſub voluntatem cadit, & ſub ipſius viri boni voluntatem. in omnibus enim vir, qui virtute præditus eſt, verè iudicat: adeo vt quodammodo videatur eſſe rerum omnium norma. id enim eſt bonum, honeſtum, iuſtum, quod viro bono tale eſſe videtur. improbus autem errat, à voluptate deceptus, quam pro bono habet, cùm non ſit in bonis numeranda. Sic eadem ſunt abſolutè ſalubria, & homini ſano ſalubria: alia verò aliis ægrotis ſalubria ſunt.

Cap. V.

Cap. 5. *Virtutem, & vitium, humanáſque omnes actiones eſſe ſpontaneas.*

33 VIrtutis & vitij habitum eſſe ſpõtaneum, ex eo probatur, quòd actiones ſunt voluntariæ ſeu ſpõtaneæ. Conſequentia ab actionibus ad habitus patet: quoniã habitus per actiones contrahuntur, vt docui lib. 2. axio. 3. Antecedens probatur, I. Quia omnes fatentur bonas actiones eſſe voluntarias. idem igitur de prauis actionibus concedẽdum: quia omnium eadem eſt ratio. II. Quia noſmetipſi ſumus harum actionum cauſæ. III. Quia niſi tam bonæ quàm malæ actiones eſſent voluntariæ, ob illas nemo præmio afficeretur, ob has nemo puniretur: & inanis eſſet omnis exhortatio ad bene agendum, ac dehortatio à malè agendo: nec deberet quiſpiam ob rectas actiones laudari, nec ob prauas reprehendi.

34 ¶ Obiicitur, I. Quòd legiſlatores puniunt etiã commiſſa ab ignorantibus: vt Pittacus duplicem pœnam irrogabat delinquentibus per ebrietatem. Polit. lib. 2. c. vlt. partic.

8. &

8. & Rethor lib.2.cap.25. partic 8. Reſpondeo, tum demum eos puniri, qui ignorantes peccant, cùm ipſi ſibi ſunt ignorantiæ cauſa, vt quia ſpôte potarũt, & inebriati ſunt: aut per ſuam negligentiam ignorant, cùm poſſint adhibitâ diligentiâ non ignorare. quòd ſi tales ſint, vt diligentiam adhibere nequeant: ipſi ſua ſponte tales facti ſunt, negligenter & diſſolutè viuentes. II. Obiicitur, quòd aliquis ignorare poteſt, per actiones contrahi habitus. Reſpondeo, hanc eſſe ſupinam ignorantiam, quæ omni excuſatione caret. valde enim abſurdum eſt, eum, qui iniuſtè agit, nolle fieri iniuſtum: aut eum, qui intempetanter agit, nolle fieri intemperantem. III. Opponitur, quod non poteſt aliquis deſinere eſſe iniuſtus & improbus, etiamſi maximè velit. Reſpondeo, habitus ab initio eſſe voluntarios, poſtea nõ item. quod explicari poteſt exemplo morborum. ſi quis enim viuens incontinenter, & præcepta medicorum negligens, in morbum incidat: is ſpôte quidem ſua ægrotat, non propterea tamen pro libitu ſanari poteſt. IV. Opponitur: quoniam id quiſque expetit, quod ſibi videtur bonum. quid autem ſibi bonũ videatur, nõ eſt in eius poteſtate: ſed ab ortu datum eſt à natura. prout enim quiſque eſt naturaliter affectus, ita hoc vel illud bonum ei videtur. Reſpondeo, vt aliquid bonum vel malum videatur, partim eſſe a natura, proinde non eſſe in noſtra poteſtate, partim eſſe in nobis: quia vt naturâ ſumus ad hoc vel illud propenſi, ita etiam exercitatione & vſu, quo habitus acquiritur, idem accidit. finis igitur non eſt ſpontaneus, quatenus eſt à natura, ſed quatenus eſt ab exercitatione & vſu, ſiue ſit bonus, ſiue malus, actiones autem, quæ ad illum finem tendunt, omnino ſunt voluntariæ ſiue in bonum, ſiue in malum finem dirigantur.

35 ¶ Ex dictis colligitur, I. Vulgatum illud dictum, *Nemo eſt ſponte miſer, aut inuitus beatus*, partim eſſe verum, partim falſum. nemo enim inuitus eſt beatus: ſed nihilominùs miſeri ſponte fiunt. II. Aliter ſpõtaneas eſſe actiones, aliter habitus. nam actiones ſemper ſunt ſpontaneæ: habitus autem tantùm ab initio ſunt ſpontanei, vt ſuprà docui.

36 ¶ His expoſitis, deinceps ſingulas virtutes, & oppoſita vitia explicare oportet. Cap. 6.

Cap. VI.

De fortitudine,& vitiis oppoſitis.

37 Obiectum,in quo fortitudo verſatur, eſt fiducia & metus in periculis bellicis. nam fortis eſt, qui nec morte honeſta,nec iis impendentibus, quæ mortem afferunt,perterretur. cuiuſmodi maximè ſunt ea,quæ in bello accidunt.

38 ¶ Metus ab Ariſtotele definitur expectatio mali: nam omnia mala metuuntur. ab Vlpiano autem in l. 1. D. quod met. cau.definitur inſtantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio.

39 ¶ In mari vir fortis aliter metu vacuus eſt, quàm nautæ.nam hi confidunt, quia ob nauticæ rei peritiam ſperant ſe poſſe periculum vitare: hic verò fortem animum præſtat, quamuis non ſperet mortem effugere, & ab ea abhorreat, quia nec pugnare viriliter cum maris tempeſtate poteſt, nec ita è vita excedens, aliquid præclarum præſtat,vt cùm pro patria in bello occumbit. Itaque in magno naufragij periculo.

Extemplo Aeneæ ſoluuntur frigore membra:
Ingemit,& duplices tendens ad ſydera palmas,
Talia voce refert,O térque quatérque beati.
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere. ô Danaûm fortiſſime gentis
Tydide,méne Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe,tuáque animam hanc effundere dextra?

40 ¶ Vt in mari,ita etiam in morbis vir fortis ſe gerit. hinc Celtiberorum & Cimbrorum fortiſſima gens in bello quidem exultabat, ſed in morbo lamentabatur, vt teſtes ſunt Cicer.2. Tuſcul. Plutarchus in Sertorio, & Valer. Max. lib.2.cap.6.

41 ¶ Alia magis,alia minùs ſunt metuenda:& alij magis, alij minùs ad metuendum ſunt propenſi. quapropter aliud alij metuendum videtur: quædam autem, quia humanam conſtantiam ſuperant,omnibus ſanâ mente præditis timorem incutiunt.ſimilis diſtinctio obtinet in iis, quæ fiduciam afferunt.

Cap.7. 42 ¶ Vir fortis metuit,& confidit,quatenus metuendum, vel

vel confidendum eſt:qui verò metus vacuitate modum ſuperat,nomine caret. tales dicuntur fuiſſe Galli,qui nec terræ motum, nec procellas timebant. ſed qui nimiùm confidit,audax eſt.qui nimiùm metuit,timidus appellatur.

43 ¶ Audaces initiò confidunt, & pericula facilè ſubeunt:ſed in ipſis periculis ſunt tardiores, & à ſententia deſiſtunt. Contrà viri fortes ab initio ſedati ſunt & quieti,in ipſis autem factis acres & celeres.

44 ¶ Qui mortem ſibi conſciſcit, vt paupertatem vel aliquam animi moleſtiam fugiat,non eſt vir fortis,ſed ignauus & timidus: quippe qui moleſtias & ærumnas perferre nequit, vt Cato, Lucretia, Calanus Indus, & quicumque alij mortem vitæ ſibi iniucundæ prætulerunt. Rectè enim Martialis,

Rebus in aduerſis facile eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit,qui miſer eſſe poteſt.

Et Hercules apud Euripidem.

Ἐσκεψάμην δ᾽, καίπερ ἐν κακοῖς ὤν,
Μὴ δειλίαν ὄφλω τιν᾽, ἐκλιπὼν φάος.
Ταῖς συμφοραῖς γὰρ ὅστις οὐχ ὑφίσταται,
Οὐδ᾽ ἀνδρὸς ἂν δύναιθ᾽ ὑποστῆναι βέλος. id eſt,
Conſiderani autem,quamuis in malis poſitus,
Ne ignauia cuiuſdam arguar relicta luce.
Calamitates enim quiſquis non perfert,
Ne viri quidem telum poterit ſuſtinere.

45 ¶ Fortitudo accipitur propriè,& impropriè. Fortis propriè dicitur, qui honeſti cauſâ pericula ſubit. Fortitudinis impropriè acceptæ quinque ſunt ſpecies. I. Fortes dicuntur,qui vel vt conſequantur honores à legibus propoſitos, vel vt vitent pœnas legitimas, vel iuſſu magiſtratus fortiter ſe gerunt. II. Qui propter peritiam militarem alacriter pugnant. III. Qui propter iram pericula adeunt. IV. Qui propter ſpem & fiduciam,eò quòd multos ſæpe vicerunt, in periculis confidunt, & alacres ſunt. V. Qui propter ignorantiam periculi ad audendum prouehuntur: vt Argiuis contigit, qui pugnam cum Lacedæmoniis non detrectarunt, quamdiu eos pro Sicioniis habuerunt. Xenophon lib. 4. Ἑλληνικῶν. Cap. 8.

46 ¶ Fortitudo etſi in fiducia verſatur, tamen in rebus formidoloſis magis cernitur.

47 ¶ Quocirca fortitudo moleſtiâ & dolore non vacat, ac meritò laudatur: difficilius eſt enim res moleſtas toleranter pati, quàm à iucundis abſtinere.

48 ¶ Finis tamen fortitudinis eſt iucundus, vt pugilibus & athletis coronæ & honores iucunditatem afferunt, licèt pugna & ictus moleſtiâ eos afficiant.

49 ¶ Quò quis virtutibus inſtructior eſt, & quo beatior, eò moleſtiùs (ſecundum Ariſtotelem) mortem fert: quia cùm ſit digniſſimus vitâ, ſciens prudens maximis bonis per mortem ſpoliatur: quod quidem permoleſtum eſt. nihilominùs tamen ſe virum fortem præſtat, vt eam honeſtatem quæ eſt in bello, conſequatur: hanc enim vitæ & aliis bonis, quæ moriens amittit, ratione fortitudinis præfert. Contra hanc ſententiam M. Tullius in Catone maiore ſic ſcribit: *Quid quòd ſapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo? nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat & longiùs, videre ſe ad meliora proficiſci: ille autem cuius obtuſa ſit acies, non videre?* Sanè nos ſcimus, fideles, qui in Chriſto moriuntur, caduca hæc & terreſtria bona cum æternis & cœleſtibus bonis commutare: adeo vt quò maiorem fidem habent, eò iucundior & felicior eis mors obueniat: in hac enim vita perpetuam pugnam patiuntur, in altera à Chriſto vt victores coronâ donantur, & cœleſti beatitudine fruuntur.

50 ¶ Magnum eſt inter virum fortem & bonum militem diſcrimen: hic enim facilè pericula ſubit, & ob exiguum lucrum à duce acceptum, vitam cum morte commutat. quod viro forti minimè conuenit.

CAP. VII.

De temperantia, & intemperantia.

Cap. 10. 51 CVm facultatum animæ irrationalium alia ſit iraſcibilis, alia concupiſcibilis: in iraſcibili eſt fortitudo, de quâ proximè dictum fuit: in concupiſcibili autem eſt temperantia, cui opponitur intemperantia, de quibus nunc eſt dicendum.

52 ¶ Obiectum temperantiæ & intemperantiæ eſt voluptas corporea, quæ tactu percipitur ex cibo, potu, & rebus

Venereis

Venereis. Dixi *voluptas:* quia licèt temperantia & intemperantia verſentur etiam in dolore, qui voluptati aduerſatur, magis tamen ſpectantur in voluptatibus, quam in doloribus. Dixi *corporea:* vt excluderem animi voluptates, veluti quæ ex honoribus aut diſciplinis percipiuntur: quoniam ad has voluptates temperantia & intemperantia non pertinent. Dixi, *quæ tactu percipiuntur:* vt excluderem voluptates, quæ aſpectu percipiuntur, vt ex coloribus & picturis, vel auditu, vt ex comediarum & fabellarum recitatione. quid de odoratu dicendum? Cùm duo ſint odorum genera: vnum, quod ſaporibus reſpondet, ac per accidens delectat, vt odor cibi: Alterum ab eduliis ſeiunctum, quod per ſe delectat, vt florum, & ſuffitus, de ſenſu & ſenſi. axiom. 50. intemperans non his, ſed illis delectatur, ídque per accidens propter ſpem alimenti, non aliter ac lupus lætatur viſa oue, aut eius voce auditâ. nam lupus aſpectu aut voce ouis non lætatur, ſed ſpe cibi, quia ſe eam voraturum ſperat. Quid de guſtatu? hôc parum vtitur intemperans: quia non delectatur ſaporibus, ſed ipſa perceptione alimenti, quam tactus efficit. quapropter magnus ille opſoniorum gurges atque helluo, Philoxenus Erixidis filius, collum longius gruis collo optabat: quia tactu opſonii maximam percipiebat voluptatem. Ethic. Eud. libr. 5. cap. 2. Plutarch. in libr. an rectè dictum ſit, λάθε βιώσας. Athen. lib. 6.

53 ¶ Ex dictis manifeſta eſt intemperantiæ turpitudo: quoniam iis rebus delectari, quibus intemperantes capiuntur, belluarum potiùs eſt, quàm hominum: quandoquidem tactus eſt omnibus animalibus communis.

54 ¶ Cupiditatum aliæ ſunt omnium hominum communes, aliæ ſunt ſingulorum propriæ. Communes ſunt, vt cibi, & potus. Propriæ, vt huius vel illius alimenti, quatenus alij alio cibo magis delectantur. In illis pauci peccant, & quidem vno modo peccant, nimium ſcilicet affectantes, vltra modum naturæ conuenientem, vt voraces, qui à Græcis γαςρίμαργοι appellantur. In his verò, quæ propriæ ſunt, plerique peccant, nec vno modo peccant: ſed quia vel plus appetunt quàm oporteat, vel alio modo quàm oporteat. Cap. 11.

55 ¶ Intemperans igitur in voluptatibus modum ſuperat: vel quia iis rebus delectatur, quibus delectari non oportet: vel quia non ita delectatur, vt oportet, in doloribus autem verſari dicitur, quatenus voluptate priuatus dolet.

56 ¶ Qui in expetendis voluptatibus modum deſerunt, pauci admodum reperiuntur: idcóque nomine *carent*: ſed ab Ariſtotele *ἀναίσθητοι*, id eſt ſenſus expertes, *ſeu ſtupidi* nominantur.

57 ¶ Temperans voluptates modicè, & vt virum bonum decet, concupiſcit. Quocirca I. Non delectatur, niſi iis, quibus delectari oportet, id eſt, quæ ab honeſto non abhorrent, nec valetudini nocent, nec rem familiarem exhauriunt, memor illius dicti, *Nocet empta dolore voluptas*. II. Liciras voluptates mediocriter expetit: nec earum abſentiâ diſcruciatur: ſed earum præſentia modicè, non vltra quam decet, lætatur. Denique (vt rem vno verbo complectar) rectæ rationi paret, atque ex eius præſcripto voluptatibus fruitur.

Cap. 12. 58 ¶ Intemperantia eſt quàm ignauia probroſior & turpior, quia magis ſponte ſuſcipitur, cùm facilius ſit in rebus iucundis mediocritati ſeruandæ aſſueſieri, quàm in rebus formidoloſis dolori, qui hominem de ſtatu ſuo dimouet, reſiſtere.

59 ¶ Quamquàm res ſingulares, quæ metum homini ignauo ac timido inferunt, dolorem afferunt: idcóque efficiunt, vt quis arma abiiciat, & turpiter fugiat: tamen ipſe ignauiæ habitus dolore vacat. quare magis voluntarius eſt habitus ignauiæ, quàm ſingulæ actiones. contrà in intemperantia res habet: nam ſingulæ actiones, iucundæ ſunt intemperanti, atque ab eo expetuntur: intemperans autem nemo fieri cupit.

60 ¶ Intemperantiæ nomen per ſimilitudinem ad peccata puerilia transferimus. nam pueri cupiditate trahuntur, vt intemperantes. Itaque tres ſunt inter intemperantes & pueros ſimilitudines. I. Vtrique caſtigatione & coërcitione egent. II. Vtrorumquē cupiditas, niſi cohibeatur, in deterius augetur. III. Vt puerilis ætas à pędagogo, ita cupiditas à ratione regi, & ex eius pręſcripto cōtineri debet.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER XLVIII.

ETHICORVM QVARTVS.

Cap I.

De liberalitate, profuſione, & auaritia.

IN pecuniis dandis & accipiendis liberalis modum ſeruat: prodigus in dando modum ſuperat, in accipiendo deſerit: auarus è contrario in dando modum deſerit, in accipiendo ſuperat.

2 ¶ Pecuniæ appellatione complectimur non ſolùm pecuniam numeratam, id eſt nummos, ſed etiam omnes alias res, quę nummis æſtimari poſſunt. quo modo pecuniæ vocabulum non ſolum accipitur ab Ariſtotele, ſed etiam à Iuriſconſultis. D. de verb. ſignif. l. pecuniæ verbum. 178. in pr. & l. pecuniæ nomine. 222. quoniam omnes hæ res in pecuniam conuerti facilè poſſunt, vt inquit Imperator in l. 2. C. de conſtit. pecun.

3 ¶ Liberalis optimè pecuniâ & diuitiis vtitur. hic autem vſus magis in danda pecunia conſiſtit, quàm in accipienda, vel cuſtodienda. I. Quia virtuti magis conuenit benè mereri, quàm beneficium accipere. II. Quia gratia non habetur ei qui accipit, ſed ei qui largitur. III. Quia laudabilius, difficilius, & (vt ſcriptum eſt in ſacris literis, Act. 20. verſ. 35.) beatius eſt dare, quàm accipere. IV. Quia vt largitio ad liberalitatem pertinet, ita abſtentio ab aliena pecunia, ad iuſtitiam refertur. Denique quia liberalitas maximè amabilem hominem reddit: quod donationibus & largitionibus comparatur.

4 ¶ Liberalis in dando,tria obſeruat. I. Non dat gloriæ cauſâ, nec remunerationis accipiendæ ſpe, ſed honeſti gratiâ. II. Iis tantùm largitur,quibus largiri oportet,& quantum oportet, & quando, & quomodo oportet. IV. Dat libenter,non grauatè.

5 ¶ In accipiendo quoque tria obſeruat. I. Non accipit, vnde accipiendum non eſt. II. Non eſt ad petendum procliuis. III. Accipit, vnde eſt accipiendum, veluti ex ſuis reditibus, & à ſuis debitoribus, non quia accipere ſit honeſtum,ſed quia eſt neceſſarium, vt pecunia ad largiendum, & ad neceſſarias impenſas ſuſtinendas ſuppetat.

6 ¶ Rem ſuam non negligit, ſed cuſtodit ob eandem cauſam,vt ſcilicèt habeat,quod largiatur,cùm opus erit.

7 ¶ Magis propenſus eſt ad profuſionem, quàm ad auaritiam.

8 ¶ Pro ratione facultatum impendit, & inde liberalis indicatur:proinde fieri poteſt,vt qui minus largitur, ſit liberalior, videlicèt ſi ex tenuioribus facultatibus donet. quod Chriſti quoque iudicio confirmatur Marci 12. & Lucæ 21.

9 ¶ Liberaliores ſunt,qui facultates ab aliis accipiunt, puta iure hereditario, quàm qui eas ſua induſtria & ſuo labore,quæſiuerunt, vel quia illi egeſtatis incommodum non ſunt experti: vel quia hi magis diuitias diligunt, quaſi ſuum opus,quemadmodum parentibus ſui liberi,& poëtis ſua carmina magis placent: vel quia difficile eſt,vt liberalis fiat diues, cùm ei pecunia magnæ curæ non ſit, quippe qui ad largiendum,quàm ad accipiendum eſt paratior.

10 ¶ Vnde vulgò fortuna reprehendi ſolet,quòd cæca ſit,atque eos maximè ditet,qui minimè omnium propter auaritiam diuitiis digni ſunt. quamquàm hoc rationi conſentaneum eſt: quandoquidem pecuniis abundare non poteſt,qui in iis conquirendis diligentiam non adhibet,& largiri mauult,quàm pecuniam accipere,quod etiam Lucianus in Timone ſcriptum reliquit.

11 ¶ Quod dixi, liberalem eſſe magis in id propenſum, vt modum in dando ſuperet,quàm vt deſerat,non eſt ita accipiendum,quaſi re ipſa modum ſuperet: alioquin eſſet prodigus,non liberalis.

12 ¶ Cùm

12 ¶ Cùm liberalis rectè impendit, lætatur: cùm animaduertit ſe aliter feciſſe, modicè dolet: & magis dolet, ſi, cùm res poſtularet, ſumptum non fecit, quam ſi re non exigente impendit: facilè enim pecunias ſuas communicat, & facile in his iniuriam patitur, omnino autem diſſentit a Simonide, qui interrogatus, cur in extrema ſenecta tam eſſet pecuniæ tenax, reſpondit, Quia malo moriēs pecuniam inimicis meis relinquere, quàm viuens amicis egere.

13 ¶ Cùm prodigus peccet vel in largiendo, vel in accipiendo: non facilè reperitur, qui vtroque modo peccet: quia non eſt facile, vt quis à nemine accipiat, & omnibus donet: ſic enim celeriter facultatibus deſtituetur.

14 ¶ Prodigus auaro præſtat. I. Quia faciliùs ſanatur, & ad mediocritatem perducitur, vt ætatis maturitate correctus, vel inopiâ coactus. II. Quia prodigus videtur potiùs ſtultus, quàm improbus. III. Quia prodeſt iis, quibus largitur, cùm auarus nec ſibi nec aliis proſit. vnde ea prouerbia orta ſunt: *Tam deeſt auaro, quod habet, quàm quod non habet:* &, *Auarus in omnes malus, in ſe peſſimus.*

15 ¶ Quidam & profusè largiuntur, & auarè accipiunt: quia largiri quocumque modo cupiunt: nec aliter habent, quod largiter effundant, quàm ſi aliis auferant. quocirca horum largitiones, vt Syllæ & Cæſaris, non eſſe liberales habendas demonſtrat M. Tullius lib. 1. de officiis.

16 ¶ Prodigus, ſi cuſtode & magiſtro careat, in magna vitia delabitur: quia cùm facilè impendat, etiam in res obſcœnas, & ab intemperantia natas ſumptuoſus eſt: & quia vitam ſuam ad honeſti normam non conformat ad voluptates propenſior euadit, & ad eas ab aſſentatoribus impellitur: ſed alicuius curâ & diligentiâ nixus, ad mediocritatem peruenit, ac fit liberalis:

17 ¶ Auaritia penè inſatiabilis eſt, I. Quia ſenectus & omnis imbecillitas hàc vim habet, vt homines illiberales reddat. vnde Mitio apud Terent. in Adelp. actu 5. ſcen. 3.

Ad omnia (inquit) *alia ætate ſapimus rectiùs.*
Solum vnum hoc vitium adfert ſenectus hominibus,
Attentiores ſumus ad rem omnes, quàm ſat eſt.

II. Quia naturâ homines ſunt magis ad auaritiam,

quàm ad profuſionem procliues:& plerique ſunt magis ſtudioſi pecuniarum,quam ad dandum propenſi.

18 ¶ Auaritiæ generæ duo ſunt.nam auarus dicitur, vel quia in dando modum deſerit, vel quia in accipiendo modum ſuperat.

19 ¶ Ad primum genus referuntur,qui vocantur parci,tenaces,ſordidi.quorum alij bonitate & æquitate quadam mouentur, aut ſaltem ſe moueri autumant, nec largientes,nec pecuniam alienam accipere volentes,ne quid turpe admittere cogantur.in horum numero ſunt, qui vocantur cumini ſectores. alij metu quodam tenentur, quaſi non facile ſit eum res ſuas ab aliis intactas ſeruare,qui alienas præripit.

20 ¶ Ad ſecundum genus referuntur, I. Qui illiberales operas præſtant,& ſordidas artes exercent, vt lenones, & fœneratores. II. Qui ob exiguum quæſtum,turpitudinem ac dedecus ſubeunt vel ſine vitæ diſcrimine, vt aleatores: vel cum vitæ periculo,vt graſſatores,& latrones.

21 ¶ Liberalitati magis opponitur auaritia,quàm prodigalitas.I. Quia eſt maius malum,vt ſuprà docui axio.14.II. Quia plerique naturaliter magis ſunt propenſi ad auaritiam,quàm ad profuſionem:adeo vt ex parte auaritiæ magis recedatur à mediocritate,quàm ex parte profuſionis.

Cap. II.

De magnificentia,luxu,& ſordibus.

Cap. 2. 22 CVm liberalitas in paruis pecuniis verſetur tam accipiendis,quàm largiendis:magnificentia tantùm in magnis ſumptibus ſpectatur.quocirca Vlyſſes inquiens ſe multa dediſſe mendicis, Odyſ.lib. 17. verſi. 420. & lib.19. verſ. 76. non magnificentiam ſuam, ſed liberalitatem prædicabat.

23 ¶ Magnificentia interiecta eſt luxui vt exſuperantiæ, & ſordibus tanquàm defectioni.

24 ¶ Magnificus viro ſcienti ſimilis eſt:quippe qui decorum cernere poteſt,& magnos ſumptus concinnè facere. oportet enim ſumptum operi conuenire: ita vt opus ſumptu, & ſumptus opere dignus ſit.quare Seneca de benef.lib.2.cap. 16.Alexandrum magnum meritò deridet,qui,cùm ciuitatem alicui

alicui donaret, atque ille tantum munus vt ſibi propter magnitudinem non conuenient recuſares, *Non quæro*, inquit, *quid te deceat accipere, ſed quid me deceat dare.* Nihil enim per ſe quemquam decet: ſed multum intereſt, quid det, cui, quando, vbi, & cet. ſine quibus circumſtantiis ratio conſtare non poteſt.

25 ¶ Magnificus non inanis gloriæ causâ, ſed honeſti gratiâ ſumptus facit.

26 ¶ Impendit autem iucundè ac libenter: necnon largiter & promptè. nam ſubtiliùs rationes ſubducere, & ad calculum reuocare, non eſt hominis magnifici, ſed parci.

27 ¶ Quicumque eſt magnificus, eſt etiam liberalis. nam qui in rebus magnis impendit vt oportet, idem facit etiam in paruis. denique in omnibus rectè impendit. rei autem, ac ſumptus magnitudine à liberali diſtinguitur.

28 ¶ Sumptus magnifici partim ſunt publici, partim priuati.

29. ¶ Publici ſumptus partim ad religionem & cultum diuinum pertinent, vt donaria, quæ ſuſpẽduntur in templis, conſtructiones templorum, & cetera id genus: partim ad rempubl. ſpectant, vt ludorum exhibitio, præfecturæ adminiſtratio, expuli prębitio.

30 ¶ Hi ſumptus pauperi non conueniunt, quia eius facultates ſuperant, ſed locupleti, qui diuitias ab aliis accepit, vel ſibi quæſiuit. Item decent viros nobiles, & illuſtres: & omnino eos, qui aliqua eiuſmodi laude ceteris antecellunt.

31 ¶ Priuati ſumptus magnifici ſunt, I. Qui ſemel fiunt, vt nuptiarum apparatus, & doctoratus impenſæ. II. Quibus vniuerſa ciuitas, aut viri clari ſtudent: vt in hoſpitibus recipiendis, in muneribus dandis, & remunerationibus. III. Qui in opera diuturna fiunt, vt in amplas & diuitiis conuenientes ædes extruendas.

32 ¶ De domo ædificanda Cicero 1. de offic. tria præcipit. I. Vt ornetur dignitas domo, non tota dignitas ex domo quæratur: nec tam domo dominus, quàm domino domus honeſtetur. II. Vt habeatur ratio non ſolùm ſui, ſed etiam aliorum: adeo vt in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi, & admittenda hominum cuiuſque generis multitudo, adhibeatur cura laxitatis & amplitudinis.

III. Vt caueatur, ne ſupra modum ſumptus fiant. adhibenda eſt enim mediocritas, quæ quidem ad communem vſum cultúmque vitæ referenda eſt.

33 ¶ Qui modum ſuperat, I. Peccat, quia in rebus paruis magnos ſumptus facit, & ſplendorem affectat inconcinnè: vtputà nuptiali apparatu eos excipiens, qui ſymbolam in conuiuium contulerunt. II. Quia non honeſti, ſed iactantiæ & oſtentandarum diuitiarum causâ, quo magis hominibus admirationi ſit, hos ſumptus facit.

34 ¶ Sordidus peccat, & modum deſerit, I. Quia in omnibus rebus pecuniæ parcit. II. Quia magnas impenſas faciens, in re parua honeſtatem perdit. verbi gratiâ, in nuptiali conuiuio apparando, cùm magnos ſumptus fecerit, tamen vinum parcè præbet. III. Quia procraſtinat, & cunctanter impendit. IV. Quia conqueritur, & lamentatur, quaſi nimium impendat, & omnia maiora faciat quàm oporteat.

35 ¶ Hi duo extremi habitus, quibus magnificentia interiecta eſt, nempe luxus & ſordes, vitioſi quidem ſunt, non tamen admodum deformes, nec alteri nocent: ideóque nullam turpitudinis aut ignominiæ notam inurunt.

Cap. III.

De magnanimitate, puſillanimitate, & ſuperbia.

Cap. 3. 36 MAgnanim' in rebus magnis verſatur, adeo vt magnanimus ſit magnitudine ſummus: quamquàm eo quòd ita vt oportet, de ſuis meritis iudicat, & neque plus neque minùs quàm par ſit, ſibi arrogat, hac ratione eſt medius, vt dictum fuit lib. 2. ax. 12. nam qui rebus magnis ſe dignum exiſtimat, cùm ſit indignus, is modum ſuperat, & ſuperbus nominatur, qui verò ſe indignum putat, cùm dignus ſit, modum deſerit & puſillanimus appellatur.

37 ¶ Cùm dignitas ad bona externa referatur. maximum autem bonum inter externa ſit honor: profectò magnanimus potiſſimùm in honore verſatur: quippe qui eſt magno honore dignus, & ipſe ſe eo dignum iudicat. puſillanimus modum deſerit, ſiue eius perſona ſpectetur: quia cùm maioribus honoribus ſit dignus, ipſe minoribus ſe dignum cenſet:

cenſet ſiue magnanimi exiſtimatio ſpectetur, quia puſillanimus minoribus honoribus ſe dignum exiſtimat, quàm magnanimus ſibi deberi putet. ſuperbus autem modum quidem ſuperat, ſi perſonam eius ſpectes: quia maiores honores ſibi arrogat quàm mereatur, non tamen ſi cum magnanimo conferatur, quia maiores honores ſibi non vindicat, quàm magnanimus ſibi deberi ſtatuat.

38 ¶ Ex dictis colligitur, I. Magnanimum eſſe virum optimũ & præſtantiſſimum: alioqui non eſſet ſummo honore dignus: honor enim eſt virtutis pręmium, & ſolis viris bonis debetur. Quare Marcellus tẽplum vnum Honori & Virtuti dedicare cupiebat: ſed cùm impediretur à Pontificibus negantibus duos Deos vna æde poſſe includi: priori templo alterum adiecit, Plutarcho de fortuna Romanorum, & in vita Marcelli, & Liuio lib. 29. & Valer: Maximo libr. 1. cap. 1. & M. Tullio de natura deor. lib. 2. auctoribus: ita vt teſte Auguſtino non aliunde quàm per virtutis templum pateret ad ædem Honoris aditus. C. autem Marius deuictis Cimbris vnà ædem Honori & Virtuti conſecrauit, cuius meminit Plutarchus de fortuna Romanor. Feſtus in verbo, *ſummiſſiorem.* & Vitruuius lib. 7. II. Magnanimitatem eſſe virtutũ omnium ornamentum, atque eas augere, cùm ſine eis eſſe nequeat. III. Virum verè magnanimum non facilè reperiri.

39 ¶ Magnanimus in honore & infamiâ ſic verſatur: I. Magnis honoribus, qui ſibi à viris bonis deferuntur, modicè lætatur. II. Honores paruos & à quibuſlibet delatos contemnit, quia ſe digni nõn ſunt. III. Diffamationes negligit tamquàm ſe minimè dignas.

40 ¶ In diuitiis quoque & principatu, in omni denique ſecunda atque aduerſa fortuna moderatum ſe præbet.

41 ¶ Res ſecundæ videntur ad animi magnitudinem conferre. nam & honeſto ſummóque loco nati, & qui principatum obtinent, & qui locupletes ſunt atque opulenti, hònore digni iudicantur: quia ceteris aliquâ ratione antecellunt. quod quidem iudicium ita demum rectum eſt, ſi hæc ſint cum virtute coniuncta: quoniam honor non eſt à virtute ſeiungendus, vt docui ax. 38.

42 ¶ Magnanimus aliorum contemptor eſſe videtur: neminem tamen iniuria deſpicit, ſed de ſingulis rectè iudicat:alioqui non eſſet magnanimus,ſed ſuperbus.

43 ¶ Non offert ſe paruis periculis, nec adeundorum periculorum eſt cupidus, quia pauca magni facit: ſed magna pericula ſubit,& cùm in diſcrimine verſatur, vitæ non parcit.

44 ¶ In beneficiis dandis vel accipiendis ita verſatur, I. Mauult beneficia in alios conferre,quàm ab aliis accipere,non ignarus illius ſententiæ, *Beatius eſt dare quàm accipere.* Actor. 20. illud enim eſt hominis præſtantis & excellentis: hoc autem hominis inferioris. II. Beneficium acceptum refert maiori menſura, vt ſibi eum deuinciat, à quo beneficium accepit. III. Magis recordatur beneficiorum, quæ in alios contulit,quàm quæ ab aliis accepit:& illorum commemorationem libenter, horum grauatè audit. Quapropter 1. lib.Iliad.in oratione Thetidis ad Iouem,vbi vulgati libri habent, Ζεῦ πάτερ εἴποτε δή σε μετ' ἀθανάτοισιν ὄνησα, Ariſtoteles legit, Ζεῦ πάτερ εἴποτε δή με μετ' ἀθανάτοισιν ὄνησα:. Item Lacedæmoniorum legati,cùm magna pugna à Thebanis duce Epaminonda deuicti eſſent, apud Athenienſes, à quibus opem implorabant,non beneficia in eos collata,ſed ab eis accepta narrarunt, apud Calliſthenem ἑλληνικῶν lib. 1. & Xenophontem lib.6.

45 ¶ Erga potentes & magnos viros magnum ſe atque excelſum præbet:erga humiles benignum & moderatum.

46 ¶ Ad ea quæ honorem afferunt,proficiſci non ſolet: quia(vt ſuprà dixi)ne honorem quidem magni facit: nec ad ea,in quibus alij principem locum tenent.

47 ¶ Ceſſator eſt, & cunctator: niſi aut magnus honor proponatur,aut magna res agatur.paucas enim res agit, eáſque magnas,& omnium ſermone celebrandas.

48 ¶ Apertas inimicitias gerit, apertè amat: quia liber eſt,& veritatis ſtudioſus: niſi diſſimulatione erga vulgus vti oporteat.

49 ¶ Non aſſentatur,nec alterius nutu & arbitrio viuit: quoniam hoc ſeruile eſt.

50 ¶ Non facilè admiratur: quia pauca ei videntur magna.quod fortaſſe impulit Horatiū, vt ſcriberet lib.1.epiſt. 6.

Nil ad-

Nil admirari, propè res eſt vna, Numici,
Soláque, quæ poſſit facere & ſeruare beatum.

Sed malè hanc ſententiam non tantùm ad actiones humanas, quarum contemptus magnitudinem animi arguit, ſed etiam ad res phyſicas producit, quarum admiratio gloriam Dei extollit. addit enim,

Hunc ſolem, & ſtellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent. quid cenſes munera terræ? &c.

Atqui ex rerum admiratione laudatiſſima philoſophia orta eſt, teſte Ariſtotele 1. Metaphyſ. cap. 2. quod veteres ſignificaſſe, dum Iridem, id eſt cognitionem, Thaumantis, id eſt admirationis, filiam finxerunt, pulchrè notat Pachimerius lib. 1. tit. 1. cap. 1.

51 ¶ Iniuriarum magnanimus non meminit.

52 ¶ Non eſt ad loquendum de hominibus procliuis: quia nec vt ipſe laudetur, nec vt alij vel laudentur vel vituperentur, ſollicitus eſt. quocirca non eſt maledicus, ne in inimicos quidem, niſi contumeliâ ab eis acceptâ.

53 ¶ In rebus neceſſariis aut exiguis nec querulus eſt, nec ſupplex fieri ſolet, quippe qui res humanas deſpicit. eo namque modo affectum eſſe, hominis eſt nimium ſtudium nimiámque curam in res humanas conferentis.

54 ¶ Mauult res pulchras & ſteriles poſſidere, quàm vtiles ſeu fructuoſas: quia ſe ipſo eſt contentus, & bonorum copiâ per ſe cumulatus.

55 ¶ Tardè incedit: voce vtitur graui, & oratione ſtabili ac ſedata: quia feſtinatio & celeritas ob rerum ſtudium adhiberi ſolet: magnanimus autem paucis rebus ſtudet.

56 ¶ Superbus & puſillanimus peccant quidem: non tamen ſunt improbi, ſed vterique ſe ipſos ignorant. nam puſillanimus eo tantùm peccat, quod ſe bonis indignum eſſe arbitratur: ideóque ab iis abſtinet, nec ſtultus videtur, ſed potius piger & ſegnis. Superbus autem eſt ſtultus. nam quaſi dignus & idoneus ſit, res amplas ſuſcipit: quas cùm ſuſtinere non poſſit, ab aliis coarguitur. præterea veſtitu, habitu, & ſimilibus rebus ſe exornat, ſuáſque res ſecundas, manifeſtas eſſe vult, & de ſe ipſo prædicat, quaſi inde laudem & honorem conſecuturus.

57 ¶ Puſillanimitas, cùm ſit crebrius & deterius malum, magis aduerſatur magnanimitati, quàm ſuperbiæ.

Cap. IV.

De virtute, & vitiis, quæ in paruis honoribus verſantur.

Cap. 4. 58 IN paruis honoribus verſatur ambitio, honoris ſtudium, & honoris contemptus.

59 ¶ Interdum laudamus honoris ſtudioſum, tamquàm virum fortem, & honoris ſtudioſum: interdum vituperamus, quaſi ambitioſum. nempe laudamus eum, qui magis honores expetit, quàm plebeij & vulgares homines: reprehendimus autem eum, qui magis honores expetit, quàm oporteat: & prout hoc vel illo modo accipimus honoris ſtudioſum, ita eum vel accuſamus, vel commendamus.

60 ¶ Simili ratione modò laudamus honoris contemptorem, quaſi modeſtum, & temperantē: modò vituperamus, quaſi ſtupidum, & ſtolidum: prout vel ex rationis præſcripto, vel præter rationem honores contemnit.

61 ¶ Itaque φιλοτιμία, id eſt, honoris ſtudium, apud Græcos modò in laude, modò in vituperatione ponitur. ſed apud Latinos ambitio ſemper accipi ſolet in malam partem.

62 ¶ Quia virtus, quæ in paruis honoribus expetendis mediocritatem ſeruat, nomine vacat: hinc duo ſequuntur. I. Extrema de eius ſede, quaſi de loco vacuo, certant: & tam honoris cupidus, quàm honoris contemptor contendit ſe recto habitu præditum eſſe, ac mediocritatem ſeruare. II. Extrema videntur tantùm ſibi inuicem eſſe contraria, & inter ſe pugnare: quamuis re vera pugnent etiam cum mediocritate, quam ſuperant, vel deſerunt, vt & in aliis habitibus moralibus contingit.

Cap. V.

De manſuetudine, & vitiis oppoſitis.

63 IN ira verſatur virtus, quam Græci πραότητα, Latini in rebus magnis clementiam, in paruis māſuetudinem, aut lenitatem appellant.

64 ¶ Qui hac virtutē præditus eſt, tum demum iraſcitur,

ſcitur, cùm oportet, & quibus hominibus oportet, & quibus de cauſis oportet, & quandiu oportet. Falluntur enim Stoici, quos ſecutus eſt M. Tullius 1. de Offic. exiſtimantes numquam eſſe iraſcendum. nam recta ratio non tollit affectiones, inter quas ira numeratur, ſed eas moderatur & regit. Illud verum eſt, manſuetum magis in eam partem inclinare, quæ eſt intra modum: quippe qui magis ad ignoſcendum, quàm ad vlciſcendum eſt procliuis.

65 ¶ Qui igitur modum deſerit, ſiue lentus ſiue alio quouis nomine appelletur, (proprio namque nomine videtur carere) vituperandus eſt. nam ſtulti hominis eſt, & ſenſu carentis, non iraſci cùm oportet: ac res prorſus ſeruilis & mancipio digna eſt, in ſe ſuóſque contumelias pati ac negligere.

66 ¶ Mediocritas ſuperatur multis modis: qui quidem in vno homine non reperiuntur. cùm enim quodlibet malum vim habeat interimendi: certè ſi vniuerſum in eodem reperiatur, intolerabile erit. eorum igitur qui in iraſcendo modum ſuperant, alij vocantur iracundi, alij bilioſi, alij acerbi ſiue auari, alij difficiles & aſperi ſeu ſæui.

67 ¶ Iracundi proprietates hæ ſunt. I. Facilè & celeriter iraſcitur, quibus non oportet iraſci, & quas ob cauſas non oportet. II. Vehementiùs iraſcitur, quàm oportet. III. Iram non cohibet, ſed prodit, & iniuriam ſtatim refert. IV. Citò iraſci deſinit, & facilè placatur.

68 ¶ Bilioſi ſupra modum ſunt celeres, & ad omnia, & omnibus de cauſis iracundiâ exardeſcunt.

69 ¶ Acerborum proprietates ſunt tres. I. Iram continent, & in ſeipſis concoquunt. II. Cùm ſibi ipſis, tum iis, quos maximè deligunt, ſunt perquàm moleſti. III. Diu in iracundiâ perſeuerant, ac ſunt penè implacabiles: cùm quia iram comprimentes, iniuriam non vlciſcuntur: (vltio namque iram ſedare ſolet, voluptatem afferens, & dolorem ex iniuriâ perceptam mitigás) tum etiam quia cùm iram occultent, nemo eos placare conatur.

70 ¶ Aſperi ac ſæui, I. Propter quas cauſas iraſci non debent, & vehementiùs quàm debent, iraſcuntur. II. Diutiùs iram retinent, quàm par ſit: neque placantur, niſi iniuriam vlti ſint, aut pœnam inflixerint.

71 ¶ Manſuetudini magis opponitur iracundia, quàm lentitudo. I. Quia iracundia eſt vitium frequentius, cùm pleriquè propenſi ſint ad iraſcendum. II. Quia iracundi minùs ſunt ad conuictum & vitæ conſuetudinem accommodati.

72 ¶ Difficile eſt ſpecialiter præceptis complecti, quo modo, quibus hominibus, quibus de cauſis, & quamdiu ſit iraſcendum, & quàm longè quis à medio recedens vituperetur. hæc enim in rebus particularibus ac circumſtantiis conſiſtunt, quarum iudicium ad ſenſum pertinet. hoc autem generaliter de omnibus virtutibus tradidi lib. 2. ax. vlt.

73 ¶ Illud tenendum eſt, mediocritatem eſſe laudandam, eique adhærendum: extrema eſſe vituperanda, & fugienda: & quò magis à medio recedunt, eò maiori vituperatione digna eſſe.

Cap. VI.

De comitate, & vitiis oppoſitis.

74 IN congreſſu hominum & vitæ quotidianæ conſuetudine, denique in dictorum ac factorum communicatione alij omnino blandiuntur, omnia laudant, nulla in re aduerſantur, ne quem vllo modo offendant: qui ſi delectandi causâ ita ſe gerant, blandi nuncupantur: ſi lucri gratiâ id faciant, vt Gnatho ille Terentianus, aſſentatores nominantur: alij contrà in omnibus aduerſantur & contendunt qui moroſi appellantur. alij mediocritatem ſeruant, qui nomine carent.

75 ¶ Blandi & aſſentatores, qui in delectando modum ſuperant, & moroſi ac difficiles, qui modum deſerunt, vituperatione digni ſunt: is tantùm eſt laudabilis, qui mediocritatem amplectitur.

76 ¶ Hic amico ſimilis eſt: ſed eò differt ab amico, quòd non amoris vel odij causâ vnumquodque, vt oportet, approbat: ſed quia ſic eſt ab animo comparatus. idcirco erga omnes eundem ſe præſtat, tam notos quàm ignotos, & tam familiares quàm extraneos: niſi quod erga alios aliter, id eſt, erga vnumquemque ita ſe gerit, vt decet. aliter enim homines familiares, aliter extraneos vereri & obſeruare oportet.

77 ¶ Eius proprietates hæ ſunt: I. Actiones ſuas ad honeſtum

ſtum & vtile refert. II. Hunc ſcopum habet, ne quem offendat, ſed potiùs delectet: mauult tamen offendere, quàm cum turpitudine aut damno delectare. III. Perſonarum ratiõe habet: aliterque communicat & loquitur cum iis, qui in dignitate ſunt, aliter cum hominibus plebeiis: item aliter cum notis & familiaribus, aliter cum extraneis.

78 ¶ Extremorum inter ſe repugnantia magis apparet, quàm cum medio habitu, propterea quòd medius habitus nomine vacat.

Cap. VII.

De veracitate, arrogantia, & diſsimulatione.

79 IN verborum & factorum veritate & mendacio verſantur arrogans ſiue oſtentator, & verax, & diſſimulator. Intellige res, quæ ad iuſtitiam & iniuſtitiam non pertinent, proinde ad conuentiones & contractus non ſpectant. Cap. 7.

80 ¶ Oſtentator res glorioſas, quæ ſibi non inſunt, necnon maiores iis quæ inſunt, ſibi vindicat. contrà diſſimulator eas quæ inſunt, negat, vel extenuat & minores fingit. verax, quas res habet, eas ineſſe confitetur, & neque verbis auget, neque extenuat.

81 ¶ Hic igitur eſt laudabilis: reliqui duo vituperandi: ſed magis qui modum ſuperat, id eſt arrogans ſiue oſtentator. nam diſſimulatores, qui ſua omnia verbis eleuant, politis moribus præditi videntur, quaſi elationem animi ac iactationem fugientes.

82 ¶ Verax non ſolùm in quibus rebus nihil refert, ſed etiam multò magis in quibus intereſt, id eſt, in pactis & contractibus, veritatem diligit & fatetur.

83 ¶ Ad extenuandam rerum, quæ ſibi inſunt, veritatem propenſior eſt, quàm ad augendam: quoniam illud eſt concinnius atque elegantius: omne autem nimium eſt graue & odioſum.

84 ¶ Qui maiora quàm reuerâ inſunt, ſibi arrogat, ſi nullius rei cauſâ, ſed tantùm quia mẽdacio delectatur, id faciat, leuis potiùs ac nugator, quàm malus atq; improbus videtur. quòd ſi alicuius rei gratiâ id faciat, ſiquidem honoris & gloriæ deſiderio moueatur, vt arrogans, minùs eſt vituperandus. at ſi pecuniæ & lucri cauſâ ita ſe gerat, longè turpior eſt.

85 ¶ Qui gloriæ cauſâ ſibi ſupra veritatem tribuunt, ea ſibi arrogant, propter quæ homines laudari & beati prædicari ſolent, vt nobilitatem, & diuitias. qui verò lucri cauſâ id faciunt, ea ſibi ſumunt, quæ aliis vtilitatem afferunt, & in quibus non eſt facile fucum deprehendere: verbi gratiâ ſe diuinatores, aut medicos fingunt.

86 ¶ Diſſimulatores maximè glorioſa omnia de ſe negant, vt faciebat Socrates. nam qui res paruas & in promptu poſitas diſſimulant, hi ſunt homines abiecti & contempti.

87 ¶ Diſſimulatio interdum arrogantiæ ſimilitudinem gerit. nam ſibi & nimium aſſumere, & parum admodum attribuere, arrogantis eſt. quod & Diogenes contra Lacedæmonios notauit, & Socrates Antiſtheni obiecit, teſte Aeliano lib.9. var. hiſtor. cap.34. & 35. Diogenes enim cùm Olympiam veniſſet, & Rhodianos quoſdam adoleſcentes videret pretioſis & magnificis veſtibus amictos, cum riſu inquit, *Hoc nihil eſt præter faſtum.* Deinde cùm incideret in Lacedæmonios vilibus & ſordidis tunicis indutos. *Hic,* inquit, *alius eſt faſtus.* Socrates autem cùm videret Antiſthenem attritam veſtis partem ſemper in conſpectum protendere, *Quin deſinis,* inquit, *arrogantiam tuam nobis prodere?*

88 ¶ Veraci magis videtur arrogans & oſtentator opponi, quàm diſſimulator, quia deterior eſt.

Cap. VIII.

De vrbanitate, ſcurrilitate, & ruſticitate.

Cap.8. 89 IN iocis ſcurra modum ſuperat, ruſticus ſine agreſtis modum deſerit, vrbanus ſeu facetus modum ſeruat, ſed vulgus peccat, facetos eos appellans, qui potiùs ſcurræ ſunt nominandi: nimirùm quia plerique magis quàm par ſit, ſalsè dictis delectantur.

90 ¶ Vrbani propria eſt dexteritas, vt ea dicat & audiat, quæ virum bonum & honeſtum decent. multùm enim inter ingenuo dignum & ſeruilem iocum intereſt: multum inter eruditi iocum & ineruditi.

91 ¶ Salsè dictum, eſt quoddam maledicti genus. itaque legumlatores, vt quædam maledicti loco obiici vetant, ita etiam prohibere deberent, ne quiduis in alterum ſalsè dicere liceret.

92 ¶ Scur-

92 ¶ Scurra, vt Horatij verbis vtar,

dummodo riſum

Excutiat, ſibi non, nec cuiquam parcit amico.

Maiorem enim voluptatis & ſalium, quàm honeſtatis rationem habet.

93 ¶ Agreſtes nec ſalsè aliquid dicunt, nec ab aliis dicta ferre æquo animo poſſunt, licèt vrbanè & eleganter prolata ſint.

Cap. IX.

De verecundia, & impudentia.

94 Verecundia non eſt habitus, proinde non eſt virtus, ſed eſt perturbatio ſiue affectio. Cap. 9.

95 ¶ Definitur autem metus quidam infamiæ. Particula *quidam*, eſt nota improprietatis. nam propriè metus eſt rerum horribilium, vt vulnerum, & mortis.

96 ¶ Quemadmodum qui res horribiles metuunt, palleſcũt: ita qui pudore ſuffunditur, erubeſcit. quare neutra affectio eſt ſolius animæ propria, ſed corpori communicatur.

97 ¶ Verecundia nõ viros, ſed magis pueros decet. nam pudor eſt ex rebus malis. quare virum bonum, vt non decet malè agere, ita etiam non decet pudore affici. pueri verò, qui perturbationibus ducuntur, & ſecundum affectus viuunt, pudore à malè agendo reuocantur. vt igitur pharmacum ſolis ægrotis, ita pudor ſolis pueris conuenit: quoniam hoc quaſi fræno egent, quò minùs cupiditatibus trahantur.

98 ¶ Impudentia verò ſimpliciter mala eſt. quis enim probet eum, qui nullo pudore à prauis actionibus reuocatur?

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ
LIBER XLIX.
ETHICORVM QVINTVS.

Cap I.

De iuſtitia, & iniuſtitia.

IVSTITIA eſt habitus, quo homines ad res iuſtas agendas ſunt idonei, & quo res iuſtas agunt, & volunt.

2 ¶ Iniuſtus dicitur duobus modis. I. Qui contra leges committit. II. Qui plus ſibi ſumit, quàm par ſit, nec ſeruat æquitatem. Similiter iuſtus dicitur, qui legibus obtemperat, & qui æquitatem ſeruat. Item ius dicitur, quod lege cauetur, & quod æquum eſt: iniuſtum verò ſiue iniuria, quod lege prohibetur, & quod eſt iniquum.

3 ¶ Iuſtitia & iniuſtitia verſantur in bonis externis, in quibus ſecunda & aduerſa fortuna ſpectantur. hæc abſolutè & per ſe cõſiderata, ſunt ſemper bona: huic verò aut illi non ſemper bona, ſed interdum mala ſunt. Quocirca homines errant, qui hæc ſimpliciter cupiunt, & votis expetunt, cùm deberent optare, vt quæ ſunt ſimpliciter bona, ſibi quoque ſint bona.

4 ¶ Iniuſtus plus ſibi vindicat boni, & minus mali: quia minus malum habet rationem boni.

Cap. II.

De iuſtitia & iniuſtitia vniuerſali.

5 QVæ legibus rectè conditis præcipiuntur, iuſta ſunt, & ad beatitudinem valent, & ad quaſcumque virtutes

tutes pertinent. exempli gratiâ, ad temperantiam pertinet lex prohibens adulteria: ad fortitudinem lex ne miles arma abiiciat:ad manſuetudinem lex vt nemo verberetur, aut iniuriâ afficiatur.

6 ¶ Iuſtitia igitur legitima, id eſt, ſecundum quam legibus obtemperatur,eſt virtus integra & perfecta,ad alterum tamen relata. Dixi, *integra & perfecta:* quia omnes virtutes morales in ſe continet,vt Theognis cecinit verſu 147.

Ε'ν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν.id eſt,
Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.

Dixi, *ad alterum relata:* quia virtus propriè dicitur, quatenus perficit eum,in quo eſt:iuſtitia verò dicitur, quatenus ad alterum refertur,id eſt,quatenus virtute præditus,eâ virtute vtitur erga alios.

7 ¶ Hinc tria colliguntur. I. Hæc iuſtitia plurimi facienda eſt,& homines optimos reddit:ſed eius actio eſt difficilis. optimus enim eſt, non qui ſecum & ſibi, ſed qui cum aliis & erga alios virtutem colit. II. Præclarè dictum eſt à Biante, *Magiſtratus oſtendet virum:* quia magiſtratum gerens, alterum ſpectat,& in communione vitæ verſatur. III. Iuſtitia videtur eſſe alienum bonum : quia vir iuſtus aliis laborat, non ſibi.

Cap. III.

De iuſtitia & iniuſtitia particulari.

8 Eſt quædam iniuſtitia particularis,quæ eſt pars iniuſtitiæ vniuerſalis modo expoſitæ , vt ignauia & intemperantia eſt pars vitij: quod probatur ſequentibus argumentis. I. Omne factum , quod ad iuſtitiam vniuerſalem refertur,etiam ad aliquod particulare vitium refertur, vt armorum abiectio refertur ad iniuſtitiam & ignauiam,adulterium ad iniuſtitiam & intemperantiam. Atqui plus pecuniæ ſibi ſumere quàm par ſit, ad iniuſtitiam vniuerſalem refertur.Ergo etiam ad aliquod vitium particulare referri debet. ſed non poteſt ad aliud vitium , quàm ad iniuſtitiam referri. Ad hanc igitur,id eſt, ad particularem iuſtitiam eſt referendum. II. Propoſitum & voluntas diſtinguit maleficia. ff. de furt.l.verum.39.& l.qui iniuriæ.53.in pr.Si quis igitur adulterium libidinis cauſâ committat,eſt intemperans. ſi verò lu- Cap. 2.

cri cauſâ id faciat, eſt iniuſtus. Ita apparet eſſe quandam iniuſtitiam particularem, quæ diſtinguitur ab intemperantia. III. Omne delictum ad aliquam vitij ſpeciem refertur, vt adulterium ad intemperãtiam, militiæ deſertio ad ignauiam. at illicitus contractus ad nullam aliam vitij ſpeciem referri poteſt, quàm ad iniuſtitiam. hæc igitur eſt iniuſtitia particularis.

9 ¶ Inter iniuſtitiam vniuerſalem & iniuſtitiam particularem ſimilitudines duæ ſunt, quarum prior ſpectatur in nomine, poſterior in re ipsâ. nam I. Vtraque vocatur iniuſtitia. II. Vtraque ad alium refertur, & in vitæ communione ſpectatur.

10 ¶ Differentiæ quoque duæ ſunt. I. Illa habet rationem totius: hæc autem, partis. II. Illa verſatur in iis omnibus, in quibus virtus ſpectatur: hæc autem ſolum in pecunia, honore, & ſalute.

11 ¶ Cùm duplex ſit iniuſtitia, perſpicuum eſt iuſtitiam quoque, quæ iniuſtitiæ opponitur, duplicem eſſe, videlicèt vniuerſalem, & particularem. quot enim modis alterum cõtrariorum dicitur, totidem etiam alterum dici conſtat. 1. Topic. cap. 15. partic. 3.

12 ¶ Iura legitima vel ea præſcribunt, quæ ad quoſcumque virtutum & vitiorum effectus pertinent, vt parentes alere, debitum ſoluere, arma non abiicere, neminem lædere, vel ea quæ ſunt cauſæ virtutum, vt leges de pueris rectè educandis.

13 ¶ Iuſtitia particularis partim eſt diſtributiua, partim commutatiua. itidémque ius vel eſt diſtributiuum, vel commutatiuum.

14 ¶ Diſtributio ſpectatur in honoribus, pecuniis, & ceteris rebus, quæ inter eiuſdem reipublicæ ciues diuiduntur, ita vt poſſit aliquis vel æquum conſequi, vel plus aut minùs quàm oporteat.

15 ¶ Commutatio ſpectatur in contractibus: quorum alij ſunt voluntarij, qui propriè vocantur cõtractus, vt emptio & venditio, locatio & conductio, ſocietas, depoſitum, mutuum, &c. alij non voluntarij, qui delicta appellantur: atq; hi ſunt partim clandeſtini, vt furtum, adulterium, lenocinium, ſerui corruptio, partim violenti, vt cædes, rapina, conuicium.

CAP.

Cap. IV.

De iure diſtributiuo.

16 IVs diſtributiuum,cum in æqualitate conſiſtat, medium quiddam eſt:ſiquidem æquale eſt medium inter plus & minus.Itaque iniuſtitia ſpectatur in æqualitate, id eſt,in exſuperantia & defectione,quæ ſunt duo extrema: iuſtitia verò poſita eſt in æqualitate,quæ extremis illis eſt interiecta. Cap. 3.

17 ¶ Hæc æqualitas ſumitur proportione geometricâ, vt etiam Platoni placet lib.6.de legib.& Iſocrati in Areopagitico.minimùm enim ſunt quatuor termini,in quibus hoc ius cernitur,id eſt,duæ res quæ diſtribuuntur, & duæ perſonæ quibus diſtribuitur.eandem verò oportet eſſe rationem rei ad rem,quæ eſt perſonæ ad perſonam.Verbi gratiâ, ſi Achilles eſt duplo præſtantior Aiace, munus Achillis debet eſſe duplo maius quàm Aiacis.

18 ¶ Hanc proportionem in diſtributionibus honorum & ceterarum rerum ſeruandam eſſe,probatur. I. A contrario: quia niſi ita fiat,querelæ oriũtur:veluti ſi perſonæ inæquales munera æqualia accipiant,aut perſonæ æquales muneribus inæqualibus donentur:tanquàm hæc ſit iniuria,quæ eſt aliena à proportione: vt ius eſt,quod in proportione conſiſtit. II. Ab adiuncto:quia omnes fatentur diſtributionem pro dignitate & meritis perſonarum fieri debere:quod tũ demum obſeruatur,cùm vnicuique tribuitur pro meritis: hæc autem eſt proportio & æqualitas,quam Geometricam vocant.

19 ¶ Hanc proportionem & hoc ius violauit aſinus,qui cùm prædam partiretur inter ſe,leonem & vulpem,tantumdem omnibus,id eſt partes arithmeticè æquales leoni vulpi & ſibi tribuit:cùm plus leoni,quàm vulpi deberetur, & plus vulpes quàm aſinus in venatione merita eſſet.quare non immeritò aſinus à leone punitus & dilaniatus fuit apud Aeſopum fab.38.

Cap. V.

De iure correctiuo

20 IVs autem correctiuum,quod in contractibus verſatur,æqualitatem arithmeticam requirit. nihil enim Cap. 4.

refert, vtrùm improbus virum bonum læſerit, an bonus improbum: quandoquidem nemo cum iactura alterius locupletari debet. D. de condict. indeb. l. nam hoc naturæ 14. etenim lucrum dicitur, cùm quis plus habet boni, aut minus mali: veluti plus emolumenti, & minus impenſarum. contrà damnum eſt, cùm plus habet mali, aut minus boni. Hinc Ariſtoteles rectè ait minus malum habere rationem *boni*. ſimilíque ratione nos dicere poſſumus minus boni habere rationem mali.

21 ¶ Iuſtè igitur Cyrus à præceptore ob prauum iudicium plagas accepit, quia grandiori puero longiorem togam, minori breuem adiudicauit: cùm hæc ad maiorem, illa ad minorem puerum ſpectaret. auctor Xenophon lib. 1. de Cyri inſtit. Vnde apparet quemadmodum aſinus peccauit, adhibens æqualitatem arithmeticam in prædæ diſtributione, vbi requirebatur æqualitas geometrica, ita Cyrum peccaſſe, vtentem proportione geometrica, qua rem ſuam domino auferebat, vbi geometricæ proportioni non erat locus.

22 ¶ Litigantes itaque iudicem adeunt tanquàm medium: & à nonnullis iudices appellantur μεσίδιοι, quaſi medium, id eſt, ius tribuentes. iudex enim eſt quaſi ius animatum, id eſt, iuris executor.

23 ¶ Hinc eſt, quod ius à Græcis vocatur δίκαιον, quaſi δίχαιον: quia δίχα ἐστίν, id eſt, in duo æqualia diuiſum: & iudex dicitur δικαστής quaſi διχαστής, id eſt, rem in duas æquales partes ſecans.

24 ¶ Hoc autem iudex facit, adimens ei qui plus habet, & attribuens ei apud quem minus eſt: ita vt æquales reddantur, adimit ergo, non totum id, quo ille hunc ſuperat, ſed quo æqualitatem ſuperat. Verbi gratiâ, Titius & Mæuius ſocij ſũt, & res communes habent pro æqualibus partibus. hæ res æſtimentur centum aureis, ex his igitur centum, oportet quinquaginta tribuere Titio, quinquaginta Mæuio. Iam finge Mæuium auferre ſexaginta, adeo vt Titio relinquantur tantùm quadraginta, manifeſtum eſt, partem Titij ſuperari à parte Mæuij aureis viginti. num igitur viginti aurei auferẽtur Mæuio, ac tribuentur Titio? Nequaquam. hac enim ratione fieret, vt iniquum & plus, quod erat apud Mæuium, iam eſſet penes Titium. ſed quia æqualitas in eo poſita eſt, vt vterque obtineat

obtineat quinquaginta, Mæuius autem vltra quinquaginta, decem habet, ac Titius decem ex ſua portione deſiderat: idcirco decem adimentur Mæuio, vt tribuantur Titio.

25 ¶ Lucri & damni vocabula, etſi latè à nobis accepta ſunt, & ad omnes contractus tam voluntarios quàm non voluntarios relata, tamen propriè pertinent ad contractus voluntarios, vt cùm res vili pretio diſtrahitur, emptor dicitur lucrum facere, venditor damnum pati.

Cap. VI.

De iure talionis.

26 PYthagorei ſimpliciter ius definiebant, τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ, id eſt, cùm quis ab alio patitur, quod contra ipſum fecit. hoc à Latinis vocatur ius talionis, quoniam aliquis tale quid patitur, quale fecit. ab Imperatoribus in l. 8. C. Theod. de exhib. reis appellatur pœna reciproca. à Theoph. in §. pœna. Inſt. de iniur. nominatur ταυτοπάθεια. hoc ius etiam Rhadamanto, & auctoribus duodecim tabularum placuit. quinetiam probatur lege Moſaica, vbi præſcribitur dens pro dente, oculus pro oculo, & cet. Cap. 5.

27 ¶ Ariſtoteles hoc ius non probat acceptum ſimpliciter, ſed ſecundum analogiam. Nam I. Si magiſtratus percuſſerit, non eſt repercutiendus. ſin autem plebeius magiſtratum percuſſerit, non ſolùm repercutiendus, ſed grauiùs eſt puniendus. II. Non eſt æquè puniendus is qui inuitus, atque is qui ſponte percuſſit. III. Artificum opera, & cetera quæ in ciuili ſocietate communicari oportet, diuerſa ſunt & inæqualia. vtputà agricola frumentum ſutori præbens, calceos ab eo accipit, oportet igitur calceos frumento exæquari, id eſt, tanti æſtimari. verbi gratiâ, tanti valeant decem calcei, quanti valet modius frumenti: abſurdum eſt, ſi talione ita vti velimus, vt opus ſit agricolam modium frumenti præbentem, tantundem frumenti à ſutore accipere, vel vnum calceum. nam ſutor frumento eget, nec poteſt frumentũ dare: agricola verò eget calceis, non frumento. vnus autem calceus non eſt modio frumenti ἀντάξιος.

28 ¶ Vera æſtimatio rerum ab indigentia & vſu ſumitur. hæc enim eſt naturalis menſura, quâ res æſtimare, meti-

ri, & exæquare oportet. atque hac ratione priſci homines, antequàm nummi cuderentur, vſi ſunt in rebus permutandis. ſed quia ſæpe euenit, vt egeam re, quæ tibi ſuperfluit: tu verò inuicem nulla re mea egeas, vnde permutationis vſus difficilis redditur: idcirco inuentus eſt nummus, quaſi ſponſor & fideiuſſor, quia nummos habens poterit quamcumque rem, quâ egebit, accipere. exempli gratiâ, accipio à te frumentum: pro quo darem tibi vinum, ſi vino egeres. ſed vel alia re indiges, quæ mihi abeſt, vel ſaltem in poſterum egebis aut vino, aut alia re. do igitur tibi pro frumento pecuniam, quâ rem tibi neceſſariam, quandocumque voles, comparare poteris.

Cap. VII.

Quid ſit iuſtitia, & iniuſtitia.

29 IVſta actio eſt media inter facere & accipere iniuriam, ac iuſtitia eſt mediocritas ſeu medietas, quia medium petit, id eſt, æquale, quod eſt inter plus & minus: non tamen, vt aliꝫ virtutes morales, collocatur inter duo extrema vitia, ſed vni opponitur iniuſtitiæ, quæ ſpectatur in plus accipiendo, non in minus ſumendo. inf. axio. 70.

30 ¶ Iuſtitia eſt habitus, quo vir iuſtus eſt aptus ad conſultò agendum quod iuſtum eſt: ita vt tam ſibi, quam aliis æquum tribuat, non plus aut minus quàm debeatur.

31 ¶ Iniuſtitia eſt habitus, quo homo iniuſtus eſt aptus ad conſultò agendum, quod eſt iniuſtum, id eſt, plus vel minus tribuendum quàm debeatur.

32 ¶ Iniuſtè pati, habet rationem defectionis: iniuſtè agere, habet rationem exſuperantiæ.

Cap. VIII.

Secundum quæ vitia dicatur iniuſtus.

Cap. 6. 33 QVi iniuriam facit, non propterea eſt iniuſtus, niſi conſultò faciat. vtputà qui libidine ac perturbatione ductus, cum aliena muliere rem habet, non eſt iniuſtus, ſed intemperans.

Cap.

CAP. IX.

Diſtinctio iuris ciuilis à patrio, dominico, & œconomico.

34 CVm audis hoc loco agi de iure, intellige ius ciuile, quod propriè vocatur ius: aliud verò eſt ius patriũ, vel herile, vel œconomicum.

35 ¶ Ius ciuile eſt inter eos, qui communione & ſocietate vitæ, vt rebus neceſſariis abũdent, inter ſe cõiuncti ſunt, homines liberos & geometricè vel arithmeticè æquales.

36 ¶ Hîc tria obiter notentur. I. Lex potiùs debet imperare, quàm homo: magiſtratus autem officium in eo poſitum eſt, vt leges ſeruet, quaſi cuſtos & miniſter. qua de re plura dicentur in politicis. II. Vir iuſtus aliis laborat, dum ſuum cuique tribuit. vnde iuſtitia (vt notaui axio. 7. memb. 3.) videtur eſſe alienum bonum. III. Viro iuſto debetur aliquod præmium, nempe honor: quo præmio qui non ſunt contenti, fiunt tyranni.

37 ¶ Inter patrem & filium, necnon inter dominum & ſeruum non eſt ius ciuile, ſed quid ſimile, id eſt, inter illos eſt ius patrium, inter hos ius dominicum ſiue herile. nam mancipia, & liberi noſtri, dum parui, nec à nobis ſeiuncti ſunt, partis inſtar ſunt. proinde inter patrem & liberum, vel dominum & ſeruos non eſt iniuriæ locus, cùm nemo ſeipſum conſultò iniuriâ afficiat: conſequenter in has perſonas ius propriè dictum non cadit: ſed inter eas perſonas dumtaxat ius reperitur, in quibus eſt imperandi & parendi viciſſitudo atque æqualitas.

38 ¶ Similius iuri ciuili eſt ius œconomicum, quod inter virum & vxorem ſpectatur, & ad tuendam rem familiarem pertinet.

CAP. X.

Iuris ciuilis diuiſio.

39 IVris ciuilis partes duæ ſunt, naturale, & legitimum. Cap. 7.
Naturale eſt, quod vbique gentium eâdem vim obtinet, quia ſic natura eſt conſtitutum, non quia ita hominibus videtur. Ius legitimum eſt, quod ex hominũ inſtituto valet, & quod ab initio vtrùm hoc vel illo modo cõſtitueretur,

nihil intereat,ſed poſtquàm conſtitutum eſt,multum intereſt vt obſeruetur:veluti captiuum minâ redimi,in teſtamento condendo ſeptem teſtes adhiberi,ſententiam ex ſcripto à iudice recitari.

40 ¶ Hoc ius eſt ſimile menſuris,quæ apud alias gentes aliæ ſunt:& ſæpe mutari ſolet vel tacito conſenſu populi,vel lata lege contraria.ius verò naturale eſt immutabile:non tamen omne ius naturale:ſed illud tantùm, quod diuina prouidentia eſt conſtitutum, id eſt, quod non ſupponit peccatum,ſed eſt peccatis & vitiis antiquius: vt Deum colere, parentes honorare.Inſt.de iure natur.§.pen.

41 ¶ Quædam naturalia in nobis mutari patet hoc exemplo: quia manus dextera ſecundum naturam eſt valentior, quàm ſiniſtra : conſuetudine tamen fit, vt aliqua ſiniſtra manu magis valeant.

42 ¶ Ius propriè dicitur, quod eſt vniuerſale : reliqua propriè vocantur priuilegia,vel decreta. D.de legib.l.iura 8. Gell. lib. 10. cap. 20. atque hæc quoque iuris legitimi partes dici poſſunt.

43 ¶ Vlp.D.de iuſtit.& iu.l.1.§.huius ſtudij. & eum ſecutus Iuſtinianus tit.1.§.vlt.& tit. 2.triplex ius faciunt, videlicèt naturale,gentium,& ciuile. Quod illi ius gentium vocant,Ariſtoteles naturale appellat,quemadmodum ſæpe appellatur etiam ab auctoribus iuris.Inſt.de rer. diuiſ.§. ſingulorum.quia naturali ratione introductum eſt, vt Iuſtinianus & Vlpianus dictis locis docent. Quod verò illi nominant ius ciuile, Doctores ius poſitiuum, Ariſtoteles legitimum nuncupat: quia tam ipſe, quàm alij priſci philoſophi paſſim legem opponunt naturæ, & lege eſſe aiunt, quod eſt ex hominum inſtituto. Denique quod illi naturale vocant, Ariſtoteles meritò prætermittit.ſic enim ab auctoribus iuris definitur, *Quod natura omnia animalia docuit.* proinde impropriè dicitur ius: quia ius propriè dictum in animalia bruta non cadit,vt docebo.axiom. 59.

CAP. XI.

Diſtinctio inter ius,iuſtum factum, & iuſtum hominem: necnon inter iniuriam,iniuſtum factum,& iniuſtum hominem.

44 Quod

44 QVod natura vel lex iubet, δίκαιον, id eſt ius, appellatur. idem, cùm factum eſt, δικαιοπράγημα, id eſt, iuſtum factum dicitur. Similiter quod lex vel natura prohibet, ἄδικον, id eſt, iniuria vocatur idem, cùm ſponte factum eſt, ἀδίκημα, id eſt, iniuſtum factum nominatur.

45 ¶ Si damnum nec opinatò illatum fuerit, infortunium dicitur. ſi verò neque præter opinionem, neque malitioſè, peccatum nuncupatur. Cap. 8.

47 ¶ Si quis ſciens quidem, non tamen conſultò, ſed per iram vel aliam animi perturbationem alterum lædat, rem quidem iniuſtam facit, non propterea tamen iniuſtus eſt. quòd ſi conſultò, & ex prælectione lædat, iniuſtus meritò perhibetur.

47 ¶ Si quis non ſolùm ignorans, ſed etiam per ignorantiam delinquat, veniâ dignus eſt. qui verò per aliquam perturbationem nec naturalem nec humanam delinquit, ei non eſt ignoſcendum.

Cap. XII.

Vtrùm ſponte, an inuitus aliquis iniuriam patiatur, vel ius ſuum obtineat.

48 ALij ius ſuum volentes obtinent, alij inuiti. vt cùm reus actori condemnatur, tunc reus inuitus, actor volens ad æqualitatem, in qua ius poſitum eſt, rediguntur. Cap. 9.

49 ¶ Quemadmodum non idem eſt rem iuſtam agere, & ἀδικεῖν, id eſt, iniuriâ afficere: (quia ſi quis inuitus & coactus rem iniuſtam agit, veluti ſi cuius manu apprehensâ alter verberetur, iniuriam non facit) ita etiam aliud eſt iniuſtam rem pati, & ἀδικεῖσθαι, id eſt, iniuriâ affici. nam ſi quis volens rem iniuſtam patiatur, iniuriâ non afficitur: quandoquidem certiſſima iuris regula eſt, volenti non fieri iniuriam. D. de diuerſ. reg. iur. l. nemo videtur. 145.

50 ¶ Nemo igitur ſibi facit iniuriam: quia ſponte facit, vt incontinens, & Glaucus, qui arma permutans cum Diomede, pretioſiora dedit pro vilioribus,

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

51 ¶ Iniuriam igitur facere, eſt alium ſponte lædere præter eius voluntatem: & iniuriâ affici, eſt ab alio volente lædi inuitum.

Cap. XIII.

Vtrùm iniuriam faciat, qui plus tribuit, an qui plus accipit.

52 VT is, qui plus accipit, quàm ad ſe pertineat, alterum iniuriâ afficere dicatur, duę conditiones requiruntur. I. Vt volens accipiat, non inuitus, nec per facti ignorantiam. II. Vt accipiat eo inuito, cui minus tribuitur.

53 ¶ Qui plus alteri tribuit, quàm ſibi, iniuriam ſibi non facit. I. Quia fortaſſe plus pecuniæ tribuit, vt ipſe plus honoris, vel dilectionis, vel honeſti cōſequatur. II. Quia ſciens prudens, non inuitus ſibi minus ſumit.

54 ¶ Cùm quis vni plus quàm alteri tribuit: magis dicendum eſt, eum iniuſtè agere qui tribuit, quàm eum qui plus accipit: quoniam actionis principium eſt in eo qui tribuit, non in eo qui accipit. Hoc intellige de cauſa efficiente principali. nam eorum quæ ſunt pura inſtrumenta, alia eſt ratio. cuiuſmodi inſtrumenta ſunt, gladius, manus, & ſeruus iuſſu domini ad iniuriam faciendam adactus: hæc enim omnia & ſimilia ſunt inſtrumenta eius qui iniuriam facit.

55 ¶ Iudex aut per imprudentiam, aut dolo malè iudicat. priori caſu, cùm ſcilicèt per ignorantiam iuris legitimi prauam ſententiam pronunciat, non omnino iniuſtè, ſed quodammodò iniuſtè facit, poſteriori caſu, quamuis aduerſus ius legitimum iudicet, non contra præcepta iuris naturalis, tamen eſt verè & propriè iniuſtus. quamobrem grauiùs hoc caſu punitur, tamquàm ex delicto. prior autem caſus refertur à iuris auctoribus inter quaſi delicta. D. de iudic. l. filiusfam. 15. & de extraord. cognit. l. vlt. & Inſt. de oblig. quæ qu. ex del. in pr.

Cap. XIV.

Vulgarium quarumdam opinionum examinatio.

56 DIfficile eſt eſſe iuſtum, vel iniuſtum: quia vt aliquis talis dicatur, non ſufficit eum hoc vel illud agere, putà depoſitum reddere, vel alium verberare: ſed opus eſt, vt certo modo affectus agat, nempe ex prælectione: quod non facile eſt.

57 ¶ Dif-

57 ¶ Difficile quoque eſt noſſe,quæ verè & omnino, non ex accidẽti iuſta vel iniuſta ſunt. nam quæ legibus iubentur, aut prohibentur,niſi certo modo agantur,non ſunt iuſta vel iniuſta,niſi ex accidenti.

58 ¶ Vir iuſtus poteſt aliquem lædere,vt vir fortis poteſt clypeum abiicere.ſed malè hinc colligunt viro iuſto facilem eſſe iniuriæ illationem.neque enim iniuriam facit, qui alterum lædit, niſi ex prælectione ſeu conſultò agat: vix autem fieri poteſt,vt vir iuſtus iniuſta præeligat.

59 ¶ Ius eſt res humana,& hominum propria:nec tamen in omnes cadit:non enim cadit in improbos & inſanabiles: ſed tantùm in eos,qui in bonis externis verſantur, & in his nimium,vel parum,vel quod æquum eſt,habere poſſunt.multò minùs beſtiis communicatur:quia beſtiæ in eiuſmodi bonis non verſantur.& vt non ſunt iniuriæ capacia. D. ſi quadr. pauper.feciſſe dicat.l.1.§.ait prætor.ita etiam ius non participan᷑.Quod autem Vlp. D.de iuſt. & iu.l.1. §. ius naturale.& Iuſtinianus Inſt.de iu.nat.in pr.brutis ius naturale tribuunt, non poteſt admitti,niſi πάνυ καταχρηστικῶς.

Cap. XV.

De æquitate & æquo,

60 SIc ſe habet æquitas(quam etiam humanitatem & benignitatem auctores iuris appellant) vt æquum (quod etiam bonum & æquum vocatur)ad ius. Cap.10.

61 ¶ Aequum eſt ius,quo ius legitimum corrigitur,id eſt, limitatur: quia ius legitimum generaliter concipitur. ſuprà ax.42.& quibuſdam ſpecialibus caſibus iniquum reperitur propter varias factorum circumſtantias. verbi gratiâ, lex iubet depoſitum domino reſtitui: non tamen gladius à depoſitario reddi debet domino furioſo. Vide l.bona fides. 31. ff. depoſ.

62 ¶ Aequum igitur eſt iure præſtantius:non tamen omni iure:nam ipſum quoque æquum eſt ius quoddam: ſed eo iure,quod Ariſtoteles ἀκριβοδίκαιον,Latinę lingue auctores ſummum ius, vt in eo prouerbio, *ſummum ius ſumma iniuria:* iuris conditores ius ſtrictum.C.de iudic.l.placuit.8.Doctores rigorem iuris appellant.

69 ¶ Tam pati, quàm facere iniuriam, mala ſunt: quia illud eſt nimium, hoc eſt parum: iuſtitia verò & virtus in medio conſiſtit.

70 ¶ Deterius eſt iniuriam facere, quàm pati: quia in hoc non eſt improbitas, illud autem vitio & improbitate non caret.

71 ¶ Intellige deterius per ſe. nam per accidens fieri poteſt, vt iniuriam pati, fiat maius malum: veluti ſi quis ob eam cauſam, quòd iniuria ſit affectus, ſeipſum interimat, vt Aiax. ſimiliter medicus ait morbum lateris eſſe grauius malum, quàm pedis offenſionem, licèt hæc ex accidenti poſſit magis obeſſe, veluti ſi quis ob offenſionem cadat, & ab hoſtibus capiatur, & iuguletur.

72 ¶ Quod ponit Plato ius eiuſdem erga ſeipſum, defendi aliquo modo poteſt ratione diuerſarum animæ facultatum, inter quas eſt ius quoddam herile ſiuè œconomicum: quia facultas rationalis debet rationi imperare, vt pater familiâs ſuæ familiæ.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER L.

ETHICORVM SEXTVS.

CAP. I.

Quid ſit virtus intellectiua.

HVCVSQVE de virtutibus moralibus: iam dicendum de intellectiuis: ſimúlque explicandum, quid ſit recta ratio, à quâ diximus mediocritatem definiri, & virtutes morales regi, lib. 2. axio. 11. Cap. 1. & 2.

2 ¶ Superioris libri cap. vlt. ſeiuncta fuit

animæ facultas rationalis ab irrationali: nunc tenenda eſt diuiſio animæ rationalis in contemplatiuam, & practicam: quarum illa cognitionis tantùm, hæc etiam actionis principium eſt.

3 ¶ Tria namque ſunt in anima cognitionis principia, ſenſus, intellectus, appetitus. ac ſenſus quidem nullius actionis principium eſt: alioquin etiam in bruta actio caderet. intellectus verò & appetitus ſunt etiam actionis principia: intellectus, inquam, practicus, non contemplatiuus.

4 ¶ Proximum actionis principium eſt prælectio: remotiſſimum eſt intellectus. etenim practicus intellectus bonum à malo diſcernit: eum ſequens appetitus, bonum expetit, malum fugit: ex appetitu autem intellectiuo oritur prælectio, quæ eſt actionis cauſa proxima.

5 ¶ Prælectio igitur, vt eam à cauſis efficientibus definiam, eſt intellectus appetitiuus, id eſt, appetitú excitans: vel potiùs, appetitus intellectiuus, id eſt intellectui obtemperans. Plura de prælectione dicta ſunt lib. 3. cap. 2. & 3.

6 ¶ Virtutis intellectiuæ duplex deſcriptio ab Ariſtotele affertur. I. Mentis habitus optimus. II. Habitus, quo intellectus maximè aſſequitur, ſiue enunciat verum.

Cap. II.

De habitibus animi ad veritatem pertinentibus.

Cap. 3. 7 QVinque ſunt habitus, quibus intellectus ſemper verum aſſequitur, numquàm fallitur: ars, ſcientia, prudentia, intelligentia, & ſapientia. nam exiſtimatione ſiue opinione tam contingere poteſt, vt animus fallatur, quàm vt verum enunciet.

Cap. III.

De ſcientia.

8 DE ſcientia pluribus actum eſt in poſterior. Analyt. ex quibus pauca hîc delibabimus. I. Quod ſub ſcientiam cadit, non poteſt aliter ſe habere, ſed eſt neceſſarium & æternum. II. Omnis ſcientia, & quicquid ſub ſcientiam cadit, doceri ac diſci poteſt. Vnde Ariſtoteles libr.

1. Metaph.

1.Metaph. cap.1.ſcientis ſignum eſſe ait poſſe docere. idémque lib.1.poſter. Anal.cap.1.cùm ſcientiam ſignificare vellet, doctrinam & diſciplinam appellauit. III. Omnis ſcientia ex principiis præcognitis acquiritur. IV. Scientia eſt habitus demonſtratiuus, id eſt, per demonſtrationem comparatus. V. Principia ſunt notiora concluſione.

Cap. IV.

De arte.

9 Actio & affectio differunt: quoniam actio non relinquit aliquod opus poſt ſe,ſed ipſa eſt vltimus finis,vt actio iuſta, vel liberalis: effectio verò poſt ſe relinquit opus,quod eſt finis effectionis,& poſt effectionem manet:ſicut poſt ædificationem ſunt ædes, poſt confectionem calcei eſt calceus,poſt conſtructionem nauigij eſt nauigium. Cap.4.

10 ¶ Ars eſt habitus cum recta ratione effectiuus.

11 ¶ Vniuerſæ artes in eo poſitæ ſunt,vt diſquirant,quomodo fiat aliquid ex iis,quæ poſſunt eſſe & non eſſe:& quorum principium eſt in eo qui facit,non in eo quod fit.

12 ¶ Hinc diſtinguitur ars à natura, quæ eſt principium internum,2.Phyſ.cap.1.

13 ¶ Rectè Agathon dixit artem diligi à fortunâ, & inuicem fortunam diligi ab arte: quia vtraque in iiſdem rebus,id eſt,in contingentibus,quæ ſic & aliter ſe habere poſſunt,verſatur.

14 ¶ Inertia,quæ eſt arti contraria, & à Græcis vocatur ἀτεχνία, eſt habitus cum falſa ratione effectiuus.

15 ¶ Vera ars in iis cernitur,quæ ad vitæ vtilitatem ſpectant:reliquæ verò ſunt κακοτεχνίαι, id eſt, prauæ artes, vt magia,& veneficium,vel ματαιοτεχνίαι,id eſt,inanes artes,vt geomantia,chiromantia.

Cap. V.

De prudentia.

16 Viri prudentis proprium eſt ea perſpicere, quæ bona & ex vſu ſunt,non ad aliquem finem particularem,verbi gratiâ ad bonam valetudinem,vel ad vires corporis,ſed in vniuerſum ad vitam beatam conducunt. Cap. 5.

17 ¶ Prudentia diſtinguitur. I. A ſcientiâ:quia prudentia eſt rerum contingentium,quæ ſub actionē cadunt:ſcientia verò eſt rerum neceſſariarum, quæ ſub actionem non cadunt. II. Ab arte:quoniam ars in iis ſpectatur,quę efficiuntur:prudentia verò in iis,quæ aguntur.

18 ¶ Prudentia namque eſt habitus cum vera ratione actiuus in iis quæ homini bona aut mala ſunt.

19 ¶ Prudens itaque ea cognoſcit, quæ ſibi vtilia ſunt, vel familiæ,vel reipublicæ,vt Pericles,& alij ſimiles.

20 ¶ Prudentia eſt virtus actiuam animæ rationalis partem perficiens,& appetitum gubernans:adeo vt nec ſine recta ratione,nec ſine recto appetitu eſſe poſſit.

21 ¶ Quocirca ſicut virtutes morales ſunt ſcientiis & artibus firmiores & diuturniores, vt dictum fuit libr. 1. cap. 11. partic. 12. ita etiam prudentia, quæ ratione vſus, per quem perpetuò confirmatur,obliuioni tradi non poteſt.

Cap. VI.

De intelligentia.

Cap. 6. 22 INtelligentia eſt cognitio primorum principiorum, quorum non eſt ſcientia:quia demonſtrari non poſſunt, vt 1.lib. Poſter. Analyt.probatum fuit. Vide etiam vlt. cap.2.libri eiuſdem operis.

Cap. VII.

De ſapientia.

Cap.7. 23 SApientia duobus modis accipitur. I. In parte ſeu ſecundum quid, vt cùm Phidias dicitur ſapiēs ſculptor,Zeuxis ſapiens pictor. II. Simpliciter & vniuerſaliter: in quo ſenſu ſapientiam nunc accipimus.

24 ¶ Hæc ſapientia eſt habitus contemplatiuus, conſtās ex intelligentiâ principiorum,& ſcientiâ concluſionum,habens,inſtar capitis,cognitionem rerum honeſtiſſimarum, id eſt, primam philoſophiam, quę verſatur in Deo & intelligentiis abiunctis à materia.

25 ¶ Sapientia differt à Politica,& à prudentia : I.Quia eſt præſtantior, eò quòd ſubiectum præſtantius habet. nam ſapien-

ſapientia in rebus diuinis, prudentia in humanis verſatur. II. Quia ſapientia eſt vna;prudétiæ verò plures: quippe cùm aliud alij bonum ſit,quod perſequi debet, ſiue alius priuatus homo ſpectetur, ſiue alia reſpublica. III. Quia ſapientia nullo modo communicatur brutis: quædam tamen bruta animalia vocantur prudentia: quia ſibi vtilia poſſunt inuenire. Vide lib. 1. Metaphyſ. cap. 1. IV. Quia ſapientia verſatur in rebus diuinis & æternis, quarum cognitio non eſt vtilis, ſed honeſta: prudentia verò in rebus humanis & vtilibus, quæ ſub actionem cadunt: vnde Periclem vocamus prudentem, vt ſuprà notaui, non ſapientem: Anaxagoram autem ſapientem, non prudentem. V. Quia ſapientia eſt cognitio dumtaxat vniuerſalium: prudentia verò etiam particularium. Cùm enim omnes actiones in rebus particularibus cernantur, vir prudens vel vtramque cognitionem habere debet tam vniuerſalem quàm particularem, vel potiùs hanc quàm illam.

26 ¶ Quem locum obtinet inter cognitiones contemplatiuas metaphyſica, quam diximus eſſe inſtar capitis, axio. 24. eundem habet Nomothetica, id eſt, legiſlatrix inter cognitiones practicas: quod ex ſequentibus apparebit.

Cap. VIII.

Species prudentiæ.

27 PRudentia & Politica re idem ſunt, ratione differunt: vt virtus & iuſtitia. ſupr. lib. 5. cap. 2. partic. vlt. nam vtrique bonum humanum propoſitum eſt: ſed prudentia bonum proprium, politica bonum commune quærit: & prudens ſibi, politicus aliis laborat. Quare prudentia propriè accepta virtuti, politica iuſtitiæ proportione quadam reſpondet. Cap. 8.

28 ¶ Prudentia latè ſumpta diuiditur in propriam & communem: propria ſuum bonum quærit: communis bonum alienum, vt familiæ vel ciuitatis. Itaque prima vocari poteſt Ethica: ſecunda, Oeconomica: tertia, Politica. Hæc ſubdiuiditur in rationem legum ferendarum, quam Græci Nomotheticam, nos legiſlatricẽ dicere poſſumus: & ciuilem ſeu politicã propriè acceptam, id eſt, rationẽ adminiſtrandæ

reipublicæ: quæ quidem adminiſtratio partim ſpectatur in ſenatu & deliberationibus, partim in iudiciis. Quocirca prudentiæ genera hæc ſunt, Ethica, Oeconomica, Nomothetica, Senatoria, & Iudicialis.

29 ¶ Quia vulgus exiſtimat tantùm proprium bonum, non alienum quærendum eſſe, idcirco eos ſolos prudentes iudicat, qui ſuas res agunt: Viros autem politicos putat eſſe potiùs πολυπράγμονας, id eſt, curioſos & negotioſos, quàm prudentes. Vnde factum eſt, vt prudentiæ vocabulum anguſtè acceptum, iis ſolis tribuatur, qui ſuum bonum quærunt.

30 ¶ Hæc tamen vulgaris opinio falſa eſt: quia proprium bonum à communi ſeiungi nec poteſt, nec debet: & qui commune bonum non intelligunt, proprium quoque bonum ignorent neceſſe eſt: quandoquidem deliberationis concluſio particularis eſt, quæ colligitur ex principiis vniuerſalibus. vtputà emendæ mihi ſunt ædes: quia quicumque propriis ædibus caret, migrare ſæpe cogitur magno cum incommodo & ſuppellectilis detrimento. Adde, quòd homo, (vt ſcribit Ariſtoteles Polit. lib. 1. c. 1. part. 12. & lib. 3. cap. 4. partic. 3.) eſt animal maximè ſociabile & politicum, adeo vt vita humana extra ſocietatem ciuilem non conſiſtat. Ergo ſecundum præceptum Ariſtoteles Topic. lib. 2. cap. 2. partic. 5. loquimur vt multi, ſed non ſentimus vt multi. nam prudentiæ vocabulum ita accipimus, vt vulgus accipit, id eſt, eos vocamus propriè prudentes, qui ſuum bonum quærunt: iudicamus tamen eos eſſe verè, propriè, & maximè prudentes, qui reipublicæ bonum quærunt.

Cap. IX.

De bona conſultatione.

Cap. 9. 31 QVia bona conſultatio eſt prudentiæ propria (prudentis enim eſt rectè conſultare, & ſalubria conſilia capere de iis quæ ad vitam rectè degendam pertinent) idcirco de bona conſultatione in præſentia dicemus.

32 ¶ Bona conſultatio, quam Græci εὐβουλίαν appellant, I. Non eſt ſcientia: quia non quærimus ea, quæ ſcimus, conſultans autem quærit, & conſultatio eſt inquiſitionis ſpecies. II. Non eſt εὐστοχία, id eſt, bona coniectatio: quia hæc ſine ratione, & velox quiddã eſt, conſultans verò, longo tẽpore ratio-

ratiocinatur.vnde rectè iubemur diu conſultare,celeriter autem exequi id,de quo conſultauimus.Iſocr.ad Demonicum, βουλεύου μὲν βραδέως,ἐπιτέλει δὲ ταχέως,τὰ δόξαντα.Salluſtius in bello Catilinario,*Priuſquàm incipias,conſulto,& vbi conſulueris,maturè facto opus eſt.* III. Non eſt ἀγχίνοια,id eſt,ſagacitas:quia ſagacitas eſt ſpecies bonæ coniectationis, qua ſcilicèt medium demonſtrationis facilè inuenitur. I. poſter. Anal.cap.vlt. IV. Non eſt opinio:quia id, quod opinamur, non quærimus : id verò,de quo conſultamus,quærimus.

33 ¶ Quia malè conſultans peccat, bene autem conſultans rectè conſultat:perpiſcuum eſt bonam conſultationem eſſe rectitudinem conſultationis.

34 ¶ Vt bona conſultatio dicatur,tria requiruntur. I. Vt ſit bonus finis propoſitus. II. Vt bonis mediis ille finis quæratur. III. Ne tempus deliberationis nimis longum ſit : quia per dilationem ſæpe amittitur occaſio rei bene gerendæ

35 ¶ Bona conſultatio in iiſdem rebus ſpectatur,in quibus prudentia verſatur.nam viri prudentis eſt bene conſultare,vt ſuprà notaui axio.31.

Cap. X.

De ſyneſi.

36 Syneſis,id eſt, perſpicientia eſt,à qua dicuntur συνετοί, Cap. 10.
id eſt,perſpicientes vel intelligentes. Ei opponitur ἀσυνεσία,id eſt,hebetudo,à qua vocantur ἀσύνετοι,id eſt, hebetes & tardi.

37 ¶ Syneſis differt à ſcientiâ:quia ſcientia eſt rerum neceſſariarum & æternarum:ſyneſis verò in rebus contingentibus ſpectatur,nec ad vllam ex ſcientis referri poteſt,putà nec ad Geometriam,quia non verſatur in rebus geometricis:nec ad Phyſicam,quia non verſatur in rebus phyſicis.Item differt ab opinione:quia opinio eſt quarumcumque rerum : ſyneſis in iis tantùm rebus cernitur,de quibus conſultamus.

38 ¶ Prudentiæ igitur eſt ſimilis: quia in iiſdem rebus verſatur.

39 ¶ Differt tamen à prudentia : quia prudentia præſcribit quid ſit agendum : ſyneſis iudicat , an rectè actum ſit.

40 ¶ Quemadmodum qui ſcientiâ vtitur, ab alio dicta intelligit: ita etiam qui in iis rebus, in quibus prudentia verſatur, opinione vtitur, & rectè de iis quæ ab alio dicuntur, iudicat *συνιέναι*, id eſt, intelligere ſeu percipere dicitur, atque ex ea perſpicientia, quæ in ſcientiæ vſu cernitur, factum eſt, vt *σύνεσις* etiam iis attribuatur, qui rectè in dictis rebus opinione vtuntur.

Cap. XI.

De ſententia.

Cap. 11. 41 Sententia quinque modis accipitur. I. Pro animi conceptione, vt in eo prouerbio, *Quot capita tot ſententiæ*: & apud Rethores, vbi controuerſiam quandam ponunt ex ſcripto & ſententiâ. II. Pro eo, quod verbis ſignificatur: vt cùm dicimus hanc eſſe verborum ſententiam. III Pro morali axiomate: veluti, *Obſequium amicos, veritas odium parit.* De quâ Quintilianus lib. 8. cap. 5. & Ariſtoteles Rethor. lib. 2. cap. 21. Vbi eam definit, enunciationem vniuerſalem de rebus eligendis aut fugiendis, quæ ſub actionem cadunt. IV. Pro iudicis pronunciatione, vt C. de ſentent. & inter loc. omn. iud. V. Pro recto iudicio viri boni & æqui. In quâ ſignificatione hîc accipitur.

42 ¶ Hæc à Græcis vocatur *γνώμη*. cuius ſpecies eſt *συγγνώμη*, id eſt, venia: (vnde dicimus virum bonum & æquum eſſe *συγγνωμικὸν*, id eſt, propenſum ad veniam in quibuſdam tribuendam) nam venia ſupponit culpam præcedentem: vnde Ouid. lib. 2. Triſt.

Sed niſi peccaſſem, quid tu concedere poſſes?
Materiam veniæ ſors tibi noſtra dedit.

Sententia verò ſine culpa præcedente eſſe poteſt.

Cap. XII.

Communia de prudentia, ſyneſi, ſententia, & intelligentia.

Cap. 12. 43 Omnes hi habitus, prudentia, ſyneſis, ſententia, & intelligentia, in rebus particularibus verſantur: quoniam ad actiones pertinent, quæ ſunt rerum ſingularium.

44 ¶ Ideóque

44 ¶ Ideóque videntur eſſe à natura:præſertim quia per ætatem & temporis curſum acquiruntur. quod de ſapientia dici nequit:quia eget doctrina & diſciplina.

45 ¶ Intelligentia in ſcientiis contemplatiuis eſt cognitio propoſitionum vniuerſalium:quatenus autem ſpectatur in demonſtrationibus prácticis, eſt cognitio particularium: quia in ſyllogiſmis prácticis non ſolùm concluſio eſt particularis,ſed etiam minor propoſitio. veluti, Bellum aduerſus finitimos eſt malum : atqui hoc bellum eſt contra finitimos:ergo eſt malum. Item maior propoſitio per inductionem probatur ex particularibus: veluti, Bellum Thebanorum contra Phocenſes, & bellum Athenienſium contra Thebanos fuit malum: ergo omne bellum contra finitimos fuit malum.

CAP. XIII.

De prudentiæ & ſapientiæ vtilitate,& præſtantia.

46 SApientia eſt vtilis, non quia ad agendum valeat, ſed quia eſt perfectio intellectus contemplatiui:adeo vt hominem beatum efficiat, ſicut ſanitas efficit ſanum.

47 ¶ Prudentiæ triplex eſt vtilitas. I. Valet ad agendum:quia vt virtus moralis rectum finem proponit, ita prudentia inuenit media, quæ ad eum finem conducunt. II. Vt prudentia ſine virtute morali eſſe nequit,ſed tantùm eſt ſolertia aut verſutia (nam ſolertia eſt facultas: cui ſi adiungatur bonus habitus, vocatur prudentia: ſi malus habitus, verſutia vel calliditas nominatur) ita virtus ſine prudentia eſſe non poteſt.Virtutem intellige propriè dictam,id eſt,habitum moralem,non virtutem naturalem, quæ à natura tribuitur,vt cùm dicitur aliquis naturâ propenſus ad liberalitatem,alius ad temperantiam,alius ad fortitudinem,alius ad aliam virtutem. nam hæ virtutes ſunt imperfectæ, niſi per habitum perficiantur:habitus autem non eſt ſine prudentia: quia per prudentiam ſuprà definitus fuit. III. Perficit intellectum practicum.

48 ¶ Virtutes naturales à ſe inuicem ſeiungi poſſunt: nam alij ad alias virtutes naturâ ſunt propenſi. ſed morales

non ſunt ſeparatæ: quia non ſunt ſine prudentia, & omnes prudentiam comitantur.

49 ¶ Sapientia prudentiæ præſtat. I· Quia præſtantiorem animæ facultatem perficit: etenim ſapiētia eſt in intellectu contēplatiuo, qui ſolus ex ſententia Ariſtotelis eſt immortalis & diuinus: prudentia verò eſt in intellectu practico. Vide cap. penult. libri decimi. II. Quia ſapientia verſatur in rebus diuinis: prudentia in rebus humanis, ſuprà axio. 25. memb. 4.

50 ¶ Quare prudentia Politica ceteris quidem practicis tam actiuis quàm effectiuis facultatibus imperat, vt dictum fuit lib. 1. cap. 2. non tamen imperat ſapientiæ, ſed tantùm curat, vt ſapientia in ciuitate floreat: quemadmodum non imperat Deo aut theologiæ, ſed curat vt Deus in republica colatur, & vera theologia ab omnibus recipiatur.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LI.

ETHICORVM SEPTIMVS.

CAP I.

De triplici habituum & diſpoſitionum moralium genere.

Cap. 1. TRIA ſunt in moribus fugienda, vitium, incontinentia, feritas: & tria illis contraria laudanda, virtus, continentia, & virtus heroica. quamquàm pauci ſunt heroës, & pauci ferino ſeu belluino habitu præditi.

2 ¶ Heroës ſunt, qui propter excellentiam quandam virtutis omnibus hominibus antecellere videantur: ideóque à veteribus diuinos honores

honores ſunt conſecuti, vt Hercules, Theſeus, Romulus, Cæſar.

3 ¶ Belluina feritas reperitur I. Apud barbaros: quales ſunt noui orbis incolæ, qui humanas carnes vorant, & alia hominibus indigna faciunt. II. In iis, qui propter morbum vel mutilationem aliquam euadunt immanes & feri. III. In iis, qui vitiis ceteros mortales ſuperant, vt venefici illi, qui ſe diabolo dedunt, & eius miniſtri ad mala perpetranda fiunt, ſi vera ſunt quæ de iis circumferuntur.

5 ¶ Continentia & tolerantia à virtute, item incontinentia & mollities à vitio differunt, vt diſpoſitiones ab habitibus, ſicut ex ſequentibus intelligetur.

Cap. II.

Τὰ φαινόμενα, id eſt, quæ vulgò tribuuntur diſpoſitionibus ethicis.

7 QVæ de continentia & incontinentia vulgò dicuntur, hæc ferè ſunt. I. Continentia & incontinentia in rerum bonarum, incontinentia verò & mollities in rerum malarum numero ſunt. II. Continens permanet in eo, quod ratio præcipit: incõtinens ab eo deſciſcit. III. Tam incontinens quàm continens ſciunt voluptates & cupiditates quaſdam eſſe malas: ſed hîc nihilominùs eas ſequitur, ille autem ab eis abſtinet: quia ille à ratione reuocatur, hunc verò animi perturbatio trahit, & quouis impellit. IV. Magna eſt inter continentiam ac temperantiam affinitas: adeo vt eum, qui temperans ſit, etiam continentem eſſe ſtatuant: eum verò qui ſit continens, alij temperantem eſſe affirmant, alij negant. V. Similiter tanta eſt incontinentis & intemperantis ſimilitudo, vt quidam vtrumque pro eodem accipiant: alij verò inter eos diſtinguunt. VI. Eum qui prudens ſit, modò continentem eſſe affirmant, modò negant. VII. Continentes & incontinentes dicuntur aut voluptatis, aut iræ, aut honoris, aut lucri.

Cap. III.

Dubitationes.

6 QVæritur, an incontinens aliter agendum ſentiat, quàm ipſe agat. Variæ ſunt hac de re opiniones. Cap. 2.

I. Socrates exiſtimauit omnes peccare per ignorantiam: ſcientiam enim eſſe habitum ita firmum & certum, vt nihil ſit in homine, quod ei repugnare poſſit. Sed hæc ſententia repugnat manifeſtæ experientiæ: multi namque ea agunt, à quibus eſſe abſtinendum non ignorant, vt Medea, quæ apud Ouid.7.Metam.

---- *Video*, inquit, *meliora probóque,*
Deteriora ſequor. --------

II. Alij dixerunt incontinentem non agere contra ſuam ſcientiam, ſed contra ſuam opinionem: quia opinio eſt imbecillior, quàm ſcientia. Hæc quoque ſententia falſa eſt: cùm quia ſi in leui opinione incontinens ob vehementes cupiditates non permaneret, venia dignus eſſet: tum etiam quia nonnulli non minùs opinione mouentur, quàm alij certâ ſcientiâ, infrà cap. prox. partic.4. quod exemplo Heracliti confirmari poteſt, & multò magis aliorum adeò exiſtimantium omnia eſſe in continuo fluxu & incerta, vt reprehenderint Heraclitum dicentem non poſſe idem his aſſeri: cenſuerunt enim ne quidem ſemel verè dici poſſe: ideóque non loquebantur, ſed digitum mouebant, teſte Ariſtotele lib.3.Metaph. cap.5. III. Alij dixerunt incontinentem agere prudentiâ repugnante. Cuius ſententiæ falſitas ex eo apparet, quòd eundem faciunt prudentem & incontinentem: ac ponunt prudentem malè agere, quod ſuprà traditis repugnat.

Cap. IV.

Vtrùm incontinens peccet ſciens, an ignorans.

Cap.3. 7 Reprobatis aliorum ſententiis, Ariſtoteles aliquot diſtinctiones explicar, ex quibus apparer, quomodo fieri poſſit vel non poſſit, vt ſciens peccet. I. Diſtinguitur inter habitum & actum. nam habens ſcientiam, vel eâ vtitur, vel non vtitur. abſurdum igitur eſt, ſi vtens ſcientiâ peccare dicatur. ſed nihil prohibet, quominùs ſciens peccet, quia ſcientiâ non vtitur. II. Diſtinguitur inter maiorem propoſitionem, quæ eſt vniuerſalis, & minorem, quæ eſt particularis. nam contingere poteſt, vt vniuerſalem ſciat, particularem actu ignoret, vel vtramque ſciat, ſed tantùm vniuerſali

uerſali vtatur, non particulari, quæ eſt proximum principium actionis. Vt autem intelligatur, quænam particularis propoſitio vniuerſali cognitâ poſſit vel non poſſit ignorari: notandum eſt, alias ſpectari in ipſo agente, alias in re ipſa extra agentem. Verbi gratiâ, ſit maior propoſitio vniuerſalis, *Omnis homo iuſtè agere debet*, ſub hac continentur duæ minores particulares, à quibus efficiuntur duæ concluſiones. nam ſi addatur, *ego ſum homo*, concludetur mihi eſſe iuſtè agendum. ſi verò adiiciatur, hoc eſſe iuſtum, putà reddere domino rem in littore maris inuentam: concludetur, hanc eſſe rem reddendam. illa igitur propoſitio, *ego ſum homo*, non poteſt ignorari: quis enim ita ſeipſum ignorat: ſed altera poteſt actu ignorari, licèt vniuerſalis, ſub quâ continetur, cognita ſit. Quid ergo vetat, eum, qui ſcit iuſtè agendum eſſe, non reddere rem domino, quam in littore inuenit, atque ita iniuſtè agere: vel quia neſcit hoc eſſe iniuſtum, vel quia hac ſcientia non vtitur. Vide Prior. Anal. lib. 2. cap. 21. & Poſt. lib. 1. cap. 1. III. Scientia vel impeditur, putà ſomno, ebrietate, morbo, vel non impeditur, vt in homine vigilante & mentis compote. Quocirca fieri poteſt, vt ſciens peccet: quia ſcientia impeditur aliquâ ex dictis affectionibus, vel vehementibus cupiditatibus, ſicut viro incontinenti accidit. nam ira, amor, & aliæ animi perturbationes, ſi vehementes ſint, non minùs rationem conturbant, quàm ebrietas, & aliæ ſimiles cauſæ: quod ex eo confirmare licet, quia etiam corpus mutant, & quoſdam ad infamiam redigunt. Si obiicias incontinentes poſſe ſententias à ſcientiâ ductas pronunciare: reſpondebo, eos eſſe ſimiles pueris, & hiſtrionibus poëtarum carmina & ſententias recitantibus, etiamſi fidem eis non habeant, vel eas non bene intelligant. IV. Diſtinguitur inter facultatem animæ rationalem, & concupiſcibilem. nam aliud ratio dictat, aliud cupiditas appetit: quia rationis obiectum eſt veritas & honeſtas: cupiditatis autem iucunditas ſeu voluptas: quæ obiecta ſæpenumero re ipsâ ſeparantur, ita vt aliud ſit honeſtum, aliud iucundum. Vtraque igitur animæ pars, cùm vim mouendi habeat, hominem ad agendum & ad ſuum obiectum impellit: nempe ratio ad id quod eſt honeſtum, cupiditas autem ad id quod eſt iucundum. Denique quod Hippocrates de corpore, nos de anima pronun-

ciamus.ſicut enim ille ait,ſi homo eſſet ſimplex, id eſt, ſi ex vno, non ex quatuor elementis conſtaret, non doleret: ita nos dicimus,ſi homo eſſet ſimplex,id eſt,ſi vnam facultatem animæ haberet, non peccaret. Vt hanc doctrinam exemplis illuſtremus, Adamus ſciebat obtemperandum eſſe Dei præcepto, ac Deum prohibuiſſe ne pomum comederet, ideóque non fuiſſe pomum illud comedendum:ſed ex altera parte videbat pomum illud eſſe iucundum & ſuaue: proinde illud appetebat.atque in eo appetitus præualuit,cùm aliò appetitus, aliò ratio eum traheret. Similiter Medea ſciebat non eſſe prodendum Iaſoni vellus aureum: ſed amor & pulchritudo Iaſonis eam ad proditionem impellebat: idcirco varias in partes diſtrahebatur, & verè dicebat apud Ouid.7 Metamorph.

---- aliúdque cupido.
Mens aliud ſuadeat:video meliora,probóque:
Deteriora ſequor. ---------

Porrò nemini mirum videri debet, quòd appetitus rationi repugnet:quoniam appetitus,vt paulò antè dixi,non ſpectat honeſtatem,ſed iucunditatem, in quam fertur tamquàm in proprium obiectum:ac ſæpe contingit,vt id,quod eſt iucundum,minimè ſit honeſtum.Ex dictis concludo, ſcientię nec ſcientiam eſſe contrariam,nec opinionem,ſed cupiditatem.

8 ¶ Quia incontinens cupiditate ductus,contra rationẽ agit,id eſt, quia ratio à cupiditate ſeparatur: perſpicuum eſt, beſtias,quæ ratione carent, non poſſe vocari incontinentes.

9 ¶ Incontinentem pœnitet,cùm ſatisfecit cupiditati: quia tunc cupiditas non agit: proinde remoto cupiditatis impedimento,ratio liberè operatur, quæ à malè agendo reuocat. quod enim dormienti affert expergiſcentia, ægroto conualeſcentia,ebrio vini digeſtio,idem in incontinente efficit expleta cupiditas. etenim in his omnibus,remoto impedimento,vſus rationis cernitur.

CAP. V.

An ſit aliquis ſimpliciter & abſolutè incontinens, & in quibus verſetur.

Cap. 4. 10 COntinens & incontinens propriè & ſimpliciter accepti verſantur in iiſdem voluptatibus, in quibus tem-

bus temperans & intemperans,id eſt,in voluptatibus corporeis,quæ ex cibo,potu,& rebus Venereis percipiuntur. ceteros non vocamus abſolutè & ſimpliciter continentes vel incontinentes: ſed per ſimilitudinem, & cum adiectione aliqua,veluti incontinentes iræ,vel lucri,vel honoris.

11 ¶ Similiter belluinarum vel morboſarum voluptatum & cupiditatum non dicuntur propriè continẽtes vel incontinentes,ſed per ſimilitudinem,& ſecundum quid.Belluinas voluptates appello,quibus ob deprauatam & vitioſam naturam barbari delectantur,veluti qui crudis aut humanis carnibus vefcuntur. morboſas verò eas voco,quarũ cauſa eſt vel morbus corporis,vt cùm mulier prægnans carbones & calcem comedit, vel praua conſuetudo, vt in iis, qui pilos euellunt,& vngues rodunt: Cap.5.

Cap. VI.

Diſtinctio inter continentem ſimpliciter,& quoſdam incontinentes metaphoricè,ſeu ſecundum quid.

12 INcontinentiam cupiditatis turpiorem eſſe quàm incontinentiam iræ,probatur, I. Quia iratus quodammodo rationem ſequitur: ratio namque iniuriam oſtendit, ob quam iratus commouetur,perinde ac ſi ratio vlciſci iuberet.Itaque rationem audit,ſed negligenter & confusè,vt miniſtri præproperi, qui priuſquàm totum iuſſum exaudiant, exiliunt, ideóque aberrant: & vt canes qui ſtrepitu audito prius latrant,quàm attenderint an ſit amicus,néc ne: cupiditas autem nullomodo rationem audit. II. Quia ira eſt magis naturalis,quàm cupiditates illæ immoderatæ, quas incontinens perſequitur. III. Quia cupidi fallunt,& inſidiantur:(vnde Venus a Græcis vocatur δολόπλοκος,id eſt,doloſa ſeu dolos nectens)irati autem minimè inſidiantur. IV. Quia cupidus mouetur voluptate,quam expetit:iratus autem dolore acceptæ iniuriæ:proinde hic eſt tolerabilior. Cap.6.

13 ¶ Inter feras beſtias & homines vitioſos hoc intereſt, quòd illę ratione carẽt,hi rationẽ deprauatam habẽt, quâ ad malè agendum abutuntur.ergo feritas eſt horribilior, quàm vitium:quia feritas eſt,ſine ratione, vitium eſt cum ratione, quamuis corrupta.ſed feritas minùs nocet, atque eſt infirmior:quia caret principio, id eſt, ratione. Quocirca multò

maiora mala proficiſcuntur ab homine improbo, quàm à bellua.

Cap. VII.

Diſtinctio habituum, & diſpoſitionum, quæ in voluptatibus corporeis verſantur.

Cap. 7. 14 Continens ſuperat cupiditates, à quibus multi vincuntur: incontinens trahitur & ſuperatur à cupiditatibus, quas multi cohibent: tolerans reſiſtit doloribus, à quibus multi vincuntur: mollis eſt inferior doloribus, quibus multi ſunt ſuperiores.

15 ¶ Temperans & intemperans agunt ex prælectione: incontinens & mollis agunt ſine prælectione.

16 ¶ Vt continentiæ incontinentia: ita tolerantiæ mollicies opponitur.

17 ¶ Continentia eſt melior, quàm tolerantia.

18 ¶ Delitiæ ſunt ſpecies mollitiei. nam delicatus eſt, qui pallium (exempli causâ) trahit, ne in eo attollendo moleſtiam aliquam ſubeat:

19 ¶ Ludo deditus, non eſt intemperans, ſed mollis & delicatus: quia ludus eſt animi remiſſio & ceſſatio quædam ſeu requies à laboribus.

20 ¶ Incontinentiæ duæ ſunt ſpecies, temeritas, & imbecillitas. temerarij ſine deliberatione confeſtim rapiuntur à perturbatoribus: quod maximè contingit acuta vel atra bili laborantibus: nam illi propter celeritatem, hi propter vehementiam non expectant rationem, ſed id ſequuntur, quod ſtatim apparet. imbecilles autem in iis non permanent, quæ deliberata fuerũt. atque hi ſunt illis deteriores: quoniam illi à vehementioribus cupiditatibus ſuperantur, & quidem ſine deliberatione antegreſſa. Quapropter vt turpiùs peccant, qui armati à paucis hoſtibus vincũtur, quàm qui inermes à multis ſuperantur: ita turpior eſt incontinens infirmus, quàm incontinens præceps & temerarius.

Cap. VIII.

Diſtinctio intemperantis, & incontinentis.

Cap. 8. 21 Incontinens & intemperans differunt, atque intẽperans eſt deterior incontinente. nam. I. Incontinentem

nentem pœnitet,intemperantem non pœnitet:ideópue intemperantia eſt morbus quidam animi continuus: incontinentia verò intermiſſionem habet. II. Intemperans peccat,& voluptatem perſequitur,etiam ſi nullâ aut leui cupiditate afficiatur: incontinens autem à vehemenribus cupiditatibus rapitur. III. Intemperans non eſt ſanabilis, incontinens ſanari poteſt:quia in illo ratio eſt corrupta, in hoc eſt integra. IV. Intemperantia eſt vitium latens, quia intemperans ſibi perſuadet ita eſſe viuendum,vt ipſe viuit: incontinentia non latet,quia(vt ſuprà dixi) incontinens videt meliora probátque, licèt deteriora ſequatur. V. Intemperantia eſt vitioſitas, & intemperans eſt malus & improbus: incontinens verò eſt ſemimalus.

Cap. IX.

De proæreſi continentis,& incontinentis.

22 REcta ratio & recta prælectio eſt, in quâ continens permanet ſuperatis contrariis voluptatibus, incontinens verò non permanet. ſed qui in praua ſententia obfirmatus eſt, pertinax potiùs, quàm incontinens eſt appellandus. Cap. 9.

23 ¶ Pertinacium alij ſunt ἰδιογνώμονες, qui proprias ſententias habeant, ac ſimiliores ſunt incontinentibus, quàm continentibus:alij indocti & ruſtici.

24 ¶ Qui iuſta de cauſa ſententiam mutant, non ſunt vocandi iniuſti, vt Neoptolemus, qui ab Vlyſſe perſuaſus, Philocteti mentitus fuerat,fingens ſe eum in patriam reducturum,cùm Troiam reduceret.Vnde Philoctetes,agnito Vlyſſe, quem ſummo odio proſequebatur, relictis Neoptolemo ſagittis,in ſuum antrum reuerſus eſt, Neoptolemi perfidiam diris proſecutus.at Neoptolemus,facti pœnitentiâ ductus,quòd Philoctetem immeritum feſelliſſet, ſagittas inuito Vlyſſe ei reſtituit,& blandis verbis,vt ad Troiam nauigaret,perſuaſit.

Cap. X.

Quatenus vera ſunt,quæ vulgò continentibus & incontinentibus tribuuntur.

Cap.10. 25 INcontinens magis quàm par eſt, voluptatibus ducitur. ei contrarius, nomine caret, qui minùs, quàm oportet, voluptates curat. inter hos medius eſt continens. atque hic eſt laudandus: illi duo, vituperandi.

26 ¶ Continens voluptatibus corporeis afficitur, hiſque præter rationem delectatur, quamuis ratione duce ab eis abſtineat: temperans verò præter rationem voluptatibus nec afficitur, nec delectatur.

27 ¶ Prudens non eſt incontinens: ſed ſolers poteſt eſſe incontinens. Differentiam prudentis & ſolertis vide ſuprà libr.6. axiom.47.

CAP. XI.

Reliqua de continentia & incontinentia.

28 COntinens magis, incontinens minùs, quàm plerique, in recta ratione & recta ſententia permanent.

29 ¶ Sanabilior eſt incontinens temerarius, quàm incontinens imbecillus. item ſanabilior eſt incontinens conſuetudine, quàm incontinens naturâ. etenim conſuetudo eatenus nullo modo, aut non facilè ſanari poteſt, quatenus ſimilis eſt naturæ. vndè dici ſolet, conſuetudinem eſſe alteram naturam.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LII.

ETHICORVM OCTAVVS.

Cap. I.

De amicitia dicendum proponit.

POST hæc, de amicitia diſſerendum eſt. I. Quia eſt res coniuncta cum virtute. II. Quia in vita humana eſt neceſſaria. Vnde M. Tullius in Lælio, *Solem*, inquit, *de mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.* III. Quia eſt res honeſta & laudabilis. ideóque φιλανθρώπους, & φιλοφίλους laudamus: μισανθρώπους, qualis fuit Timon Athenienſis, vituperamus. Cap. 1.

2 ¶ Vtilitas amicitiæ eſt multiplex. I. Vtile eſt habere amicos tam in ſecunda fortuna, vt ſint, in quos beneficia conferantur, & qui ab inuidis & inimicis nos tueãtur, quàm in aduerſa, vt opem & ſolatium ferant. II. Amici vtiles ſunt tam iuueni, propter ætatis lubricum, vt ab amicis moneatur, &, ſi quando labatur per ætatem, ab aliis corrigatur, quàm ſeni, propter imbecillitatem, vt amici ei miniſterium præbeant, & in actiōnibus ſubeundis defectum ſenilem ſuppleant: item iis, qui ſunt in florenti ætate, quò faciliùs honeſtas actiones edant. quâ ratione Diomedes apud Homerum, noctu Troianorum caſtra ſpeculatum profecturus, ſocium ſibi adiungi petit. III. Amicitia ciuitates & reſpublicas continet, & conſeruat. nam concordia eſt amicitia quædam, quæ, vt in republica floreat, magis legiſlatori curæ eſt, quàm vt iuſtitia colatur. Valeat enim Machiauelli error, diſcordiá in republica probãtis. Lõgè alia eſt bonorũ auctorum

ſententia. Cic. in Lælio, *Quæ domus*, inquit, *tam ſtabilis, quæ tam firma ciuitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditus poſſit euerti.* Ariſtoteles quoque diſcordiam cenſet eſſe reipublicæ morbum. & vt Ageſilaus probabat iuſtitiam præſtare fortitudini: quia ſi omnes ſint fortes, nihilominùs eſt opus iuſtitia: ſi verò omnes ſint iuſti, nihil opus eſt fortitudine. 3. Topic. cap. 2. partic. 7. Plutarch. in apopht. Ageſilai, apopht. 55. ita probat Ariſtoteles amicitiam eſſe præferendam iuſtitiæ: quoniam amici non egent iuſtitia, cùm ſponte ſua & dilectione impulſi ſibi inuicem proſint, non noceant: iuſti verò egent amicitia. Caue intelligas magis amicitiæ, quàm iniuſtitiæ rationem habendam, ita vt amicorum cauſâ quiduis etiam iniuſtum facere oporteat. nam amicitiam vtilitati, non honeſtati eſſe præferendam, rectè docet Cic. 3. de Offic. & idem in Lælio, *Ab amicis*, inquit, *honeſta petamus, & amicorum cauſâ honeſta faciamus.*

3 ¶ Amicitia à natura proficiſcitur, & naturaliter conſtat inter parentes & liberos, cum in omnibus animalibus, tum potiſſimùm in hominibus. Itaque rectè M. Tullius in Lælio, *A natura*, inquit, *mihi videtur potiùs quàm ab imbecillitate orta amicitia.*

Cap. II.

Dubitationes de amicitia.

4 DE amicitia dubitatur, I. Vtrùm ſit inter ſimiles, quia ſimile ſimili gaudet, ac ſimile ad ſimile tendit, & (vt eſt in prouerbio) gracculus ad gracculum: an inter diſſimiles, quia (vt alio prouerbio dicitur) figulus figulo inuidet, & ager aridus non ſiccitatem, ſed pluuiam expetit. II. Vtrùm amicitia ſit tantùm inter pares, an etiam inter impares, vt inter regem & ſubditum. III. Vtrùm ſit vnum, an plura amicitiæ genera.

Cap. III.

Quid ſit amabile, quidque amicitia, & amicus.

Cap. 2. 5 TRiplex eſt amabilis diuiſio. I. Amabile eſt vel honeſtum, vel iucundum, vel vtile. ſed quod eſt vtile, id vel ad honeſtatem confert, vel ad voluptatem. ideóque duo

ſunt

ſunt tantùm amabilia per ſe & tamquàm vltimi fines, videlicèt honeſtum,& iucundum. II. Aliud eſt ſimpliciter amabile, nempe quod eſt ſimpliciter bonum: aliud eſt huic vel illi amabile, nimirum quod eſt huic vel illi bonum. III. Aliud eſt verè amabile, quia eſt verè bonum: aliud videtur amabile,quia videtur bonum.

6 ¶ Amicitia à Cicero.in Lælio definitur, omnium diuinarum humanarúmque rerum cum beneuolentia & charitate conſenſio. Ab Ariſtotele autem definitur,beneuolentia mutua non latens. nam ſi duo ſe inuicem diligant, ſed neuter ab alio ſe diligi ſciat: hi non ſunt inter ſe amici, ſed tantùm beneuoli.

CAP. IV. & V.

Amicitia in tria genera diuiſio,& eorum generum inter ſe collatio.

7 QVemadmodum tria ſunt amabilia, honeſtum, vtile,iucundum:ita tria ſunt dilectionum & amicitiarum genera. nam alij propter honeſtatem diligunt, vt qui virtutem colunt:alij, quia vtilitatem aliquam conſequuntur aut ſpectant, vt mercatores ſocietatem contrahentes: alij, quia voluptatem percipiunt,vt amator & amaſia. Cap.3. 4.

8 ¶ Age hæc amicitiarum genera inter ſe conferamus. I. Honeſta,eſt amicitia per ſe:vtilis, vel iucunda, eſt ex accidenti.nam mercator non amat ſocium per ſe, quia moribus eius delectetur,ſed propter vtilitatem, quam ex eo percipit: & amator non amat amaſiam per ſe,ſed propter voluptatem. Denique nec ille ſocium, nec hic amaſiam verè & omnino amat,ſed potiùs ſemetipſum, & ſuam vtilitatem, aut voluptatem. II. Honeſta,eſt firma & conſtans, non obnoxia ſuſpicionibus:reliquæ amicitiæ admittunt ſuſpiciones & querelas,ac facilè diſſoluuntur: præſertim quæ ſunt mixtæ, cùm ſcilicèt alter lucri causâ,alter propter voluptatem diligit:veluti,ſi amator ex amaſia voluptatem, hæc ab illo pecuniam percipiat. rarò autem contigit, vt idem eundem ſimul propter lucrum & propter voluptatem diligat. III. Amicitia honeſta,eſt perfecta,non tales amici ſunt ſibi inuicem boni, vtiles,& iucundi: reliqui ſunt tantùm vtiles, vel tantùm iucundi. IV. Honeſta reperitur tantùm inter viros bonos,

longo vſu inuicem cognitos:ideóque rara eſt,&(vt ait Cicero in Lælio) ex omnibus ſeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum: vtilis maximè reperitur in ſenibus, & in iis qui lucro ſunt dediti: iucunda maximè reperitur in iuuenibus. V. Qui propter honeſtatem vel iucunditatem ſunt amici, ſimul viuere cupiunt: qui verò propter vtilitatem,hoc non expetunt,niſi hoc eis aliquam vtilitatem afferat. VI. Honeſta eſt maximè omnium amicitia,& eſt optima, reliquæ per ſimilitudinem vocantur amicitiæ. cùm enim in amicitia perfecta ſit honeſtas, vtilitas, & iucunditas: altera amicitia eſt ei ſimilis ratione vtilitatis, altera ratione iucunditatis.

9 ¶ Inſanus amor(ſic enim noſtri vocant, quem Græci ἔρωτα appellant) eſt ſpecies amicitiæ iucundæ. Inter ciuitates autem fœderatas eſt amicitia vtilis.

Cap. VI.

Diſtinctio habitus,actus,& affectionis.

Cap.5. 10 INter alios eſt amicitia actu, vt inter eos qui ſimul viuunt:inter alios tantùm habitu, vt inter dormientes, vel abſentes. nam abſentia vſum amicitiæ tollit: amicitiam verò ipſam non tollit,niſi diuturnitate obliuionem inducat. Vnde ortum eſt prouerbium, *Neglectum alloquium multos diſiunxit amicos.*

11 ¶ Maximè proprium eſt amicorum, ſimul viuere:alioqui, niſi ſimul viuant, beneuoli potiùs videntur, quàm amici.

12 ¶ Dilectio & amicitia differunt. I. Quia dilectio eſt affectus ſeu paſſio, amicitia eſt habitus. II. Quia diligimus etiam res inanimas, quibuſcum amicitia non conſtat.

13 ¶ Qui amicum diligit, ſuum bonum diligit. nam amicus eſt res bona ei,cui eſt amicus.

Cap. VII.

De qualitate,& numero amicorum.

Cap.6. 14 AMicitia minùs reperitur in hominibus auſteris & ſenibus: quia hi conuictu & hominum congreſſu atque

atque conſortio parum delectantur: magis autem reperitur in iuuenibus.

15 ¶ Multos habere amicos ſecundum perfectam amicitiam non poſſumus, quemadmodum eodem tempore multas in ſano amore proſequi non poſſumus: multis enim placere difficile eſt. atque experientiâ & tempore eſt opus, vt amici ſe inuicem cognoſcant, ſine qua cognitione non eſt vera amicitia. ſed propter vtilitatem vel iucunditatem multos amicos habere poſſumus: quia multi ſunt eiuſmodi, vt vtilitatem vel iucunditatem afferant. nec opus eſt diu cum eis viuere, ſed breui tempore eorum miniſteria abſoluuntur.

Cap. VIII.

Collatio amicitiæ vtilis, & iucundæ.

16 Amicitia vtilis, & iucunda differunt. I. Quia hæc eſt magis amicitia. II Quia hæc magis reperitur in hominibus nobilibus & ingenuis: illa verò hominum forenſium & mercatorum propria videtur. III. Quia vir beatus eget amicis propter iucunditatem, non propter vtilitatem.

17 ¶ Viri principes, & qui in poteſtate ſunt, aliis amicis vtuntur ad voluptatem, aliis ad vtilitatem: quia delectantur facetiis, & luſibus, potiùs quàm virtute: viris autem ſolertibus vtuntur ad negotia gerenda: nec facilè contingit, vt idem ad riſum excitandum, & ad agendum ſit aptus. Ceterùm vir bonus & prudens ſimul eſt iucundus ei qui virtutem amat, & vtilis ei qui vtile ab honeſto non ſeiungit.

Cap. IX.

De amicitia inter inæquales.

18 Alia eſt amicitia inter pares, vt inter fratres, & ſodales: alia inter impares, vt inter patrem & filium, inter ſenem & iuuenem, inter virum & vxorem, inter principem & ſubditum. Cap. 7.

19 ¶ Non ſolùm hæ amicitiæ diuerſæ ſunt, vt patris erga filium, & mariti erga vxorem: ſed etiam patris erga filium, & filij erga patrem. Similiter mariti erga vxorem,

& vxoris erga maritum. Eadem eſt aliarum amicitiarum ratio. Itaque non ſunt eadem officia vtrimque expetenda, vel præſtanda: nec inter has perſonas ſeruáda eſt ęqualitas arithmetica, ſed geometrica. nam melior & præſtantior vel vtilior magis diligi debet, & vnicuique pro dignitate tribuendum eſt.

20 ¶ Aequalitas aliter ſpectatur in iure, aliter in amicitia. ius enim diſtributiuum, quod æqualitatem geometricam obſeruat, eſt prius iure commutatiuo, quod æqualitatem arithmeticam adhibet, vt lib. 5. expoſitum fuit. ſed amicitia inter pares, quæ æqualitatem arithmeticam requirit, eſt prior quàm amicitia inter impares, quæ æqualitatem geometricam exigit, nam quò magis impares ſunt, eò minùs amicitia inter eos locum habet. & ſi maxima ſit inter eos diſtantia, vt inter regem & viliſſimum hominem, amicitia non conſtat.

21 ¶ Vnde quæſitum eſt, an amicus amico omnia bona expetere debeat. & ſanè eatenus expetere debet, quatenus amicus maneat. nam ſibi maximè quiſque bona cupit: amicus autem eſt res bona. Quocirca nemo expetere debet amicum ita promoueri & extolli, vt amicus eſſe deſinat.

22 ¶ Amicitia honori præſtat: quia amicitia eſt expetenda per ſe, honor propter aliud. nam alij à viris potentibus honorem cupiunt, hinc ſperantes ſe ab eis conſecuturos, ſi qua re eguerint: alij à viris bonis & prudentibus, quò magis intelligant ſe eſſe viros bonos & virtute præditos.

Cap. 8. 23 ¶ Quamuis plerique diligi malint, quàm diligere, quaſi eo modo honorentur: ideóque plerique aſſentatoribus delectentur: quia aſſentator videri vult magis diligere, quàm diligatur: tamen amicitia magis in eò conſiſtit, vt quis diligat, quàm vt diligatur. Vnde matres liberos ſuos infantes diligunt, quamuis ſciant ſe ab eis inuicem non diligi. Virtus igitur amicitiæ in dilectione conſiſtit, id eſt, vt quis diligat, & meritò laudantur φιλόφιλοι, qui amicos diligunt.

24 ¶ Inter perſonas contrarias amicitia eſt, I. Ratione vtilitatis. exempli gratiâ inter diuitẽ & pauperem, inter doctum & indoctum. nam quo aliquis eget, id ab amico accipit: & pecuniam, vel doctrinam, vel aliud ei rependit, putà honorem & obſequium. II. Ratione voluptatis, vt inter

ter amatorem & amaſiam.

25 ¶ Ridiculi ſunt amatores, qui æquè amari volunt, atque ipſi amant. etenim niſi ſint æquè amabiles, non ſunt æquè amandi: quia pro dignitate & pro meritis ſecundum analogiam geometricam cuique tribuendum eſt, vt ſuprà notaui.

Cap. X.

Amicitiam, quemadmodum & ius, in vitæ communione, & in politicâ contineri.

26 IN omni communione ac ſocietate tam ius quàm amicitia ſpectantur. amicorum enim ſpecies ſunt, ſimul nauigantes, commilitones, ſocij, ciues, & cet. & quatenus eſt vitæ communio, eatenus eſt amicitia: proinde verum eſt prouerbium, quæ ſunt amicorum, ea eſſe communia. non tamen omnia omnibus communia ſunt: ſed aliis omnia, vt fratribus, & ſodalibus: aliis quædam. Et rurſus hi differunt, quoniam aliis plura, aliis pauciora communia ſunt, prout maior vel minor eſt amicitia. Cap.9.

27 ¶ Quemadmodum omnis communio ſub politica communione continetur, ita omnes amicitiæ ſub amicitia politica comprehēduntur. atque hæc eſt propter vtilitatem, quæ ad totam vitam pertinet: idcirco legiſlatores ius eſſe aiunt, quod publicè vtile eſt: reliquæ vero amicitiæ partim ſunt ob aliquam particularem vtilitatem, (verbi gratiâ, commilitones ſe coniunxerunt, vt ciuitatem expugnarent, vel hoſtes repellerent, vel ob aliam ſimilem cauſam. ſimiliter qui vnà nauigant, ſcopum habent eam vtilitatem, quam ex nauigatione ſperant) partim ob iucunditatem, (vt eorum qui vnà epulantur, & ſaltant) partim ad honeſtatem, vt inter ſtudioſos in eodem collegio habitantes.

Cap. XI

Rerumpublicarum, & œconomiarum varia genera.

28 REumpublicarum genera multa ſūt, nimirùm tria bona, regnum, ariſtocratia, timocratia: & tria mala eis oppoſita, nempe regno tyrannis, ariſtocratiæ oligarchia, timocratię democratia. Ad communem vtilitatem, in regno Cap.10.

vnus,in ariſtocratia optimates, in timocratia ciues imperât. Ad propriam verò vtilitatem omnia referunt, in tyrannide vnus,in oligarchia diuites,in democratia plebs.Optima reipublicæ forma eſt regnum, deterrima tyrannis: quia peſſimum optimo opponitur: medium inter bonas reſpublicas locum tenet ariſtocratia,inter malas oligarchia:minimè bona eſt timocratia:minimè mala,democratia.

Cap. XII.

Amicitiarum genera ex diuerſis rerumpublicarum & œconomiarum generibus ſumpta.

Cap.11. 29 EX variis rerumpublicarum generibus & variis œconomiæ partibus varia & diuerſa oriuntur amicitiæ genera:& eatenus ſunt amicitiæ,quatenus etiam ius in eis reperitur.

30 ¶ Similes autem ſunt, I Amicitia inter regem & ſubditos,& amicitia inter parentes & liberos. Vnde Iupiter à poëtis rex & pater nominatur. Hi ſimiles ſunt paſtoribus. vnde Homerus Agamemnonem vocat paſtorem populorum. II. Amicitia ariſtocratica, & quæ inter virum & vxorem conſiſtit.nam vir vxori præſtat,vt optimates reliquis ciuibus. III. Timocratica,ſodalitia,& fraterna:quoniam omnes hæ ſunt inter perſonas æquales.

31 ¶ Quò deterior eſt reſpublica, cò minùs in ea eſt amicitia. Itaque magis eſt amicitia in democratia, quàm in oligarchia,& magis in oligarchia,quàm in tyrannide,in quâ vix aliquid amicitiæ ineſt, quemadmodum nec inter dominum & ſeruum amicitia conſiſtit, nec inter opificem & inſtrumentum: ſeruus enim eſt inſtrumentum quoddam animatum. eſt tamen cum ſeruo amicitia, quatenus eſt homo. nam iura quædam omnibus hominibus communia ſunt. Et rectè Iuriſconſultus ait naturam inter omnes homines cognationem quandam conſtituiſſe.D.de iuſtit.& iu.l.3. Cicero in Lælio,ita nos eſſe natos,ſcribit,vt inter omnes eſſet ſocietas quædam: maior autem, vt quiſque proximè accederet.Itaque ciues,(inquit)potiores ſunt, quàm peregrini: propinqui,quàm alieni.

Cap.

CAP. XIII.

Amicitiæ diuiſio ſumpta ex diuiſione communionis.

32 AMicitiarum aliæ magis naturâ conſtant, vt inter cognatos, necnon inter ſodales, quos morum ſimilitudo coniunxit: aliæ pacto & conuentione, vt ciuium, tribulium, ſimul nauigantium, & hoſpitum. Cap.12.

33 ¶ Quæ inter cognatos intercedit, multiplex eſt: ſed omnes à paterna pendent. hinc fraterna oritur: hinc aliorum cognatorum amicitiæ, quorum alij ſunt propinquiores, & arctiùs coniuncti, alij remotiores, & leuiùs coniuncti. nam patruus eſt prior conſobrino, conſobrinus ſobrino, ſed omnes ideò cognatione & naturali amicitia iunguntur, quia ab eodem parente profecti ſunt.

34 ¶ Hæ omnes amicitiæ ſunt honeſtę, vtiles, & iucundæ: & quò arctius eſt vinculum, eò ſecundum naturam maior amicitia eſſe debet. Itaque prima & maxima amicitia eſt inter parentes & liberos: ſecunda inter fratres: reliquæ deinceps inter alios cognatos.

35 ¶ Parentes magis diligunt liberos, quàm ab eis diligantur. I. Quia quilibet magis diligit quod ſuum eſt: liberi autem ſunt parentum proprij, non parentes liberorum. II. Quia parentes magis norunt liberos, quàm ab eis cognoſcātur. III. Quia vetuſtior eſt parentum amicitia: confeſtim enim natos diligunt, ſed nati ſuos parentes progreſſu temporis diligere incipiunt. Hanc ob cauſam matres maximè diligunt.

36 ¶ Similiter inter virum & vxorem amicitia naturâ conſtat. nam homo ad coniugium naturâ propenſior eſt, quàm ad ciuilem ſocietatem: & domus eſt ciuitate prior, & magis neceſſaria.

37 ¶ Hæc quoq; amicitia eſt honeſta, ſi vir & vxor probi ſint: necnon vtilis, quia ſibi inuicem opem præſtant, cùm alia ſint viri, alia mulieris officia: itē iucunda, vt in omnibus animalibus. nam brutorum coniunctionem voluptas conciliat: hominum verò, etiam honeſtas, & vtilitas.

38 ¶ Si quis quærat, quomodo vir erga vxorem, & vxor erga virum, & omnino quomodo amicus erga amicum ſe gerere debeat: is nihil aliud quærit, quàm quod ſit inter eos ius.

Cap. XIV.

De his, quæ amicitiam conſeruant, vel diſſoluunt.

Cap. 13. 39 IVs autem hoc eſt, vt amici, qui ſunt inter ſe æquales, tam dilectione, quàm omnibus officiis, æqualitatem arithmeticam ſeruent: inæquales autem geometricam adhibeant, vt ſcilicèt vnicuique pro dignitate & pro meritis tribuatur.

40 ¶ Querelæ vel ſolùm vel maximè locum habent inter eos, qui vtilitatis causâ amicitiam contraxerunt. nam qui virtutis causâ ſunt amici, ſibi inuicem prodeſſe volunt: ij verò quos voluptas conciliauit, ſe mutuò delectant. Cur autem aliquis conqueratur, quòd ab amico nō oblectetur, cùm eum relinquere liceat, ſi vna viuere non libet. Sed qui vtilitatem ſpectat, ſemper plus cupit, quàm accipiat, & conqueritur, quaſi minus accipiat, quam opus habeat: alius verò tantum ei ſuppeditare non poteſt.

41 ¶ Vt fons & origo querelarum in hoc amicitiæ genere pateat, notandum eſt, quemadmodum ius diuiditur in legitimum & naturale, ita amicitiam vtilem diuidi in legitimam & moralem. Legitima eſt, quæ certis pactionibus conſtat. veluti cùm quis pecuniam dat fabro, vt opus faciat. Moralis autem nullis pactis conſtat, nimirùm cùm aliquis quaſi amico donat, quamuis id fortaſſe faciat tacitâ ſpe antidora accipiendi. Cuius exemplum extat in l. ſi maiores. 25. C. dè tranſact. & in l. 7. C. de condict. ob cauſ. Ergo querelæ potiſſimùm oriuntur, cùm quis quaſi ob moralem amicitiam donat, & retributionem expetit, quaſi ob legitimam amicitiam dederit, quod is, qui accepit, non præſtat.

42 ¶ Vitabuntur hæ querelæ, I. Si is, qui accepit, tantundem ſponte referat, ſi poteſt: ſi verò non poteſt, ſe debere fateatur, &, quam primùm poterit, ſe parem gratiam relaturum polliceatur. II. Si ab initio ſpectet, à quo beneficium accipiat, & quam beneficij mercedem ille expectet, vt hac conditione ſe beneficio affici aut patiatur, aut recuſet.

43 ¶ An par gratia referatur, intelligi non poteſt, niſi beneficium æſtimetur: æſtimatio autem beneficij ſumenda eſt, non ex facultate donantis, ſed ex neceſſitate, vel vtilitate eius qui donum accipit, quanti ſcilicèt hic beneficium facie-

ciebat

ciebat tunc, cùm acciperet, non in præſentia dum vult gratiam referre, quia cùm amicitia vtilitatis causâ contracta ſit, meritò beneficium ex vtilitate accipientis eſt metiendum, vt ſcilicèt tátumdem inuicem præſtet, aut etiam plus, ſi poſſit, quoniam hoc eſt pulchrius & honeſtius.

44 ¶ In iis autem amicitiis, quæ virtute conſtant, nullæ quidem criminationes, nullæ querelæ oriuntur, vt notaui axiom. 40. ſed ex prælectione eius, qui beneficium contulit, beneficium eſt metiendum. nam prælectio eſt norma quædam & menſura actionum ſecundum virtutem.

CAP. XV.

De criminationibus & rixis, quæ oriuntur in amicitiis inæqualibus.

45 IN amicitiis inæqualibus diſſidia oriuntur, cùm amicus præſtantior vel vtilior putat plus ſibi tribui debere, quemadmodum in ſocietatibus, qui plus confert, plus recipit, alioqui miniſterium eſſe, non amicitiam: contrà vilior aut pauperior cenſet partes amici boni eſſe, vt egenti amico ſuccurrat, & quò magis quis eget, eò magis ei eſſe proſpiciendum, & plus præſtandum. Nos vtriuſque deſiderium admittimus: ita vt illi plus honoris, huic plus emolumenti tribuatur. Cap. 14.

46 ¶ Quod dictum eſt, pro dignitate amicis eſſe tribuendum, ſic intelligi debet, quatenus id fieri poteſt. Ceterùm nec filius patri, nec diſcipulus præceptori parem gratiam referre poteſt, ſed honorem exhibens, quia nihil maius præſtare poteſt, officio ſuo ſatisfeciſſe videtur.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LIII.

ETHICORVM NONVS.

Cap. II.

Quæ cuique gratia ſit referenda.

Cap.2. NEc omnia omnibus, nec eadem omnibus ſunt tribuenda. Exempli causâ, alius honor debetur patri, alius matri, alius magiſtratui, alius præceptori: & omnibus pro dignitate gratiæ ſunt referendæ.

2 ¶ Quemadmodum iuſtius eſt, debitum ſoluere, quàm alij pecuniam donare: ita plerumque gratia potiùs eſt ei referenda, à quo beneficium accepimus, quàm de alio bene merendum. Sed fieri interdum poteſt, vt hæc ratio commutetur. Verbi gratiâ, qui ab hoſtibus redemptus eſt, potiùs patrem quàm redemptorem ſuum redimere debet. Interdum nequidem retribuendum eſt ei, qui beneficium contulit: veluti ſi improbus virum probum beneficio affecit, non proterea probum improbo idem præſtare oportet.

Cap. III.

De diſſoluenda, vel non diſſoluenda amicitia.

Cap.3. 3 DE amicitiis diſtrahendis hæc præcepta dat Ariſtoteles. I. Qui propter vtilitatem aut voluptatem eſt amicus, meritò vtilitate aut voluptate ceſſante amicitiam diſſoluit. Sed ſi fingebat ſe propter mores diligere, cùm potiùs ad vtilitatem vel voluptatem reſpiceret, meritò accuſatur. II. Qui propter virtutẽ amat, ſi alter fiat improbus, cum non ſtatim amare deſinat, ſed tũ demum, cùm eum non eſſe ſanabi-

ſanabilem animaduertet.interim det operam,vt eum ad meliorem frugem conuertat. III. Si ex duobus propter virtutem amicis alrer in ſuo ſtatu maneat,alter longè melior ac præſtantior euadat, rectè hic deſinet eſſe amicus: præteritæ tamen amicitiæ memor erit,& plus ei tribuet,quem aliquando amicum habuit,quàm extraneo.

Cap. IV.

Quomodo officia & ſtudia erga amicos ex iis proficiſcantur,quæ in hominibus reperiuntur erga ſeipſos.

4 QVæ amicis tribuűtur,& amicitias circumſcribunt, Cap. 4.
ex iis quæ ſibi ipſi quiſque exoptat,fluxiſſe videntur. I. Amicus,quæ amico bona ſunt,ea vult & agit illius causâ. II. Amicum vult eſſe & viuere ipſius amici causâ. III. Amicus vnà cum amico vitam degit,& eandem vitę rationem inſtituit, ſimul dolet, ſimul lætatur. Hæc autem omnia viro bona erga ſemetipſum conueniunt:omnes enim animæ partes in eo conſentiunt & conſpirant:talis ergo eſt erga amicum,qualis eſt erga ſeipſum.Reliquis hæc non conueniunt, niſi quatenus boni videntur. Ceterùm alij ea quæ ſibi mala ſunt,eligunt,victi cupiditatibus:alij propter ignauiam & deſidiam à bonis abſtinent:alij viuerè nolunt,ſed ſibi manus inferunt:alij ſecum ipſi pugnant, & in varias partes diſtrahuntur:nam alia ſecundum rationem volunt,alia ſecundum appetitum concupiſcunt,vt incontinentes. Quapropter hi miſeri ſunt,qui nec ſecum, nec cum amicis conſentiunt:viri autem boni ſunt beati,qui & ſecum ipſi,& cum amicis omnino conſentiunt.

Cap. V.

De beneuolentia.

5 BEneuolentia modò latè accipitur,vt ſit genus amicitiæ,vt ſup.lib.prox.axio.6.modò anguſtè:in qua ſignificatione diſtinguitur ab amicitia, I. Quia beneuolentia eſt etiam erga ignotos,& latêre poteſt:quæ duo amicitiæ non conuenire,patet ex eius definitione ſuperiori libro tradita. Cap. 5.
II. Quia beneuolus tantùm bene cupit, non etiam eius causâ laborare vult,cui eſt beneuolus:amicus autem hoc facit. itaque beneuolentia eſt quaſi amicitia quædam otioſa.

6 ¶ Diſtinguitur etiam beneuolentia à dilectione. I. Quia quos diligimus, eorum præſentiam expetimus: at ſi tantùm beneuoli ſimus, eorum præſentiam non curamus. II. Quia dilectio eſt cum vitæ conſuetudine coniuncta: beneuolentia verò ſubitò & repente oriri poteſt.

7 ¶ Beneuolentia eſt principium honeſtæ amicitiæ, nam progreſſu temporis conuertitur in amicitiam: ſicut aſpectûs iucunditas eſt principium inſani amoris: &, cùm abſentis deſiderium accedit, amor euadit.

Cap. VI.

De concordia.

Cap. 6. 8 Concordia eſt amicitia ciuilis, nimirùm cùm ciues inter ſe cõnſentiunt, & ea, quæ publicè vtilia ſunt, volunt atque eligunt.

9 ¶ Hæc in ſolis viris bonis reperitur. homines autem improbi ſunt ſeditionum auctores: quippe qui nec ſibi conſtant ſed aliàs aliud volunt: neque conſentiunt, cùm ſinguli plus honoris vel emolumenti vel voluptatis ad ſe trahant, onera verò & labores à ſe amandent.

Cap. VII.

Cur ij, qui beneficia contulerunt, magis diligant quàm diligantur.

Cap. 7. 10 Benefici maiori amore proſequuntur eos, de quibus ſunt benemeriti, quàm ab eis amentur, I. Quia plerique magis cupiunt beneficio affici, quàm beneficium in alterum conferre: rationi autem conſentaneum videtur, vt qui beneficium accepit, inuicem referat. II. Quia quilibet magis diligit ſuum opus, quàm ab eo diligatur, vt de parentibus & liberis diximus ſuperiori libro axio. 35. beneficium autem eſt opus eius qui confert, non eius qui accipit. III. Quia iucundius & amabilius eſt id, quod eſt honeſtum, quàm quod eſt vtile: beneficij verò collatio eſt honeſta, acceptio eſt vtilis. IV. Quia dilectio eſt actio quædam, vt & beneficij collatio: ſed beneficium accipere eſt pati, quemadmodum & diligi. quare actioni actio, paſſioni paſſio conſequens eſt: id eſt, qui

bèneficium

beneficium confert, diligitur is verò in quem beneficium cõfertur, diligitur. V. Quia difficiliora ſunt gratiora: difficilius autem eſt bene mereri, quàm beneficium accipere.

Cap. VIII.

Vtrùm quis ſe ipſum, an alium magis amare debeat.

11 Vir beatus magis ſeipſum amare debet, quàm amicos, ſibique potiùs, quàm amicis, bona tribuere, nõ tamen ea, quę vulgus admiratur, ſed verè bona, & maiora bona. itaquè amicis, cùm res exigit, pecunias vel honores vel voluptates concedit, vt ipſe maius aliquod bonũ conſequatur, id eſt, vt plus honeſtatis apud ipſum reſideat. quãobrem pro amicis & pro patria etiam mortem oppetere paratus eſt. Cap. 8.

12 ¶ Vir malus non debet magis diligere ſeipſum, quàm amicos: quia ſi hoc faciat, plus ſibi tribuet eorum bonorum, quæ in contentionem veniunt, nempe honorũ, voluptatum, pecuniarum: vnde oriuntur querelæ ac diſſidia, hic eſt, qui vulgo vocatur φίλαυτος, & meritò reprehenditur.

Cap. IX.

Vtrùm beatus amicis indigeat.

13 Vir beatus eget amicis, nec poteſt iis carere. I. Quia omnibus bonis abundat, proinde non caret amicitia, quę inter externa bona principem locum obtinere videtur. II. Vt habeat, erga quos munia virtutis obeat, veluti in quos beneficia conferat, & liberalitatem exerceat, quæ longè iucundior & honeſtior eſt erga amicos, quàm erga extraneos. III. Quia homo eſt animal ciuile & ſociabile, non ſolitarium: ideóque ei viuendũ eſt cum amicis. IV. Quia beatus delectatur pulchris & honeſtis amici actionibus: hæc igitur oblectatio ei non eſt adimenda. V. Quia vita beata eſt iucunda, vita autem ſolitaria & ſine amicis non eſt iucunda. Cic. in Lælio, *Quis eſt*, inquit, *prô Deûm fidem, atque hominum, qui velit, vt neque diligat quemquam, nec ipſe ab vllo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia viuere*. deinde multis interiectis ſubiicit, *Si quid tale poſſet contingere, vt aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine vſpiam collocaret, atque ibi ſuppeditans omnium rerum, quas natura deſiderat, abundantiam & copiam, hominis omnino aſpiciendi poteſtatem eripe-* Cap. 9.

ret:quis tam eſſet ferreus,vt eam vitam ferre poſſet? cuique non auferret fructum voluptatum omnium ſolitudo? VI. Quia amicus eſt alter ipſe:& vir beatus erga amicum ita eſt affectus,vt erga ſeipſum.quare vt naturaliter expetit ſe eſſe, & viuere, ita etiam cupit amicum eſſe, & viuere : quod quidem ex conuictu & vitæ conſuetudine intelligit : idcóque ſimul cum amico viuere appetit.

14 ¶ Vtilitatis causâ vir beatus amicis non eget, cùm beatitudo ſit bonum perfectum,& ſeipſo contentum.

Cap. X.

De numero amicorum.

Cap.10. 15 VSus & vtilitatis causâ non ſunt multi amici quærendi: quia nec multis commodè inſeruire poſſumus: nec, ſi plures nobis inſeruiant, quàm neceſſarij ſint,ad rectè viuendum conferunt,ſed ſunt potiùs impedimento. vt enim vulgò dici ſolet, *Segniùs expediunt commiſſa negotia plures.*

16 ¶ Ad voluptatem quoque pauci ſufficiunt, vt in cibo ſufficit parum condimenti.

17 ¶ Quinetiam paucis amicis virtutis & honeſtatis ergô contenti eſſe debemus: multos autem habere non licet:quod probatur ſequentibus argumentis. I. Quia vt in ciuitate non debent eſſe nimis multi ciues, vt declarabitur 7. Polit.cap.3.ſeu ſecundum vulgatam diſtinctionem cap.4. ita etiam in amicorum ſocietate non debent eſſe nimis multi amici, ſed exiguus numerus eſt commendandus. II. Quia nemo poteſt ſimul cum multis viuere,ſimulque omnibus ſeſe impertire. III. Quia noſtri amici debent etiam eſſe amici inter ſe: quod non facilè in multis contingit. IV. Quia cum amicis dolendum,vel gaudendum eſt:nec poſſumus ad multos ſimul accommodare noſtros affectus:quia fortaſſe alius gaudendi, alius dolendi cauſas habet. V. Quia vt non poſſunt multæ ſimul amari, ita nõ poſſunt multi amici ſimul valde diligi. VI. Quia celebratę amicitiæ tantùm inter duos extiterunt, vt inter Pyladem & Oreſtem, inter Theſeum & Pirithoum.

18 ¶ Qui multis amici ſunt,nemini verè amici ſunt, ſed tantùm amici politicè,id eſt,potius blandi & humani,quàm amici.vnde Phauorinus 2.comment. (referẽte Laërtio in vita Ari-

ta Ariſtotelis)teſtatur Ariſtotelem dicere ſolitum, *ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος:cui ſunt amici, ei nullus eſt amicus:* id eſt, cui ſunt multi amici.hoc dictum ait Laërtius extare 7. Ethic.intelligens ethica Eudemia.nam lib.7.illius operis,cap.ſecundum vulgatam diſtinctionem,12. hoc habetur. Inepta autem eſt interpretis Laërtiani tranſlatio,quæ ſic habet,*ô amici,nemo amicus.*

Cap. XI.

Vtrùm in rebus proſperis,an in aduerſis opera amicorum magis indigeamus.

19 AMicos habere, magis neceſſarium eſt in calamitatibus:ſed pulchrius & honeſtius in rebus proſperis: in vtraque autem fortuna amicorum præſentia eſt ſuauis & iucunda. Cap.11.

20 ¶ Vocandi ſunt amici ad res ſecundas promptè & cupidè,vt de eis bene mereamur:ad res autem aduerſas cunctanter & parciſſimè,ne eos moleſtiâ afficiamus.decet enim memores eius eſſe, quod apud Euripidem ait Oreſtes Pyladem alloqués,*ἅλις ἐγὼ δυστυχῶν*, id eſt,*ſufficit me calamitatib.premi.*

21 ¶ Contrà decet nos ad amicos infortuniis vexatos promptè & cupidè ire,quamuis vocati nõ ſimus,vt eis opem feramus,aut ſaltem eos conſolemur: in rebus autem proſperis, vt in rebus agendis adiutores ſimus, alacriter: vt autem beneficiis afficiamur,tardè & cunctanter eſt eundum.

Cap. XII.

De conuictu,& vitæ ſocietate.

22 QVemadmodum amantib. aſpectus,ita amicis conuictus eſt iucundiſſimus. Cap.12.

23 ¶ Quo quiſque viuendi genere delectatur,id in amicorum conuictu appetit. quare potatores compotant,luſores colludunt,venatores ſimul venantur, philoſophi ſimul philoſophantur.eadem eſt aliorum ratio.

24 ¶ Conuictus & mutua conſuetudo mores auget. idcirco Theognis rectè monet, vt improborum conſortium vitemus, & cum viris bonis conuerſemur: quoniam ab his bona,ab his mala diſcemus.

Mmmm 2

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LIV.

ETHICORVM DECIMVS.

Cap. I.

De voluptate dicendum proponit.

Cap. I. DICENDVM de voluptate: I. Quia eſt coniunctiſſima cum vita humana. nam ab ipſis incunabulis voluptatem & dolorem percipimus, priuſquàm honeſtatis & turpitudinis, vel vtilitatis & damni vllam rationem habere poſſimus. II. Quia plurimùm ad virtutem moralem valet, iis rebus lætari, quibus oportet, & ab iis abhorrere, à quibus eſt abſtinendum. Vide 6. & 7. axio. lib. 2. III. Quia magna eſt de voluptate controuerſia: adeo vt alij ſtatuant eam eſſe ſummum bonum, alij verò è numero bonorum eiiciant.

2 ¶ Quidam voluptatem vituperant, fortaſſe quia vidēt pleroſque nimis ad eam propenſos & procliues eſſe: ſperant enim, ſi homines quàm maximè ab ea retrahantur, hac ratione futurum, vt mediocritatē, in qua virtus conſiſtit, aſſequantur. Sed hæc ratio Ariſtoteli non placet: quia ſermones ethici debent eſſe veri, & actionibus conſentanei: alioqui nō proſunt. nam qui vident eum, qui voluptates reprehendit, voluptates ſequi, eius ſermoni fidē non habent, & ad voluptates præcipites feruntur. & quamuis ille fortaſſis honeſtam voluptatem ſit amplexus, tamen hi, quia non poſſunt inter voluptates diſtinguere, eius exemplo malè accepto, ad turpes & prauas voluptates delabūtur. ſatius igitur eſt, verā doctrinam tradere, cámque reipſa & vſu comprobare, vt intelligatur, quænam voluptates ſint expetendæ, aut fugiendæ.

Cap.

Cap. II.

De ſententia Eudoxi exiſtimantis voluptatem eſſe ſummum bonum.

3 EVdoxus putauit voluptatem eſſe ſummum bonum. Cap.2.
I. Quia ab omnibus expetitur tam ratione prædi-
tis,quam ratione carentibus. II. Quia omnes dolorem per
ſe tamquàm malum fugiunt, & voluptatem per ſe tamquàm
bonum appetunt,non propter aliud.vnde cùm voluptas do-
lori,vt bonum malo,opponatur: neceſſe eſt, voluptatem eſſe
bonam:& quia per ſe appetitur,apparet eam eſſe ſummũ bo-
num. III. Quia bono adiũcta,illud melius efficit. vtpotà me-
lius eſt iuſtè agere cum voluptate, quàm cum dolore,vel ſi-
ne voluptate.Sed hæc ratio tantùm concludit voluptatẽ eſſe
in bonis,non etiã eſſe ſummum bonum. Immò hac ratione
Plato oſtendit voluptatem non eſſe ſummũ bonum:quia vi-
ta iucunda eſt optabilior cum prudentia,quàm ſine pruden-
tia: ergo vita iucunda per ſe non eſt optima, & voluptas per
ſe non eſt ſummum bonum, cùm mixtum illud ex volupta-
te & prudentia antecellat. Verùm ſi ratio Platonis valeret,
nullum eſſe ſummum bonũ homini communicabile. quod-
cumque enim dicatur eſſe ſummum bonum, id aliis bonis
adiunctis optabilius euadet.

Cap. III.

Examinantur rationes,quæ contra voluptatem afferri ſolent.

4 NVnc ſoluamus argumẽta, quibus nonnulli conan- Cap.3.
tur oſtendere voluptatem non eſſe bonã. I. Sic ar-
gumentantur:Voluptas non eſt qualitas:ergo non eſt in bo-
nis. Reſpondeo: conſequentiam non valere: quia nec actio
ſecundum virtutem, nec beatitudo eſt qualitas, & tamen ſi-
ne dubio eſt in bonis:immo lib.1.cap.5. oſtendẽdum eſt,bo-
num reperiri in omnibus categoriis, non in ſola qualitate.
II. Sic arguunt:Bonum eſt definitum:voluptas non eſt defi-
nita:ergo voluptas non eſt bona. Maior propoſitio probatur
auctoritate Pythagoreorum,qui in ſerie bonorum ponebant
definitum,in ſerie malorum indefinitum.1.Metaphyſ. cap.5.
Minor propoſitio ſic probatur: Quod intẽditur & remitti-
tur,non eſt definitum: atqui voluptas intenditur & remitti-
tur: ergo voluptas nõ eſt definita. Ad hunc proſyllogiſmum
reſpondeo duobus modis. Primò reſpondeo ad minorem

per diſtinctionem. cùm enim inquiunt voluptatem intendi & remitti: vel hoc intelligunt de perceptione voluptatis, & de eo qui voluptate afficitur, vel de ipſa voluptate per ſe. ſi priorem accipiant ſignificationem, idem obtinet in virtutibus, quas conſtat eſſe bonas: nam alius eſt alio iuſtior, & alius alio magis vel minùs iuſtè agit. ſi verò loquantur de ipſa voluptate, reſpõdeo voluptatem per ſe nec intendi, nec remitti, ſed ratione mixtionis cum dolore: nam aliæ ſunt voluptates puræ, ſimplices, & ſinceræ: aliæ magis vel minùs cum doloribus commixtæ: vt voluptas ex rerum diuinarum cõtemplatione eſt pura & ſimplex: ſed voluptas ex potu eſt mixta cum dolore ex ſiti, quandoquidem potus ideo delectat, quia ſitim extinguit, quæ eſt moleſta, adeo vt ſine hac moleſtia & dolore non ſit voluptas ex potu. voluptas igitur per ſe eſt bona, cùm per ſe non intendatur nec remittatur. Reſpondeo ſecundò per negationem maioris propoſitionis., poteſt enim aliquid intendi vel remitti vſque ad certum terminum dumtaxat. quare eo termino definitur & circumſcribitur, & eſt in bonis, vt ſanitas. quod etiam de voluptate dici poteſt.

III. Sic ratiocinantur: Neque generatio, neque motus, eſt bonum per ſe & perfectum, quia tẽdit ad finem, in quo perfectio conſiſtit: atqui voluptas eſt generatio, vel motus; ergo non eſt bonum perfectum, & per ſe. Reſpondeo, minorem propoſitionem eſſe falſam. omnis enim motus eſt velox, aut tardus; voluptas autem nec eſt velox, nec tarda. nam licèt velociter vel tardè poſſit aliquis ad voluptatem perduci, tamẽ neque velociter neque tardè fruitur voluptate. Præterea omnis motus eſt in tẽpore, & ſucceſſiuè, & alicuius finis gratiâ; voluptas verò eſt in momento, tota ſimul, nec vlteriorem finem habet. infr. cap. 4. voluptas igitur non eſt motus. Item omnis generatio eſt à determinato termino à quo, ad determinatum terminũ ad quem, 1. Phyſ. cap. 6. voluptas autem nõ eſt à determinato termino à quo, ad determinatum terminum ad quem: ergo non eſt generatio. Rurſus ſi voluptas eſſet generatio, aliquid generaretur voluptate, quod contrario dolore interiret: atqui falſum eſt conſequens: nihil enim eſt, quod voluptate generetur, & dolore intereat. falſum igitur eſt antecedẽs, voluptatem eſſe generationem. Verum aduerſarij ſic argumentantur: Repletio eſt generatio:

tio:voluptas eſt repletio:ergo voluptas eſt generatio. nam dolor (vt aiunt) eſt indigentia eius, quod naturà conſtat, vt cùm aliquis eſurit, aut ſitit: voluptas autem eſt repletio, vt cibi & potus ſumptio, per quam generatur caro, ſanguis, & cet. Reſpondeo, voluptatem non eſſe repletionem: quia repletio ſpectatur in corpore, voluptas in anima ſenſitiua. fateor quidem interdum voluptatem conſequi repletionem, vt in cibo & potu contingit: ſed nec propterea voluptas eſt repletio, neque hoc in omnibus voluptatibus obtinet. nam voluptas cõtemplatiua nec dolorem antecedentem ſupponit, nec eſt repletio, nec ſequitur vllam repletionem. IV. Proferunt voluptates turpes, per quas putant ſe oſtendere voluptatem non eſſe bonam, quia non eſt honeſta. Reſpondeo primò, quæ turpia ſunt, non eſſe iucunda viro bono, ſed homini improbo. quemadmodum igitur ſimpliciter & verè ſalubria & dulcia ſunt, quæ homini ſano ſunt ſalubria & dulcia, non quæ talia ægroto videntur: ita etiam ſimpliciter & verè iucunda ac voluptuoſa ſunt, quæ virum bonum delectant, non quæ homini improbo & malè affecto placent. Reſpondeo ſecundò voluptatem eſſe bonam, quamquàm non debet ex rebus turpibus percipi: ſicut diuitiæ ſunt bonæ, quamuis non ſint per proditionem acquirendæ: & ſanitas eſt bona, licèt non ſit quocumque cibo reparanda. Reſpondeo tertiò, voluptates ſpecie differre: & alias eſſe honeſtas, quæ ex rebus honeſtis, alias turpes, quæ ex turpibus percipiuntur. V. Sic argumentantur: Verus & bonus amicus in conuerſatione rationem habet boni & honeſti, non voluptatis: aſſentator autem omnia refert ad voluptatem: ergo voluptas non eſt bona. Reſpondeo, hanc quidem voluptatem non eſſe bonam, quam aſſentator affectat, ſed nihilominùs eſſe alias voluptates in bonis. VI. Obiiciunt, quòd vita puerilis, quamuis iucundiſſima, & voluptatibus referta, tamen non eſt eligenda. Reſpondeo, hoc non obſtare, quominùs ſint aliæ voluptates non pueriles, quæ ſint optabiles & eligendæ. VII. Non eſt, inquiunt, eligenda actio turpis, quamuis perpetua voluptas conſequeretur. Reſpondeo, hoc ideo verum eſſe, quia voluptas non eſt vllo modo ex rebus turpibus expetenda: nihilo minùs tamen ſunt aliæ voluptates, quę nihil habẽt turpitudinis, ſed bonę sũt & optabiles.

VIII. Quædam ſunt expetenda per ſe, etiamſi nullam voluptatem parerét, vt videre, ſcire, virtute præditum eſſe. quamuis enim has res voluptas conſequatur, tamen etiam per ſe & ſine voluptate ſunt expetendæ. Reſpondeo, hac ratione tantùm probari non ſolùm voluptatem eſſe per ſe in bonis, & per ſe expetendam, ſed etiam eſſe alia eiuſmodi bona: nihil autem vetat, quominùs etiam aliquæ voluptates ſint tales, id eſt, per ſe expetendæ. IX. Temperans & prudens laudantur, quia voluptates vitant, intemperás vituperatur, quia eas perſequitur: ergo voluptates non ſunt bonæ. Reſpondeo, non laudari temperátem & prudentem, nec vituperari intemperantem, eò quòd hic quaſcumque voluptates perſequatur, ille autem à quibuſcumque abſtineat, ſed quia hic turpes voluptates, aut voluptatum exſuperantiam perſequitur, ille autem à turpibus voluptatibus abſtinet, vel voluptatum exſuperantiam vitat. X. Voluptates officiunt prudentiæ, & intelligentiæ: & quo maiori voluptate perfruimur, eò minùs intelligere poſſumus, vt ex rebus Venereis patet. Reſpondeo, non omnes voluptates obeſſe prudentiæ, & intelligétiæ, ſed tantùm voluptates alienas & contrarias: ceterùm voluptas, quæ ex prudentiæ & intelligentiæ operatione percipitur, nó obeſt, ſed prodeſt intelligentiæ & prudentiæ. XI. Omne bonum eſt opus artis: atqui voluptas non eſt opus artis: ergo voluptas non eſt bona. Reſpondeo primò per negationem maioris propoſitionis: quoniam ars nó eſt ipſis actus, in quo bonitas conſiſtit, id eſt, non efficit opus bonum, ſed tantùm eſt facultatis, id eſt, tribuit facultatem efficiendi. vt ars ædificatoria non ædificat domum, ſed docet rationem ædificandæ domus. Reſpondeo ſecundò per negationem minoris: quoniam ars vnguentaria, culinaria, & ſimiles ſunt artes voluptatem: vt omittam Ouidianam amandi artem. Hæc tria poſtrema argumenta ſumpſi ex lib. 7. huius operis, vel potiùs ex lib. 6. Ethic. Eudem.

Cap. IV.

Quid ſit voluptas.

Cap. 4. PRobaui voluptatem non eſſe motum, nec generationem: nunc addo, voluptatis non eſſe motum, nec

nec generationem:quia voluptas eſt tota ſimul,non partibilis, talium autem rerum nec motus, nec generatio eſt, vt puncti,vnitatis,aſpectus.

6 ¶ Voluptas eſt actionis perfectio. Perficit autem,non vt habitus quidam inſitus, ſed vt finis ſubſequens: ſicut eos, qui ætate florent, perficit venuſtas, quam Græci ὥραν appellant.

Cap. V.

De duratione & appetitione voluptatis.

7 QVamdiu res ſenſibilis aut intelligibilis talis eſt, qualem eſſe oportet, ac ſenſus vel intellectus probè eſt affectus, tamdiu per ſenſus vel intellectus operationem eſt voluptas. ſed quia nemo poteſt continenter agere, ideo non poteſt vlla voluptate continenter frui. cùm enim voluptas actionem ſequatur:vt actionis, ita etiam voluptatis intermiſſio neceſſaria eſt.

8 ¶ Quædam initiò delectant propter nouitatem:vnde dici ſolet,*Omnia noua placent:*quia cogitatio ab initio in ea incumbit,& munere ſuo fungitur magna cum contentione,vt cùm aliquis defixis oculis rem intuetur: ſed poſtea, ſicut remiſſior & negligentior fit cogitationis operatio,ita voluptas minuitur,& obſcuratur.

9 ¶ Omnes voluptatem expetunt:quia viuere expetũt, ac vita eſt functio ſiue operatio quædam: quilibet autem in iis rebus operatur,quibus delectatur. verum eſt enim vulgatum illud ab Horatio ſumptum.

----- *Tractant fabrilia fabri.*

Cap. VI.

Diuiſio voluptatis.

10 VOluptates ſpecie differre probatur I. A diuerſis actionibus: quia ſpecie differunt actiones humanæ,quas voluptas conſequitur, perficit,& auget.verbi gratiâ, ſicut aliud eſt contemplari, aliud eſt ædificare, aliud eſt venari:ita voluptates differunt,quæ ex contemplatione, vel ædificatione, aut venatione percipiuntur. II. Ab eadẽ actione: quoniam eandem actionem alia voluptas adiuuat, alia impedit. verbi gratiâ, quò magis aliquis muſicâ delectatur, Cap. 5.

eò faciliùs,& eò præſtantior muſicus euadet:ſed voluptas ex luſu eum à muſica auocabit.Huc ſpectat,quod ait Ouid 2.Amor. Eleg.18.

Nos,Macer,ignauæ Veneris ceſſamus in vmbra,
Et tener auſuros grandia frangit amor.

Et quæ ſequuntur.Idem lib.4.Triſt.Eleg.10.

Frater ad eloquium viridi tendebat ab æuo,
Fortia verboſi natus ad arma fori.
At mihi iam puero cœleſtia ſacra placebant,
Inque ſuum furtim muſa trahebat opus, &c.

11 ¶ Aliæ ſunt voluptates honeſtæ,vt ex muſica,& rerum contemplatione:aliæ turpes,vt ex adulterio.

12 ¶ Aliæ ſunt aliorum animalium voluptates:quoniam alia aliis rebus delectantur.quinetiam aliæ ſunt aliorum hominum voluptates:quia vt alia ſunt dulcia & ſalubria homini ſano,alia ægroto, ſic alia ſunt iucunda viro bono & iuſto, alia improbo & iniuſto. ſed quemadmodum verè ſalubre & vere ſuaue eſt, quod tale videtur homini ſano, non homini ægroto: ita verè iucunda & verè voluptates ſunt, quibus vir bonus delectatur : quaſi hic ſit rerum omnium norma & menſura.

Cap. VII.

Cap.6. *Quid ſit beatitudo.*

13 Beatitudo non eſt habitus, ſed actus: quia ſi eſſet habitus, ineſſe poſſet etiam ei, qui per totam vitam dormiret, ac plantæ vitam degeret, necnon ei, qui maximis calamitatibus afficeretur.

14 ¶ Actuum alij ſunt neceſſarij, & propter aliud optabiles, vt ædificatio, alij per ſe eligendi, vt actio ſecundum virtutem,& luſus.

15 ¶ Pleriquc,atque ij potiſſimùm qui in poteſtate ſunt, ad luſus & corporales voluptates confugiunt, quia ſunt veræ & ſinceræ voluptatis expertes.

16 ¶ Beatitudinem non conſiſtere in luſu, ſed (vt lib. 1. dictum fuit) in actione ſecundum virtutem, probatur I. A iudicio viri boni & honeſti: ſic enim ei videtur, eiuſque iudicium verum eſſe notaui axio.12. II. Quoniam abſurdum eſt,luſum eſſe vltimum vitæ humanæ finem. quin potius eò

quòd

quòd agere perpetuò non poſſumus, requieſcendi causâ ludimus, quò faciliùs res ſerias poſtea agamus, ſicut rectè ait Anacharſis. III. Quia vita beata eſt virtuti conſentanea: virtus autem in rebus grauibus & ſeriis, non in ioco & luſu poſita eſt. IV. Quia res ſeriæ ſunt meliores ridiculis, ludicris, & iocoſis. V. Quia luſus & voluptates corporeas etiam mancipia & viliſſimi homines participant, in quos beatitudo non cadit.

CAP. VIII.

Beatitudinem contemplatiuam eſſe perfectiſſimam, & præſtare beatitudini actiuæ.

17 CONtemplationem & beatitudinem contemplatiuam actiuæ præſtare probat Ariſtoteles. I. Quia contemplatio eſt operatio præſtantiſſimæ facultatis animæ. II. Quia eſt diuturnior: diutiùs enim poſſumus contemplari, quam agere. III. Quia eſt iucundior. IV. Quia magis eſt ſeipsâ contenta. nam actiones multis rebus indigent, vt liberalitas diuitiis, iuſtitiæ executio poteſtate, contemplatio autem minimè indiga eſt. V. Quia maximè per ſe expetitur. VI. Quia beatitudo & vltimus vitæ humanæ finis magis cõſiſtit in otio, quàm in negotio: & contemplatio quidem otio ſimilis eſt, actio autem negotio. VII. Quia vita actiua & politica competit homini, quatenus eſt homo: contemplatiua autem, quatenus in eo eſt aliquid diuinum, id eſt, intellectus contemplatiuus, qui ſolus inter animæ humanæ facultates ſecundum Ariſtotelis ſententiam eſt immortalis: adeo vt vita contemplatiua ſit vita diuina, & melior quàm vita actiua, quæ eſt humana. Cap. 7. & 8.

18 ¶ Deus itaque ſemper eſt beatus, quia ſemper contemplatur: bruta animalia numquàm ſunt beata, quia numquàm contemplantur: hominis verò beatitudo temporaria eſt, quia non ſemper contemplari poteſt.

19 ¶ Vir beatus eget bonis corporis, & bonis æternis, quatenus eſt homo: non tamen multis eget, quia natura paucis contenta eſt.

CAP. IX.

Tranſitio ad libros politicos.

20 VIri boni fiũt naturâ, doctrinâ, exercitatione, vt dictum fuit lib. 1. axio. 35. natura eſt à Deo: doctrinam Cap. 9.

hactenus tradidimus:exercitatio,ab ineunte ætate,& per totam vitam adhiberi debet.

21 ¶ Exercitatione ad virtutem aſſuefieri, & in officio contineri homines non poſſunt,niſi auctoritate legis aut viri iuriſperiti.

22 ¶ Poſthæc igitur de legibus dicendum eſt. ſed quia varia ſunt rerumpublicarum genera, & ad reſpublicas oportet leges accommodare,non reſpublicas ad leges aptare:idcirco priùs de republica differere neceſſe eſt: quod in ſequentibus libris politicis faciemus.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ
LIBER LV.
POLITICORVM PRIMVS.
CAP. I.

De ciuitate, & eius partibus.

Cap. 1. CVM OMNIS communio & ſocietas alicuius boni gratiâ ſit inſtituta:certè optimum finem propoſitum habet optima & præſtantiſſima communio, quæ vocatur ciuitas: hic autem eſt, vt ciues ſint probi,& virtute præditi,atque adeo beati,vt lib.7.explicabitur.

2 ¶ Cùm homo ſit animal ſociabile: prima ſocietas & vitæ communio eſt inter virum & vxorẽ, prolis gignendæ causâ:altera inter dominũ & ſeruum, quoniá alij naturâ ſunt apti ad imperandum,alij ad ſeruiendum.
Cap. 2. Ex his perſonis & ſocietatibus domus ſeu familia conſtat: ex pluribus domibus vicus conſtituitur: ex pluribus autem vicis ciuitas conflatur,quæ eſt perfectiſſima communio.

3 ¶ Quo-

3 ¶ Quoniam igitur ſocietates illæ naturâ conſtant, neceſſe eſt, vt etiam ciuitas, quę ex eis componitur, & eſt earum finis, naturâ conſtet.

4 ¶ Homo magis eſt animal ſociabile & politicũ, quàm apes, vel aliud quoduis animal congregabile: quia reliqua animalia tantùm iucundum & iniucundum ſentiunt: homo autem ratione præditus eſt, quâ bonum à malo, vtile ab inutili, honeſtum à turpi, & iuſtum ab iniuſto ſecernit: quarum rerum communio domum & ciuitatem conſtituit.

5 ¶ Ciuitas eſt naturâ prior, quàm domus, vel ſinguli homines: quia totum eſt natura prius, quàm partes.

6 ¶ Qui primus ciuitates inſtituit, maximorum bonorum hominibus cauſa fuit: quemadmodum enim homo, ſi legibus & iudiciis in officio contineatur, eſt omnium animalium optimum, ita ſine his eſt omnium pernicioſiſſimum. Vnde ortum eſt prouerbium, *Homo homini Deus, homo homini lupus.* ſæuiſſima enim & aſperrima eſt iniuſtitia armis inſtructa: homo autem arma rationis habet, quibus cetera animalia carent. his ergo ſi abutatur, longè peiora committet, quàm fera animalia Ethic. 7. axio. 13.

Cap. II

De domo, & eius partibus.

7 Domus partes ſunt perſonæ, & res perſonæ ſunt, dominus & ſeruus, vir & vxor, parentes & liberi. res ſunt, vt frumentum, vinum, nummi, & alia, quæ ſunt familiæ neceſſaria. itaque œconomiæ partes ſunt, δεσποτικὴ, γαμικὴ, τεκνοποιητικὴ, καὶ χρηματιστικὴ, id eſt, dominica, coniugalis, patria, & pecuniaria. Cap. 3. & 4.

Cap. III.

De domino, & ſeruo.

8 Vt in ſingulis artibus neceſſaria ſunt inſtrumenta, quib. opus rectè perficiatur, ita etiã in re familiari.

9 ¶ Cùm inſtrumentorũ alia ſint inanimata, alia animata, vt nauis gubernatori ſeu magiſtro inſtrumẽta inanimata ſunt clauus & remi, animata verò, proræ vel puppi præfectus, & remiges: ſic in œconomia inſtrumentum inanimatum eſt

pecunia, animatum autem, & tamquàm inſtrumentum inſtrumentorum, eſt ſeruus. Ideo autem vtimur inſtrumentis animatis:quia inanimata non poſſunt agere,niſi ab animatis moueantur.Quòd ſi remi per ſe nauim impellerent,& forcipes per ſe tonderent,& plectra per ſe citharam pulſarent:neque architecti egerent miniſtris,nec paterfamiliâs ſeruis.

10 ¶ Seruus & pecunia ſunt inſtrumenta actionis, non effectionis:quia vita eſt actio,non effectio. differentia actionis & effectionis expoſita eſt 6. Ethic.

11 ¶ Dominus quidem dicitur ſerui dominus,ſed non dicitur ſimpliciter eſſe ſerui: ſeruus autem non ſolum dicitur eſſe domini ſeruus, ſed etiam ſimpliciter & omnino eſſe domini.

12 ¶ Seruitus duplex eſt, naturalis & legitima.

13 ¶ Naturâ ſeruus eſt homo, qui naturâ ita eſt comparatus,vt alterius eſſe debeat,i.cui prodeſt,alteri ſubiectū eſſe, & ab altero regi: talis autem eſt, qui ita eſt ceteris hominib. inferior,vt corpus animo,& beſtiæ hominibus, hoc eſt,cuius opus in vſu corporis poſitum eſt, adeo vt hoc ſit optimum, quod ab eo proficiſci poſſit: tales autem homines non ſunt rationis participes, niſi quod ad hoc, vt rationem ſentiant: nam vſum rationis in ſe non habent:brutis igitur ânimantibus ideo præſtant,quia bruta rationē non ſentiunt, ſed ſolis affectibus inſeruiunt. Vt enim ſecundum naturā anima corpori,homo beſtiis,intellectus appetitui,vir vxori,pater liberis:ita etiam dominus ſeruo imperat. atque omnia hæc imperia vtrique tam dominanti quàm obtemperāti vtilia ſunt.

14 ¶ Non eſt tamen in his omnibus eadem poteſtas:ſed animæ in corpus, & hominis in bruta animalia imperium eſt dominium:rationis autem in ſenſus, & parentis in liberos,eſt regium:viri in vxorem,ariſtocraticum.

15 ¶ Legitima ſeruitus eſt eorum,qui in bello capiuntur ab hoſtibus.nam fieri poteſt,vt homo ad imperandum natus capiatur ab hoſtibus,& iure belli fiat eorum ſeruus.

16 ¶ Nati ex ancillis plerumque naturâ ſerui ſunt: quales enim ſunt parentes, tales ſolent eſſe liberi. Quocirca ex viris præſtantibus natos vocamus nobiles : ex vilibus perſonis,ignobiles.quamquàm hoc non eſt perpetuum,ſed interdum ex bonis mali,ex malis boni oriuntur.

17 ¶ Scien-

17 ¶ Scientiæ ſeruiles ſunt,quæ docent quomodo ſerui munera & miniſteria ſua obire debent.atque hæ plures ſunt, prout varia ſunt ſeruorum miniſteria,putà agrum colere, cibos parare,domum verrere,& eiuſmodi alia facere,in quibus nihil eſt prælcari.

18 ¶ Scientia quoque dominica nihil magnum continet,nihil amplum:quoniam eadem ſunt,quæ ſeruus facere,& quæ dominus imperare debet.Vt igitur ſeruum oportet ſcire ea facere,ita oportet dominum ſcire ea imperare.quapropter quibus licet hæc moleſtia ſolutis eſſe,hi curatoribus ſiue actoribus hoc munus imponunt:ipſi autem philoſophantur, aut rempub.adminiſtrant.

CAP. IV.

De naturali ratione rei quærendæ.

19 CVm dictum ſit de ſeruis:conſequenter dicemus in vniuerſum de facultate pecuniaria: quandoquidem ſeruus eſt pars pecuniæ ſeu rei familiaris. Cap.5.

20 ¶ Pecuniaria facultas ab œconomica differt: quatenus pecuniaria facultas res acquirit,ac ſuppeditat œconomo, quibus ipſe œconomus vtitur.

21 ¶ Triplex eſt pecuniaria:naturalis,artificioſa, & mixta.

22 ¶ Naturalis eſt,quæ victum ſuggerit,id eſt,quæ ea comparat ac ſuppeditat œconomo, quæ ſunt ad victum neceſſaria,vt frumentum,vinum,carnes,veſtimenta.

23 ¶ Diuerſa ſunt hominum genera,& diuerſi eorum victus.proinde variæ ac diuerſæ.ſunt rationes naturales,quibus homines victum ſibi comparant: alij ſunt paſtores, alij agricolæ, alij milites : alij venatores, alij aucupes, alij piſcatores. Hinc igitur oriuntur variæ comparandi victus rationes, pecuniaria,agricultura,militaris,venatoria, aucupatoria, piſcatoria.Quidam etiam has rationes coniungunt, quò faciliùs victum ſibi quærere poſſint,ſimúlque paſcunt & latrocinantur,vel agros colunt & venantur.

24 ¶ Naturalis pecuniaria eſt œconomicæ pars, ac veras diuitias parat,quæ ſunt œconomi inſtrumentum. nam veræ diuitiæ ſunt,quæ ad victum ſunt neceſſariæ,non quales optauit Midas,quibus abundans,fame peribat.

25 ¶ Cùm autem in omni arte inſtrumentum ſit finitum:

neceſſe eſt, vt etiam veræ diuitiæ, quæ ſunt œconomi inſtrumentum, finitæ ſunt, quatenus ſcilicèt ad rectè & honeſtè viuendum ſunt neceſſariæ.

Cap. V.

De artificioſa ratione rei quærendæ.

Cap. 6. 26 PEcuniaria artificioſa eſt duplex: altera in nummis tota verſatur, & horum permutatione lucrum captat: (quæ quidem maximè propriè vocatur pecuniaria: & partim eſt honeſtior, vt mercatorum aliunde res aduehentium, vel aliò importantium, partim ſordida, vt cauponum, qui emunt, quæ mox eodem loco vendant) altera quibuſcumque aliis modis lucrum facit, vt putà per artem medicam: multi namque medentur lucri cauſâ, quamuis medicina non propter lucrum, ſed propter ſanitatem ſit inſtituta.

27 ¶ Vtrique communia hæc ſunt. I. Neutra eſt naturalis. II. Neutra eſt pars œconomicæ. III. Vtrique finis propoſitus eſt pecunia: idcirco vtraque in infinitum pecuniam appetit.

28 ¶ Pecuniaria propriè dicta, ex naturali rerum permutatione orta eſt. I. Namque homines neceſſaria inter ſe commutabant, vt putà vinum dabant, vt frumentum acciperent: ſed poſtea, vt multæ huius permutationis difficultates vitarentur, (interdum enim fit permutatio ex diuerſis & diſtantibus locis, in quæ loca non facilè importantur res ad victum neceſſariæ: interdum qui re alterius eget, nihil habet, quo ille in præſentiâ egeat) inuentus eſt nummus, & emptionis venditioníſque contractus. hinc quidam cœperunt ita nummo vti, vt mercaturæ & lucri causâ emerent, quæ poſtea aliis cum lucro venderent. Vide 5. Ethic. cap. 6. & D. de contrah. emptio. l. 1.

Cap. VI.

An pecuniæ quærendæ ratio pertineat ad œconomum.

Cap. 7. 29 QVæſtuariæ ſeu pecuniariæ pars eſt fœneratoria, quæ maximè eſt à naturâ aliena, & maximè odioſa: nummo enim abutitur, qui inuentus eſt ad res æſtimandas & emendas, non ad fænerandum. Adde, quòd ex re ſterili, id

eſt, ex

eſt, ex nummo vſura percipitur. idcirco Latini eam vocant fœnus à fœtu, & Græci τόκον ἀπὸ τοῦ τίκτειν.

Cap. VII.

De his, quæ ad praxim pecuniæ quærendæ pertinent.

30 Naturalis pecuniariæ partes ſunt hæ, Paterfamiliâs, qui hac ratione vult optimè familiæ ſuę proſpicere, I. Vſu ac experientia ſcire debet, quænam ſint res vtiliſſimæ & opportuniſſimæ, & vbi & quomodo. Verbi gratiâ, quibus in locis optimi equi vel boues naſcantur, & vbi viliùs vendantur, & quales ſint optimi, & quibus in rebus eorum vſus ſit maximè idoneus. Eadem ratio eſt pecorum, & aliorum animalium. II. Non debet eſſe agriculturæ imperitus, iam nudæ & ſimplicis, quæ ad ſationē & ſegetes pertinet, quàm conſitę, id eſt, quæ in plantis & arboribus ſpectatur. III. Rationem teneat apium curandarum, & aliorum animalium, tam volatilium, quàm aquatilium, ex quibus aliquid opis & emolumenti conſequi licet.

31 ¶ Pecuniariæ artificioſæ hæ ſunt partes: I. Mercatura. II. Fœneratio. III. Mercenariæ operæ locatio.

32 ¶ Mercaturæ tres ſunt ſpecies. I. Naucleria, ęorum qui nauibus mercaturam exercent. II. Oneraria, eorum qui plauſtris, aut iumentis, aut ſeruis, vel baiulis merces deferũt. III. Paraſtaſis, eorum qui emunt, vt eodem loco vendant.

33 ¶ Mercenariorum duo ſunt genera: quorum alterum in ſordidis ferè artibus exercendis verſatur: alterum in iis ſpectatur, qui ſine arte ſuo corpore laborant, quales ſunt baiuli, & qui ligna ſcindunt.

34 ¶ Expoſui duo pecuniariæ genera, naturale & artificioſum. Inter hæc duo tertium eſt interiectum, quod habet aliquid naturale, & aliquid artificioſum: nam ex terra, & ex illis quæ terrâ naſcuntur, res quærit, infructuoſas quidem, vtiles tamen. Huc referuntur lapidum exciſiones, & metallorirum effoſſiones.

35 ¶ Hæ operæ ſunt artificioſiſſimæ, in quibus minimum loci fortunæ relictum eſt. Sordidiſſimæ ſunt, quibus corpora maximè deformantur. maximè autem ſeruiles, in quibus plurimus eſt corporis vſus. ignobiliſſimæ denique, in quibus minimum virtutis reperitur.

36 ¶ Quidam monopoliis lucrum captant,id eſt,ſibi ſolis aliquid vendendi facultatem ſumentes: quod paucis exemplis explanabo. I. Thales Mileſius ſyderum ſcientiâ futuram olei vbertatem animaduertēs,non emit omnes oleas, vt falsò ſcribit Cicero lib.1. de diuinat. ſed conduxit omnia ἐλαιουργῖα, id eſt,loca ſeu torcularia, quibus oleum conficiebatur, quæ aliis poſtea locauit magna mercede, vt auctores ſunt Ariſtoteles hîc,& Diog. Laërt.in vita Thaletis. II. Democritus futuram olei caritatem animaduertens, omne oleum emit,quod & Sextius quidam Romanus aliquando Athenis fecit,vt ſcribit Plinius lib.18.cap.28. III. Quidam in Sicilia omne ferrum emit, vt alij cogerentur ab ipſo magno pretio accipere: huic verò Dionyſius tyrannus pecuniā quidem reliquit,quam lucratus erat, ſed eum Syracuſis expulit. Hac ratione conquirendæ pecuniæ ſæpe vtuntur principes & reſpublicæ. Cęterùm priuatis iure interdicitur.C. de monopoliis.l.vn.

Cap. VIII.

De viro & vxore,necnon de parentibus & liberis.

Cap.8. 37 VIr vxori politicè, parens liberis regiè præeſſe debet. Idcirco Homerus Iouem apellat patrem hominum ac Deorum.

38 ¶ Paterfamiliâs maiorem curam habere debet perſonarum, quàm rerum: & maiorem perſonarum liberarum, quàm ſeruorum.

39 ¶ Conſultandi facultatem is,qui naturâ ſeruus eſt,nō habet: mulier imbecillā habet: puer imperfectam. Atque hi omnes ſunt virtutis moralis participes, quatenus ad propriū opus peragendum eſt neceſſaria.ſed in patrefamiliâs,& in eo qui regit, virtutē perfectam eſſe oportet.Itaque mulier viro, ſeruus domino, puer parentibus vel tutoribus parēre debet.

40 ¶ Ad opifices ità virtus pertinet, vt ad ſeruos.nā ſordidi opifices ſordidam quandam ſeruitutem ſeruiunt.

41 ¶ Sed inter ſeruos propriè dictos & artifices differentiæ hæ ſunt. I. Seruus eſt naturâ: opifex non eſt naturâ, ſed electione, vt faber, vel ſutor. II. Seruus incertam & pro libitu domini imperantis ſeruitutem ſeruit: opifex certam & definitam,vt ſutor ſeruit in calceis conficiendis,ſartor in veſtimentis

ſtimentis ſarciendis, fullo in iis poliendis. III. Seruus vitæ ſocius eſt,& vnà cum domino viuit: opifex longiùs diſtat, ac ſeorſum degit.

42 ¶ Virtutis,quæ in ſeruo ineſt,cauſa & effector debet eſſe dominus, non aliquis ſcientiâ herili prædit*us*, quæ ad docenda munera ſeruilia ſit accommodata.

43 ¶ Itaque falluntur,qui ſeruos ratione ſpoliát,ac tantùm ab eis exigunt,vt domini præcepta ſequantur:monendi namque ſunt ſerui,& quidem magis quàm pueri.

44 ¶ Mulieres & pueri aptè ad rempublicam, in quâ viuunt, ſunt inſtituendi. nam mulieres ſunt dimidia reipublicæ pars: pueri autem cùm in viros euaſerint, ciuitatis & reipublicæ participes fiunt. quocirca de horum inſtitutione poſteriùs dicendum, vbi de optima reipublicæ forma diſſeremus.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LVI.

POLITICORVM SECVNDVS.

CAP. I.

Diſputatio contra Platonem de mulierum & liberorum communione.

RE EST, priuſquàm noſtram de republica ſententiam explicemus famigeratas reſpublicas, quibus alij ſunt vſi, vel quas philoſophi celebres deſcripſerunt,examinare. Cap. 1.

2 ¶ Plato duas reſpublicas deſcripſit:alteram, quaſi perfectiſſimam, in libris de republica: alteram, quaſi magis pleriſque ciuitatibus accommodatam,in libris de legibus. In vtraque autem Ariſtoteles quædam reprehendit.

3 ¶ Communia vtrique reipublicæ hæc ſunt. I. In vtraque eadem eſt diſciplina cuſtodum. II. Eadem eſt agricolarum inſtitutio. III. Eadem publicorum conuiuiorum ratio. IV. Tres partes ciuitatis facit exemplo animæ humanæ. in prima collocat agricolas & opifices, qui propottione reſpondent facultati concupiſcibili: in ſecunda milites rempublicam ab externis hoſtium incurſionibus, & ab internis ſeditioſorum inſidiis tuentes, qui facultati iraſcibili ſimiles ſunt: in tertia principes & magiſtratus, quos rationi cõparat.

4 ¶ Inter eaſdem reſpublicas hæ ſunt differentiæ. I. In priore republica mulieres, liberi, & res omnes ſunt communes: à poſteriori verò republica hæc communio exulat. II. Poſterioris reipublicæ proprium eſt, vt mulieribus quoque ſodalitia & cœnæ publicæ concedantur. III. In priori republica Plato mille milites conſtituit: in poſteriori autem quinque millia.

5 ¶ Aduerſus primam rempublicam Ariſtoteles Platoni hæc obiicit. I. Reprehendit mulierum & liberorum communionem. II. Repudiat bonorum & rerum omnium communionem. III. Oſtendit doctrinam Platonis eſſe imperfectam: quia non declarat, an agricolæ & artifices ad magiſtratus gerendos ſint admittendi: & an hi quoque arma geſtare, & belli gerendi onus ſuſtinere debeant. ſed tantummodò ait mulieres vnà cum viris pugnandi onus ſubire, & eadem diſciplinâ inſtitui deberẽ. IV. Magiſtratus perpetuos facit, quod alios ciues ad ſeditiones excitandas impellet. V. Non vult ſingulos ciues eſſe beatos, ſed vniuerſam ciuitatem eſſe beatam: atqui fieri nequit, vt ciuitas beata ſit, niſi ſinguli ciues beati ſint.

6 ¶ Aduerſus mulierum & liberorum communionem Ariſtoteles vtitur tribus argumentis. I. Socrates hanc communionem inducit, vt ciuitas vna fiat, cùm eiuſmodi vnitas ciuitati non conueniat: quia ciuitas cõſtat ex multis ſpeciebus inter ſe diſcrepantibus: alij namque ſunt magiſtratus, alij medici, alij fabri, & cet. quòd ſi magis vna fiat, è ciuitate domus euadet, atque è domo fiet ſingularis homo. bonorum autem abundantia & copia magis reperitur in domo, quàm Cap.2. in vno homine, & magis in ciuitate quàm in domo. Quare perfectio nõ eſt in vnitate, ſed in compoſitione. II. Ex principiis

cipiis Platonis non fit ciuitas vna,vt ipſe exiſtimauit: Socrates enim argumentum vnitatis accipit,ſi omnes æquè dicāt, hoc eſt meum, vel, hoc non eſt meum. Atqui fallacia eſt in verbo,*omnes:* quod vel coniunctim accipitur, vel diſiunctim: ſiue(vt ſcholaſtici loquuntur)vel collectiuè, vel diſtributiuè. Etenim ſi à Socrate coniunctim accipiatur,verum eſt omnes ſimul in eius republica verè dicere aliquid ſuū eſſe. Sed hoc nihil ad cōcordiam valet. ſi verò diſiunctim ſumatur pro *ſinguli,*falſum & impoſſibile eſt,omnes, id eſt, ſingulos verè dicere ſuum eſſe. III. Hanc communionem ſequuntur multa incommoda.

7 ¶ Sunt autem incommoda hæc. I. Parua habebitur cura liberorum,cùm ſint omnibus ciuib. cōmunes: quilibet enim ferè ſua curat,communia negligit, & aliis curanda relinquit:ſicut plerumq; videmus plures famulos deteriùs inſeruire.vt enim vulgò dicitur,*ſegnius expediunt negotia commiſſa plures.*vnde Imperatores in l.2.C.quan.& quib.quar.pars deb. *Naturale,*inquiunt,*eſt,negligi quod communiter poſſidetur, vtque ſe nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur: denique ſuam quoque partem corrumpi patiatur,dum inuidet alienæ.* II. Cognatio in republica Socratis eſt incerta: quia non conſtat, cuius ſit filius qui naſcitur. & ſanè pluris faciendum eſt, patruelem eſſe, vt nunc in rebuſpublicis cognatio accipitur, quàm eſſe filium in illa incertitudine & mulierum communione. III. Naturalis ſimilitudo liberorum erga parentes ſæpe efficiet, vt liberi à parentibus agnaſcantur. quamobrem, vbi hoc continget, non erunt liberi æquè communes omnibus ciuibus, vt vult Socrates:neque ęquè ab omnibus diligentur,ſed magis ab iis,quibus ſimiles erunt.atque hi maiore amore proſequentur pueros ſibi ſimiles,quàm alios. IV. Committentur facilè parricidia propter ſtirpis & cognationis ignorantiam, eáque debitis pœnis non poterit coërceri. V. Ignorātia illa cognationis pariet illicitos amores inter patrem & filiam, inter fratrem & ſororem,& ſimiles perſonas, inter quās non ſolùm corporalis cōiunctio,ſed etiā amor eſt illicitus & turpis. VI. Abſurda eſt ſententia Socratis, harū perſonarū concubitum prohibentis tantùm propter nimiam voluptatem, quam ſanguinis coniunctio pareret,non propter rei turpitudinem & inceſtum. VII. Minima erit amicitia in eiuſmodi

republica.cùm enim duo ſint, quæ maximè amicitiam conciliant, proprium & dilectum: hæc minimè reperiuntur in Socratica illa communione. VIII. Socrates natos in ciuitate, qui aliquo vitio laborant, ad agricolas transferri iubet: contra, in agricolis & opificibus, ſi qui ſunt nati melioris notæ, transferri eos vult in numerum cuſtodum: quæ res moleſtiæ ac difficultatis plena eſt, cùm vix latere poſſit, vnde, & quò ſint tranſlati: quod Socrates vult eſſe arcanum. præterea cùm hi ſint illis extranei, ad quos ſunt tranſlati, facilè vulnera, cædes, & alia crimina committent.

Cap. II.

Diſputatio contra Platonem de bonorum communione.

Cap. 3. 8 ADuerſus Socraticam patrimonij communionem Ariſtoteles hæc obiicit. I. Rerum cõmunio ſolet diſcordiam & contentiones excitare: quod etiam Iureconſulti teſtantur. D. de ſeruitut. præd. vrban. l. in re communi. 26. & de legat. ij. l. cùm pater. 77. §. dulciſſimis. II. Melius eſt rerum dominia eſſe diſtincta, vt à ſingulis res propriæ diligenter curentur: quia communia negligi ſolent, vt paulò antè docui: vſum autem ſolum communicari, & in eo locũ habere, quod dicitur, res amicorum eſſe communes. III. Magna voluptas percipitur ex rerum poſſeſſione, & earum erga amicos diſtributione; quæ voluptates in republica Socratis locum non habent. IV. Socrates hac ratione vſum duarum virtutum tollit, nimirum tẽperantiæ, quâ abſtinetur à mulieribus alienis: & liberalitatis, quâ proprias pecunias largimur. V. Non declarat, an agricolis quoque res & mulieres communes eſſe debeant, néene: vtrumuis autem dicamus in difficultates incidemus. nam ſi res ſint agricolis communes inter ſe, duæ quodammodo ciuitates erunt, altera cuſtodũ, altera agricolarum, quæ vix erunt concordes. at ſi agricolę res proprias poſſideant, inter hos ſecundum Socratem erunt rixæ & querelę, quarum vitandarum causâ rerum communionem introducit. Inſuper agricolæ, ſi res poſſideant, erunt ſuperbi & moroſi; nec facilè cuſtodibus parere volent. præterea ſi mulieres agricolarum ſint communes, quis domorum diſpenſationem, quæ mulierum propria eſt, ſuſcipiet?

Cap.

Cap. III.

De ſecunda Platonis republica ab eo expoſita in libris de legibus. Cap. 4.

9 ADuerſus ſecundam rempublicam in libris de legibus deſcriptam, Ariſtoteles hæc opponit. I. Immenſo agro opus eſt, ex quo alantur quinque millia otioſorum, quos Socrates conſtituit in hac republica, & præterea alatur magna mulierum, liberorum, & ſeruorum multitudo. II. Socrates imperfectè loquitur, cùm ait legiſlatorem in condendis legibus duo ſpectare debere, locum & homines. nam etiam locorum vicinorum, & finitimorum ratio habenda eſt: quandoquidem bellum non ſolùm intra proprios fines, ſed etiam in externis locis interdum geritur. Dicet fortaſſe Socrates, ſibi non placere, vt vltrò finitimis bellum inferatur, & finium propagandorum causâ bellum geratur: ſed nihilominùs oportet hoſtibus non ſolùm in noſtros fines incurrentibus, ſed etiam ab euntibus, & cùm inde deceſſerint, formidoloſos eſſe. III. Multitudinem bonorum ita Socrates definit, vt putet tantas facultates ſuppetere debere, vt ciues poſſint frugaliter & temperanter viuere. atqui fieri poteſt, vt frugaliter quidem & temperanter viuant: ſed ærumnosè, & laboriosè. quocirca verius eſt, tantas facultates requiri, vt non ſolùm temperanter, ſed etiam liberaliter viuere liceat: quoniam hæ duæ virtutes in pecuniis ſpectantur. IV. Cùm Socrates bonorum exæquationem introducat, tamen de numero ciuium, & de procreatione liberorum nihil ſtatuit. fieri ergo poteſt, vt aucto ciuium numero paupertas introducatur, quæ ſolet ſeditionum & maleficiorum cauſa eſſe. magis autem in republica Socratis, quàm in receptis rebuſpublicis neceſſe eſt hanc perſonarum rationem habere: quia in his bona, quanta quanta ſint, inter ciues ſunt diuiſa: in illa verò ſunt communia. V. Socrates non declarat, quâ ratione magiſtratus aliis ciuibus antecellant: tantùm li. 5. de legib. ait, vt in telis texendis vel pannis ſtamen à trama differt, ita magiſtratus ab aliis differre VI. Patrimoniū augeri permittit vſq; ad quintuplū: ergo etiā agrū ita amplificari, permittere debuit. VII. Singulis ciuib⁹ binas ędes attribuit, quod eſt incōmodū: quia difficile eſt duas domos habitare. VIII. In libris de legibus optimā poſt primā rēpulicam ſtatuit eam, quæ mixta eſt ex democratia & tyrannide. atqui hęc duo ſunt deterrima rerum

publicarum genera:melior igitur eſt reſpublica ex melioribus rebuſpublicis mixta item melior eſt,quæ ex pluribus cōſtat,vt ex monarchia,ariſtocratia,& timocratia.IX.Cùm mixtam ex tyrannide & democratia rempublicam laudet,ac talem conſtituere velit: à ſcopo aberrat: quoniam eius reſpublica nihil habet,quod ad monarchiam referri poſſit:ſed partim ad oligarchiam,partim ad democratiam refertur, magis tamen in oligarchiam inclinat. quod enim vult Socrates, magiſtratuum electionem ad ſortem reuocari,id vtrique reipublicæ commune eſt,tam democraticæ, quàm oligarchicæ. ſed quæ deinde Socrates adiicit,oligarchiæ propria ſunt. nam locupletibus neceſſitatem imponit conciones, & comitia frequentandi, aliáque munera obeundi. item dari operam vult, vt maior pars eorum qui magiſtratibus præſunt, è locupletibus ſumatur. præterea maximos magiſtratus creari iubet ex maximis cenſibus.inſuper electionem Senatus ariſtocraticam conſtituit:quia cùm ciues ratione cenſus diſtribuat in quatuor claſſes,neceſſitatem eligendi non imponit tertiæ & quartæ claſſi,vt primæ & ſecundæ.Vide lib.6. de legibus. X. Periculoſam magiſtratuum electionem inſtituit, dum vult ex maiori electorum numero quoſdam eligi. nam ſi qui vel pauci coierint, & conſpirarint, ſemper ex eorum voluntate, & pro eorum arbitratu, magiſtratus eligentur.

Cap. IV.

De republica Phaleæ Chalcedonij.

Cap. 5. 10 PRimus Phaleas Chacedonius æqualitatem bonorum inter ciues neceſſariam eſſe exiſtimauit ad ſeditiones tollendas,& ciuitatem rectè conſtituendam: quam æqualitatem putauit facilè introduci poſſe ab initio, cùm vrbs aliqua conditur,& ciuitas conſtituitur:poſtea verò laborioſius quibem & difficiliùs,fieri tamen ita celeriter poſſe, ſi diuites dent,non accipiant dotes:contrà verò, qui ſunt pauperes,dotem accipiant,non dent.

11 ¶ Æqualitatem aliquam inter ciues non tantam,quantam Phaleas,etiam quidam legumlatores in ſuis rebuſpublicis conſtituere voluerunt,quorum exempla ſubiiciam. I. Solon

lon & alij quidam non permiſerunt, vt quantumcumque agri vellet, quiſpiam emeret. II. Apud Locros lex prohibebat, ne quis patrimonium venderet, niſi probaret ſe in manifeſtum infortunium incidiſſe. III. Quædam leges prohibebant antiqua patrimonia hereditaria vendere.

12 ¶ Aduerſus omnes, qui de patrimonij quantitate leges condiderunt, Ariſtoteles vtitur hoc argumento, quòd oportebat eos etiam numerum liberorũ definire: quia ſi manentibus iiſdem facultatibus numerus liberorum augeatur, è diuitibus fient pauperes: proinde ab his periculum reipublicæ imminebit: quia paupertatis vitandæ causâ facilè delinquent, & ſeditiones excitabunt.

13 ¶ Specialiter Phaleæ hæc obiicit. I. Non ſufficit patrimonia eſſe æqualia: quia fortaſſe nimis tenuia erunt, vt ad vitam commodè degendam non ſufficiant, vel nimis ampla, adeo vt ciues profuſè & luxurioſè viuant: quare imperfecta eſt Phaleæ doctrina, quantitatem patrimonij non definiens. II. Non tam quærenda eſt exæquatio facultatum, quàm moderatio cupiditatum, quæ ſine legitima inſtitutione eſſe nequit. Ait quidem Phaleas, & rem familiarem æqualem eſſe debere, & æqualem, immo eandem omnium inſtitutionem: ſed, quænam ea inſtitutio ſit, non declarat. Quid ergo, ſi malè & ad auaritiam ac cetera vitia ciues inſtituãtur? III. Non ſufficere bonorum exæquationem, patet: quia non ſolùm propter inæqualitatem bonorum, ſed etiam propter inæqualitatem honorum ſeditiones excitantur. Itẽ vt plebs inæqualitatem bonorum, ita viri præſtãtes æqualitatem bonorum ægrè ferunt. Præterea non ſolùm qui egent, iniurias faciunt, ne rigeant, aut eſuriant: ſed etiam qui non egẽt, in alios graſſantur, & aliis eripiunt, vt cupiditatibus poſſint indulgere. Cùm igitur tres ſint iniuriarum & ſeditionũ cauſæ, nimirùm pecuniæ, honoris, & voluptatis cupiditas: non ſufficit ad hæc omnia coërcenda vnum illud Phaleæ remedium à bonorum æqualitate petitum: ſed danda eſt opera, vt pauperes habeant modicam rem familiarem, necnõ induſtriam, quæ rei familiaris defectum ſuppleat: honoris autem cupidi ad temperantiam inſtituantur: qui verò voluptatibus ſtudẽt, ſi per ſe gaudere, nec ab aliis pendere volunt, eas à philoſophia petant. IV. Paruæ iniuriæ fiunt propter inopiã, magnæ

propter res non neceſſarias. verbi gratiâ, tyrannidem occupant, non vt ne algeant, ſed vt impunè ſuas libidines expleant.quare paruis tantùm iniuriis remedium Phaleas quęſiuit. V. Phaleas eò tantùm reſpexit, vt ciues haberent inter ſe ciuitatem & rempublicam bene conſtitutam: ſed oportet etiam rationem habere finitimorum,& extraneorum, vt ab eis reſpublica tuta ſit, viribus & copiis bellicis inſtructa:de quibus Phaleas non ſtatuit, atque ea eſſe debet patrimoniorum & facultatum magnitudo,vt non ſolùm ad ciuiles vſus ſufficiat, ſed etiam ad externa pericula remouenda. quocirca nec tantas facultates eſſe oportet, vt potentiores ad bellum inferendum alliciant, nec tam tenues, vt bellum ſuſtineri non poſſit. ſed de his Phaleas non definiuit. VI. Quia cupiditas hominum expleri nequit: multi, quò plura poſſident,eò plura deſiderant,idcirco non tam aptum remedium eſt bonorum exæquatio, quàm eos, qui naturâ probi ſunt,tales reddere, vt plus iuſto nolint, improbos autem,vt non poſſint. VII. Phaleas tantùm adæquat agrorum poſſeſſiones.atqui ſunt & aliæ diuitiæ, vt quæ in ſeruis, in pecoribus,in nummis, in ſupellectili conſiſtunt. VIII. Nimis paruam ciuitatem conſtituit: quoniam è numero ciuium omnes opifices eximit.

Cap. V..

De republica Hippodami.

Cap.6. 14 HIppodamus Mileſius, qui primus ciuitatum diuiſionem inuenit, in republica conſtituenda hæc præſcribit. I. Ciuitatem conſtituit ex decem millibus hominum. II. Eam diuidit in tres partes: in quarum vna collocat artifices, in altera agricolas, in tertia milites. III. Agrum ſecat in tres partes:quarum vnam ſacram facit, ex qua ſumptus ad ſacrificia ſuppetant: alteram publicam, ex qua milites alantur: tertiam priuatam,& agricolarum propriam. IV. Tria legum genera ſtatuit: nempe de contumelia, de damno, & de cæde: quoniam aut de honore ſuo læſo aliquis conqueritur,aut de iactura rei familiaris, aut de vita & ſalute. V. Vnam è ſenibus ſuffragio delectis curiam conſtituit. ad quam omnes appellationum cauſæ deuoluantur. VI. Senten-

Sententias non calculis, ſed tabellis ferri iubet: ita vt iudex, ſi condemnare ſimpliciter velit, id in tabella ſcribere debeat: ſi abſoluere, tabellam ſcripturâ vacuam relinquat: ſed ſi partim condemnare, partim abſoluere malit, vt quia actor viginti petit, ac iudex decem deberi putat, hoc ipſum ſcripturâ declarat. putat enim Hippodamus iudices, dum calculos ferunt, ſæpe peierare, videlicèt ſimpliciter abſoluentes, aut ſimpliciter condemnantes, cùm exiſtimant partim abſolui, partim condemnari oportere.

15 ¶ In republica Hippodami Ariſtoteles hæc reprehendit. I. Reipublicæ participes ſunt, non tantùm milites, qui arma poſſident, ſed etiam agricolæ inermes, & opifices tam armis quàm agro carentes: ergo reliqui erunt tamquàm militum ſerui. nam ex militibus creari oportet duces, & ciuitatis cuſtodes, & ſummos magiſtratus. Quocirca reliqui non poſſunt eſſe circa rempublicam bene animati: immò cùm milites ſint reliquis potentiores, & rempublicam in ſua poteſtate habeant, quid opus eſt alios eſſe reipublicæ participes? II. Agricolæ proprios agros habentes, eóſque priuatâ curâ colentes, nihil ad rempublicam pertinent. III. Agri, ex quibus aluntur milites, aut colendi ſunt ab ipſis militibus, aut ab iiſdem agricolis, quibus proprij agri ſunt attributi, aut ab aliis agricolis. Si à militibus colantur, iidem erunt milites & agricolæ. quare malè Hippodamus diſtinguit inter hæc duo hominum genera. Si verò colantur ab iiſdem agricolis, difficile erit, vt hi poſſint fructus ſuppeditare duabus familiis, nimirum ſuæ & militari. Præterea quid opus erat ſeparare agrum militum ab agro ruſticorum? cur non potiùs ex eodem agro ruſtici ſibi & militibus victum ſuggerunt? Sin autem coluntur ab aliis agricolis: hi quartam ciuitatis partem conſtituent, nullius rei participem, ſed à reipublicæ ſtatu alienam, & abhorrentem. IV. Iudicium cum arbitrio confundit. cùm enim actio ſimpliciter ſit inſtituta, nihilominùs vult Hippodamus iudicem, ſi ita ſibi videatur, partim condemnare, partim abſoluere: quod arbitri, non iudicis officium eſt ſecùndum Ariſtotelem: qui hoc etiam Hippodamo obiicit, fieri poſſe, vt ſentẽtiæ iudicũ nõn ſolùm

à petitione actoris, ſed etiam inter ſe diſcrepent, dum alius in totum abſoluit, alius in totum condemnat, alius partim condemnat, partim abſoluit, adeo vt iudicium non ſit habiturum exitum. Addit Ariſtoteles iudicem non peierare, nec malè iudicare, ſi reum omnino abſoluat, quamuis putet partem deberi: quoniam abſoluit ab ea ſimplici & totius petitione, quæ malè concepta eſt, id eſt, non iudicat nihil deberi, ſed iudicat non deberi quod petitum fuit. Hippodamea ſententia, vt eſt æquior, quàm Ariſtotelica, ita etiam iure quo vtimur comprobata eſt. ſed Ariſtotelis ſententia à veteri iure Romano non diſcrepat, & ratione ſtricti iuris nititur. Vide l.1.& 2.C.de plus petit. & §.ſi quis agens. Inſt. de action. V. Periculoſum eſt, quod Hippodamus ſtatuit, vt honores iis habeantur, qui nouum aliquid reipublicæ vtile inuenerint: præbet enim occaſionem mutandi patrias leges, quod facilè & ſine magna cauſa fieri non debet, vt etiam Romano iure eſt conſtitutum, D. de conſtit. princip.l. 2. immo nihil vetat malos homines ſpe præmij pernicioſas leges proponere, & tamquam reipublicæ vtiles obtrudere: quà ratione ſtatus reipublicæ in diſcrimen adducitur.

Cap. VI.

De republica Lacedæmoniorum.

Cap.7. 16 Lacedæmoniorum reipublicæ à Lycurgo inſtitutæ Ariſtoteles hæc obiicit. I. Nullam rationem Lycurgus inuenit, qua ilotas in officio contineret. quapropter ab eis inſidias Lacedæmonij non ſemel paſſi ſunt, quemadmodum & Theſſali à peneſtis, & Romani à ſeruis duce Spartaco. Ilotæ apud Lacedæmonios, & peneſtæ apud Theſſalos erant homines liberi, ſed valde pauperes, qui iniquis legibus premebantur, & quaſi loco mancipiorum habebantur. tales ſunt hodie in Polonia, & multis Germaniæ locis ruſtici. II. Mulieribus nimiùm indulſit, adeo vt intemperanter & luxurioſè viuerent, & tam auaritiæ, quàm multorum malorum cauſæ fuerint, multúmque etiam viris dominarentur, propterea quòd Lacedæmonij erant bellicoſi, cuiuſmodi homines ſunt valde ad Venerem procliues: quod

quod veteres ſignificarunt, Martem cum Venere copulantes. Lucretius lib. I.

—bellì fera munera Mauors,
Armipotens regit, in gremium qui ſæpe tuum ſe
Reiicit, æterno deuinctus vulnere amoris.

III. Reprehenſione digna eſt inæqualitas bonorum: alij namque ampliſſimas facultates poſſidebant, aliorum res familiaris tenuiſſima erat. agro autem Spartano ad paucos redacto, & duabus ex quinque partibus ad mulierem tranſlatis, factum eſt, vt, cùm ager poſſet mille & quingentos equites, & triginta millium armatorum peditum alere, tamen ne mille quidem numero eſſent. Hoc verò vitium contigit, partim ob legem ab Epitade quodam latam (auctore Plutarcho in Agide) vt liceret patrimonium cuicumque inter viuos donare vel teſtamento relinquere, licèt emptionem & venditionem tamquàm minùs honeſtam notaret: partim quia mulieres conſtituebant amplas dotes, & nubere cuiuis poterant: hinc igitur vitium illud ortum eſt, quod paucitatem hominum introduxit, ob quam reſpublica Spartana non vnam plagam perpeſſa eſt, ac tandem funditus interiit. Huic hominum paucitati & penuriæ dicuntur Lacedæmonij tempore priorum regum ſic mederi ſoliti, vt ciuitatem multis donarent, quò magis hominibus abundaret. Sed præſtat ex ſententia Ariſtotelis, per bonorum adæquationem habere ciuitatem hominibus refertam. IV. Lex habenti tres liberos vacationem præſidij tribuit, habenti autem quatuor liberos immunitatem omnium munerum concedit. Quare ſtante dicta agri diuiſione, ſi multi liberi naſcantur, neceſſe eſt, vt ſint multi pauperes. V. Rationem Ephoros eligendi Ariſtoteles puerilem eſſe ſcribit: qualis tamen eſſet, non declarat. IV. Ephororum potentia nimis magna erat, cùm omnes è populo crearentur, & ſæpe eſſent pauperrimi, proinde venales. præterea non erant legibus adſtricti, quamuis eſſent ferè imprudentes & imperiti. VII. Eorum vita erat nimis remiſſa & diſſoluta: idcirco voluntati ciuitatis, quæ in ceteris duritie & aſperitate modum ſuperabat, minimè conſentanea. VIII. Senatorum poteſtas perpetua erat. atqui vt corporis, ita etiam animi ſenium eſt: quo fit, vt aliquis deſinat eſſe aptus

ad ſenatoria negotia adminiſtranda. rectè enim Darij vxor inquit apud Herodotum libro tertio *αὐξανομένῳ τῷ σώματι συναύξονται καὶ αἱ φρένες· γηράσκουσι δὲ συγγηράσκουσι, καὶ εἰς τὰ πράγματα πάντα ἀπαμβλύνονται*: id eſt, *augeſcente corpore augeſcit vnà ingenium: ſimul autem cum ſeneſcentibus conſeneſcit, & ad res omnes obtuſum redditur.* IX. Rationem ſuæ adminiſtrationis reddere non tenebantur: idcircò ſæpe corrupti pecuniâ, vel gratiâ, iniuſtè ſe geſſerunt. X. Modus eligendi ſenatores puerilis erat: conuocato enim populo delecti viri tabellas habentes, in domicilio quodam collocabantur: vnde nec concionem videre, nec ab ea videri, ſed tantum clamorem audire poſſent. Itáque iis, qui de honore contendebant, per concionem ſeparatim tranſeuntibus, populus clamorem excitabat: delecti autem illi viri clamorem notabant, qui prima, qui ſecunda, vel vlteriori vice excitatus eſſet, ac qui maiori clamore à populo exceptus fuerat is ſenator renunciabatur. Vide Plutarchum in Lycurgo. XI. Nemo cooptabatur in ſenatorium numerum, quin eum honorem ambiret. ſatius autem eſt, dignos promoueri, etiamſi non petant, immo etiam inuitos. illa autem honorum petitio reddit homines ambitioſos, proinde eſt vitioſa, licèt in Romana quoque republica obtinuerit. ſed Romanam rempublicam vitiis non caruiſſe, vel ex multis ac penè perpetuis ſeditionibus & diſcordiis, quæ tandem rempublicam ſubuerterunt, facilè apparet. XII. Regnum erat hereditarium, ita vt duo ex duabus ab Hercule ortum ducentibus familiis reges eſſent. atqui præſtat reges eligi potiùs morum ratione habita, quàm familiæ. quocirca ipſe legiſlator regibus illis non fidebat, ſed ad bellum cum ſumma poteſtate proficiſcentibus. legatos inimicos adiungebat, à quibus omnia ipſorum facta notarentur, & ad Ephoros deferrentur. item regum inter ſe diſſidia, reipublicæ ſalutaria iudicabat. XIII. Cœnæ publicæ ſeu communia conuiuia non fiebant publico ſumptu, vt apud Cretenſes: ſed oportebat omnes ſymbolam conferre. quod onus pauperibus graue erat. qui verò hoc onus ſuſtinere non poterant, non erant reipublicæ participes. XIV. Lex

de præ-

de præfectis claſſis creandis reprehenſa eſt à multis, tamquàm diſcordiarum & ſeditionum cauſa: quia magna erat eorum poteſtas, ac penè regiæ poteſtati par. quapropter inter ipſos & reges neceſſe erat multas oriri contentiones & diſſidia. XV. Plato quoque lib. I. de legibus rectè reprehendit Lycurgum, quod in republicâ conſtituendâ tantùm ad virtutem bellicam reſpexit. quare Lacedæmonij, quamdiu bella geſſerunt, incolumes extiterunt: imperio autem adepto, perierunt quippe qui vti otio neſciebant, nec vllam bellica potiorem artem colebant. Eodem vitio laborauit, & eâdem de cauſâ periit Romana reſpublica. XVI. Lacedæmonij rectè putabant honores & imperia comparari potiùs virtute, quàm vitio: ſed peccabant, præferentes virtuti hæc bona externa, quaſi horum cauſâ virtus colenda eſſet. XVII. Ærarium publicum non habebant, nec publicos reditus, cùm tamen bellandi artem colerent, quæ magnos ſumptus requirit: è priuatis autem facultatibus malignè conferebant in publicum, ſibi inuicem indulgentes, & minùs quàm oporteret, conferentes. ſanè hac ratione factum eſt, vt ciuitas inops eſſet, ſinguli autem ciues auari.

17 ¶ Quædam in Spartana republica Ariſtoteles probat. I. Quod omnes ciues cupiebant rempublicam ſaluam eſſe: id eſt, reges propter ſummam dignitatem, quâ erant præditi: & populus, quia ex ipſo populo creabantur ephori, quorum ſumma erat poteſtas: & optimates, quoniam ex eis conſtabat ſenatus. II. Quod bona virtute non vitio acquiri ſtatuebant, vt paulò antè retuli.

Cap. VII.

De republica Cretenſium.

18 Cretenſis reſpublica Laconicæ ſimilis eſt, ſed in quibuſdam aliquantò deterior: nã ad eius exẽplum Laconica à Lycurgo eſt inſtituta, correctione quadam abhibitâ. Cap. 8.

19 ¶ Sunt autem inter has duas reſpublicas hæc ſimilia. I. Vt Spartanis ilotæ, ita Cretenſibus periœci agros colebant. II. Apud vtroſque erant cœnæ publicæ, quæ Lacedæmonij ab initio vocabant Andria, vt & Cretenſes:

ſed poſtea,mutato nomine,vocarunt Phiditia. III. Eandem poteſtatẽ habebát apud Spartanos ephori,& apud Cretenſes coſmi:ſed ephori erát quinque,coſmi verò decẽ. IV.Senatorũ numerus in vtraq; republicâ erat æqualis,ſed ſenat⁹ à Cretẽſibus vocabatur Conſiliũ. V. Vtrobique erát reges: ſed poſteà Cretenſes,ſublatis regibus, curam belli gerendi coſmis demandarunt. VI. Vtrobique omnes erant concionis & comitiorum participes, quamquàm apud Cretenſes videtur paulò reſtrictior fuiſſe populi poteſtas, apud quos nihil noui decernere poterat,ſed tantùm quæ à ſenatoribus & coſmis decreta fuerant,comprobare.

20 ¶ Publica conuiuia apud Cretenſes rectiùs & populariùs ſunt inſtituta, quàm apud Lacedæmonios. nam Lacedæmone ſinguli per capita conferebant: & qui nòn poterat conferre, non poterat eſſe reipublicæ particeps, vt ſuprà notaui:in Cretâ verò è publico ſumptus fiebat.

21 ¶ In Cretenſi republica hæc reprehenduntur. I. Quæ dicta ſunt contra ephoros,eadem valent contra coſmos. II. Coſmi non eligebantur ex omnibus,vt Lacedæmone ephori,ſed tantùm ex certis familiis:quæ res faciebat, vt populus minùs reipublicæ faueret. III. Coſmi peccantes ſeu delinquentes non corrigebantur aliqua legitima ratione:ſed coitione ex collegis,vel ex priuatis hominibus facta, eiiciebantur. IV. Licebat coſmis ante tempus ſe magiſtratu abdicare. V. Viri magni & potentes, vt legibus ſe ſubducerent, ſolebát aſſumpto populo & amicis,vni ſummam poteſtatem tribuere,& ſeditionem excitare.

Cap. VIII.

De republica Chartaginienſium.

Cap.9. 22 TRes reſpublicæ inter ſe ſimiles, aliiſque præſtantiores apud Græcos fuere, Laconica. Cretenſis, & Chartaginienſis: hæc autem erat omnium optima.

23 ¶ Huius Chartaginienſis reipublicæ memoratu digna,quæ partim laudem, partim vituperationem merentur, hæc ſunt. I. Sodalitiorum conuiuia, quæ ab iis vocabantur ſyſſitia,Phiditii Lacedæmoniorum erant ſimilia. II. Centum & quatuor virorum magiſtratus erat ſimilis ephoris, prætérquàm

quàm quòd non ex quibuſcumque eligebantur, vt ephori apud Lacedæmonios, ſed tantùm ex optimatibus: quod quidem rectius eſt. III. Reges & ſenatus apud Chartaginienſes erant ſimiles regibus & ſenatui Spartano. Sed hoc rectiùs apud Chartaginiéſes habebat, quòd reges nõ ſẽper eligebantur ex eadẽ familiâ, nõ tamẽ ex quacũque familiâ, maiórque habebatur virtutis, quàm ætatis ratio. IV. Ea, de quibus reges & ſenatus cõſẽtiebãt, nõ erat opus ad populũ referre: at ſi diſentirẽt, ad populũ deferebãt, túncque populus pro libitu ſtatuebat, quod ſibi videbatur. V. Quinquemuiri, qui multarum & magnarum rerum domini erant, à ſemetipſis deligebantur: & ipſos centumuiros, quorum maximus erat magiſtratus, eligebant: & diutiùs obtinebant imperium, quàm alij: quoniam & defuncti magiſtratu, & priuſquàm inirẽt magiſtratum, reipublicæ præerant. quæ quidem omnia ſunt oligarchica. VI. Iidem quinquemuiri nec mercedem vllam capiebant, nec ſorte eligebantur: hæc autem ſunt ariſtocratica. VII. Ariſtocraticum quoque hoc eſt, omnes lites & controuerſias ab iiſdem magiſtratibus diiudicari, non alias ab aliis, vt fiebat Lacedæmone. VIII. Summos magiſtratus non ſolùm ex virtute, ſed etiam ex diuitiis creabant. quod ergo ad hoc, reſpublica mixta erat ex ariſtocratiâ & oligarchiâ. hoc tamen magnum erat eius reipublicæ vitium, quo efficiebatur, vt ſummi magiſtratus eſſent venales, & maiori pretio eſſent diuitiæ, quàm virtus. exiſtimauit enim legiſlator fieri non poſſe, vt facultatibus deſtituti, rectè magiſtratu fungantur & otientur. ſed oportebat (ſecundum Ariſtotelem) cauere, vt viri probi facultatibus non deſtituerentur. Prętereą peccauit legiſlator ille, dum habuit magis ſuſpectum hominem pauperem, licèt probus ſit, quaſi rempublicam quæſtui ſit habiturus, quàm diuitem, qui in magiſtratum ſuſcipiendum ſumptum fecit. ferè enim qui magiſtratum emit, ſuam poteſtatem tam in ciuilibus quàm in criminalibus cauſis venalem habet, vt ait Imperator Nou. 8. Alexander quoque Seuerus dicere ſolebat neceſſarium eſſe, vt qui emit, vendat, nec ſine rubore puniri poſſe eum, qui quod emit, vendit. Seneca libr. 1. de benef. cap. 9. *Prouincias*, inquit, *ſpoliari, & nummarium tribunal, auditâ vtrimque licitatione, alteri addici, non mirum: quando quæ emeris, vendere, iuris gentium eſt.*

IX. Plures magiſtratus eidem ſimul gerere eodem tempore dicebat, atque hoc glorioſum exiſtimabatur. Sed præſtat in magna ciuitate ſingulos magiſtratus ſingulis demandari: cûm quia vnum opus ab vno meliùs efficitur, tum etiam vt plures ſint magiſtratuum participes. X. Cùm reſpublica ad oligarchiam verteret, idcirco ne pauperes ſeditionem excitarent, eos ſolebant præficere ciuitatibus ſubiectis, vt ex iis præfecturis pecunias colligere poſſent: quo præmio deliniti quieſcebant. Sed hoc remedium, ſi contingat ſubiectos deficere, ceſſabit. quare præſtat, legiſlatorem aliam quampiam rationem inuenire, quæ non ab externis caſibus pendeat.

Cap. IX.

De republica Athenienſium.

Cap. 10. 24 EOrum, qui de republica aliquid pronunciarunt, alij priuatam vitam traduxerũt, alij muneribus publicis functi, rempublicam conſtituerunt, & leges impoſuerunt, alij tantùm leges condiderunt.

25 ¶ Priuati homines fuerunt, Socrates, Phaleas, Hippodamus, de quibus ſuprà dictum fuit.

26 ¶ Rempublicam conſtituerunt, & leges condiderunt, Lycurgus Lacedæmone, Minos in Creta, Solon Athenis.

27 ¶ Solonem quidam laudant, tamquàm egregium legiſlatorem, & egregium virum politicum: quia paucorum immoderatum dominatum ſuſtulit, & populum ſeruitute liberauit, patriámque & antiquam reipublicæ formam reſtituit, aptè permixtis rerumpublicarum generibus. nam Athenis ſenatus ariopagiticus ad oligarchiam, id eſt, paucorum dominatum, pertinebat: magiſtratuum electio erat ariſtocratica, id eſt, ad imperium optimatum ſpectabat: iudicia verò erant popularia. Verùm Ariſtoteles affirmat Solonem rerum quidem iudicandarum poteſtatem omnibus ciuibus dediſſe, ſed neque ſenatum ariopagiticum, neque magiſtratuum electionem inſtituiſſe: horum enim vtrumque ex veteri republica ob eo retentum fuiſſe. Priorem ſententiam videtur ſequi etiam Plutarchus in Solone, licèt in

cėt in vtramque partem argumenta afferat, vt M. Tullius qui libr. 1. de offic. diſertè ait Solonem ariopagum conſtituiſſe.

28 ¶ Quidam Solonem reprehendunt, quòd nimiam poteſtatem populo conceſſerit: vnde factum eſt, vt reliquæ partes ciuitatis debilitatæ ſint, populo tamquàm tyranno gratificantes. nam ſenatum ariopagiticum Ephialtes & Pericles mutilarunt, foris autem ac iudiciis Pericles mercedem aſſignauit, adeo vt tandem reſpublica in ſtatum omnino popularem deducta ſit. Ariſtoteles Solonem excuſat: quia reſpublica Athenienſis, præter eius conſilium, caſu quodam corrupta fuit, eò quòd populus Athenienſis, Medis deuictis, magnos ſpiritus habere cœpit, & blandòs oratores nactus eſt, quibus fruſtra viri boni reſiſtere ſunt conati: ipſe autem Solon neceſſariam populo poteſtatem conceſſit, magiſtratuum eligendorum, & rationum ab iis repetundarum: quâ poteſtate ſi populus priuetur, inquit Ariſtoteles eum non tantùm ſeruum, ſed etiam reipublicæ hoſtem fore: magiſtratus autem Solon locupletibus reliquit, & cùm populum cenſum in quatuor claſſes diſtribuiſſet, vltimæ claſſis homines ad nullum magiſtratum admiſit, tantùm eis conceſſit, vt in concione ſuffragium, & in comitiis calculum haberent: quod etiam ſcribit Plutarchus in vitâ Solonis.

Cap. X.

De legibus, & legum conditoribus.

29 LEges rebus publicis iam conſtitutis condiderunt, Zaleucus Locris ad occidentem incolentibus, quos Græci epizephyrios appellant: Charondas Cataneus ſuis ciuibus, & aliis Chalcidicis ciuitatibus Italiæ atque Siciliæ: Philolaus Chorinthius Thebanis: Draco Athenienſibus: Pittacus Mitylenæis: Androdamas Rheginus Chalcidenſibus Thracibus.

30 ¶ Nunc, quæ dictorum auctorum propria ſunt, referam. Charondas primus accuratas de falſis teſtibus leges condidit. Philolai propria eſt bonorum exæquatio. Platonis propria ſunt, vxorum, liberorum, & bonorum com-

munio, necnon publica mulierum conuiuia: item lex ad ebrietatem pertinens, vt ſobrij præficiantur conuiuiis:& lex, vt qui in rebus bellicis exercentur, fiant ambidextri. Draconis nihil proprium eſt, præter ſummam legum aſperitatem: idcirco eius leges notatæ ſunt à Demade, quaſi non atramento, ſed ſanguine ſcriptæ: omnéſque à Solone, vnâ de homicidiis exceptâ, antiquatæ ſunt: auctor Plutarchus in Solone. Pittaci propria eſt lex, vtqui per ebrietatem deliquerit, duplò grauiorem pœnam patiatur, quàm ſi ſobrius deliquiſſet, Ethic. libr. 3. cap. 5. & Rethor. libr. 2.cap. 25.

31 ¶ Apud Romanos conſtat multos fuiſſe legumlatores,vt reges,interreges, dictatores,populum,ſenatum,plebem,prætores, imperatores,præfectos prætorio. ex his, Romulus rempublicam conſtituit, vrbem condidit, & leges dedit:alij tantùm vrbem auxerunt, & leges condiderunt,vt alij reges: alij reipublicæ formam conſtituerunt, ſeu mutauerunt, & leges tulerunt, vt primi Conſules, & Auguſtus: alij tantùm leges condiderunt, quo munere præclarè functi, & immortali nomine digni eſſent decemuiri, niſi occupatâ republicâ tyrannidem exercuiſſent, donec ſeditione propter fœdam Appij libidinem orta,magiſtratu ſe abdicare coacti ſunt.

DOCTRI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LVII.

POLITICORVM TERTIVS.

Cap. I.

Quid ſit ciuis, & quid ſit ciuitas.

QVONIAM politicæ ſocietatis materia eſt ciuitas, forma eſt reſpublica: priùs de ciuitate, poſtea de republica eſt diſſerendum. Cap. 1.

2 ¶ Ciuitas eſt vniuerſa ciuium multitudo.

3 ¶ Alij propriè, ſimpliciter, & perfectè ſunt ciues, quia perfectè ciuilem communionem participant: alij impropriè, imperfectè, & quadamtenus, quia in quibuſdam tantùm cauſis ſunt ciuilis ſocietatis participes.

4 ¶ Ex perfectorum ciuium numero excluduntur, I. Qui titulo tenus ſunt ciuitate donati, ſed reipſa non ſunt honorum participes. II. Inquilini, qui tantùm ius habitandi habent. III. Qui tantùm forum ſortiuntur, & ius litigandi habent. IV. Pueri nondum in ciuium numerum adſcripti. V. Senes, qui propter ætatem à ciuilibus muneribus dimiſſionem acceperunt. VI. Infames. VII. Exules. VIII. Spurij. inf. cap. 3.

5 ¶ Ciuis propriè dictus ſecundum Ariſtotelem eſt, qui magiſtratuum ad conſultandũ vel ad iudicandum eſt particeps. Magiſtratus enim appellatione Ariſtoteles ſenatũ & concionem comprehẽdit. Ciuitas autem eſt huiuſmodi hominum tanta multitudo, quanta ad rerum omnium, quæ ad vitã bene degendã neceſſariæ ſunt, copiã obtinendã ſufficit.

6 ¶ Ciuem quidam definiunt, eum qui ex vtroque parente ciue natus eſt: alij, eum qui ex alterutro parente ciue eſt natus: alij, eum qui ex parentibus ciuibus ad aliquot vſque gradus ortus eſt, putà, cuius pater & auus, vel etiam proauus & abauus ciues fuerunt. His definitionibus primùm oppono, quòd contradictionem in ſe includunt: primùm enim auctorem, putà auum aut proauum, vocant ciuem, quamuis definitio ciuis ei non conueniat, cùm non ſit natus ex ciue. Idcirco Gorgias Leontinus partim fortaſſe ambigens, partim ironiâ vtens, dixit, quemadmodum mortaria fiũt à mortariorum fabris, qui nõ ſunt mortaria, ita ciues fieri à ciuium effectoribus, qui ciues non ſunt, vt Lariſſæi fiunt à Lariſſæorum opificibus. Secundò oppono, quòd nulla ex dictis definitionibus eis conuenit, qui primi aliquam vrbem inhabitarunt, vel condiderunt.

7 ¶ Interdum neceſſitate aliquâ cogente, peregrini & ſerui in ciuitatem recipiuntur. quod ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè fiat: certè qui ita fiunt honorum participes, reuera ciues ſunt.

Cap. II.

Quæſtiones de ciuitate.

8 QVod is, qui reipublicæ præeſt, facit, ſiue iuſtè imperet, vt rex, ſiue iniuſtè, vt tyrannus: id fatendum eſt à republica fieri.

Cap. 2. 9 ¶ Quemadmodum idem flumen dicitur, licèt noua ſemper aqua fluat: ita eadem ciuitas manet, ſi eadem reipublicæ forma maneat, licèt homines mutentur, aliis morientibus, aliis naſcentibus. Similiter Iuriſconſultus reſpondet idem iudicium manere, quamuis omnes iudices mutentur, D. de iudic. l. quærebatur. formâ autem mutatâ, licèt iidem homines maneant, aliam eſſe rempublicam fatendum eſt.

10 ¶ Mutatâ republica, quæritur, an prioris reipublicæ pacta ſint ſeruanda. Hanc quæſtionem hoc loco Ariſtoteles proponit, non tamen diſſoluit. Ego, cùm ſententiam Ariſtotelis hac de re non habeamus, exiſtimo acta prioris reipublicæ eſſe ſeruanda, cûm quia dictum fuit axio. 8. ea à republica facta eſſe, tum etiam quia hoc vtilius eſt, quàm acta illa reſcindi, arg. l. 3. D. de offic. prætor.

C A P. I I I.

Quæſtiones de ciue.

11 QVemadmodum omnium nautarum officium & virtus eſt,vt nauem ſaluam eſſe velint, licèt in ea naui diuerſa munera obeant,& (vt Ciceronis verbis vtar) alij malos ſcandant,alij per foros curſitent,alij ſentinam exhauriant,ille autem clauum tenens ſedeat in puppi:ita omnium ciuium officium & virtus eſt,vt rempublicam ſaluam eſſe velint,in quâ alij alia munera obeant. Cap. 3.

12 ¶ Quoniam igitur varia ſunt rerumpublicarum genera,variæ quoque ſunt optimi ciuis virtutes: vtputà,in democratiâ debet eſſe popularis,in ariſtocratiâ vir optimatum ſtudioſus.

13 ¶ Quocirca non eſt eadem boni viri & boni ciuis perfecta virtus:ſiquidem boni viri virtus perfecta, vna eſt, boni autem ciuis eſt multiplex.

14 ¶ In optimâ tamen republicâ eadem boni ciuis & viri boni virtus eſt,nimirùm vt ad rectè imperandum & rectè parendum ſit idoneus. is enim rectè imperat,qui aliquando paruit: ſicut optimus dux aliquando ſub alio imperatore militauit: & optimus doctor fuit aliquando diſcipulus. Ceterùm alia eſt virtus imperantis, alia ſubditi: in illo requiritur prudentia, per quam rectè conſultet: in hoc vera opinio, per quam rectè imperanti aſſentiatur, & libenter obtemperet. hanc 6. Eth. cap. 10. vocauimus ſyneſim.

15 ¶ In aliis rebus publicis,vt in quibus opifices ad magiſtratus admittuntur, alia eſt boni viri,alia boni eius perfecta virtus. Cicero igitur lib. 1. epiſtol. 9. ad Lent. iudicat rempublicam Romanam non fuiſſe optimè conſtitutam, cùm inter bonum virum & bonum ciuem diſtinguat, inquiens, *Cum ipſa quaſi republica locutus ſum, vt mihi tam multa, &c. eúmque, quem bonum ciuem ſemper habuiſſet, bonum virum eſſe pateretur.*

16 ¶ Quidam in alia republica ciues eſſe debent, in aliá ciues eſſe non poſſunt. vt mercenarij in democratiâ ciues ſunt, quoniam ſunt liberi: ſed in ariſtocratiâ non ſunt ciues, quia virtute politica carent: nec in oligarchiâ, quia ſunt pauperes. Opifices autem non tantùm in

democratiâ, ſed etiam in oligarchiâ poſſunt eſſe ciues, quia multi eorum diteſcunt:in ariſtocratiâ verò nequaquam ſunt ciues,quia virtute politicâ prædìti eſſe nequeunt.

Cap. IV.

Diuiſio reipublicæ.

Cap.4. 17 POſtquàm de ciuitate, tamquàm de materia, egimus: ſequitur,vt de republicâ,quæ ciuitatis forma eſt,diſſeramus.

18 ¶ Reſpublica eſt ordinatio & deſcriptio cûm aliorum ciuitatis magiſtratuum,tum eius maximè, quod ſummam in ciuitate poteſtatem habet.

19 ¶ Recta reſpublica eſt,quæ commune bonum propoſitum habet: deprauata eſt, quæ ſolius imperantis, vel dominantium vtilitatem ſpectat.

Cap. V.

De republica,in qua multi diuites,vel pauci pauperes dominantur.

Cap.5. 20 NEceſſe eſt, aut vnum, aut multos, aut paucos in republica imperare:& vel malè adminiſtrare,id eſt,ad ſuam vtilitatem reſpicere, vel bene regere, id eſt, ad publicam vtilitatem ſpectare. Hinc oriuntur ſex rerumpublicarum genera, id eſt, tria recta, & bene conſtituta, regnum, ariſtocratia, & timocratia ſeu politia: (vtroque enim vocabulo appellatur) ac tria deprauata, tyrannis, oligarchia, & democratia. In regno & tyrannide vnus: in ariſtocratia & oligarchia pauci: in timocratia & democratia multi imperant.Coniunge 8. Ethic.axio.28.

21 ¶ Oligarchia,id eſt,paucorũ dominatus:& democratia,id eſt,ſtatus popularis,diſtinguuntur,& denominantur ab accidenti.Vera autem inter eas differentia ſumenda eſt à diuitiis & paupertate.nam oligarchia eſt,in qua diuites imperant,ſiue multi,ſiue pauci ſint:ſed quia vbique contingere ſolet,vt multi ſint pauperes,pauci diuites:idcirco diuitum reſpublica ex paucitate imperantium: pauperum autem reſpublica ex dominantium multitudine appellationem ſumpſit.

CAP. VI.

Collatio democratiæ, & oligarchiæ.

22 PAuci, quia diuitiis vel nobilitate alios ſuperant, æquum eſſe cenſent, vt aliis in republica gerēda præferantur: pauperes autem, quia ſunt æquè liberi, contendunt ſe debere eſſe æquè reipublicæ participes. ſed neutri ſatis firmâ ratione vtuntur. cùm enim ciuitas ſit communio ſeu ſocietas perfectæ & beatæ vitæ causâ inſtituta: certè qui plus ad hanc vitam in commune conferunt, ij magis rempublicam participant. quare non tam diuitiarum, aut libertatis, quàm politicæ virtutis ratio in republica haberi debet. Cap.6.

23 ¶ Omnino tria ſunt, propter quæ putant homines aditum ſibi ad rempublicam gerendam patêre debere, libertas, diuitiæ, & virtus. videtur etiam eſſe quartum, id eſt nobilitas: ſed hæc nihil aliud eſt, quàm vetuſta ſeu maiorum & parentum virtus vel diuitiæ. lib. ſeq. cap. 7. partic. 5. vulgo eſt cap. 8.

CAP. VII.

Quando multitudini imperium eſt committendum.

24 SI multitudo paucos prudentiâ & politica virtute ſuperet: æquum eſt, vt multitudo potiùs imperet, quàm pauci. quamuis enim ſinguli per ſe parum virtutis habeant, tamen virtus omnium coniuncta virtuti paucorum antecellit: quemadmodum conuiuium, in quod ſinguli ſymbolam contulerunt, lautius eſt iis, quæ ſumptu vnius fiunt. Cap.7.

25 ¶ Si verò multi ſint liberi quidem, ſed tam politicæ virtutis quàm diuitiarum expertes, periculoſum eſt his magiſtratus demandare: facilè enim fiet, vt propter paupertatem delinquant, aut propter imprudentiam errent: periculoſum eſt etiam eos omnino à republica excludere, quia tot erunt ciuitatis hoſtes. itaque placet lex Solonis & aliorum quorumdam, qui eiuſmodi populo magiſtratuum electionem, & rationum à magiſtratibus repetundarum munus committunt. ſic enim omnes collecti, & cum melioribus permixti, ciuitati proderunt, quemadmodum cibus non purus cum puro coniunctus efficit totum cibum pauculo meliorem.

Cap. IX.

Obiectionum ſolutio.

26 ADuerſus id, quod proximo axiomate dictum eſt, opponitur, I. Quòd is demum rectè iudicat de iis,quæ ad aliquam artem pertinent,& ea rectè eligit,qui artem ipſam tenet: quomodo ſe habet medicus in rebus medicis,& geometra in geometricis. quare iudicium de rationibus exigendis à magiſtratibus, & electio magiſtratuum non debet imperitæ multitudini committi, ſed ipſis magiſtratibus. Reſpondeo ex ſuprà dictis, licèt ſinguli è populo ſint deteriores iudices,& electores, quàm magiſtratus,tamē omnes ſimul vel eſſe meliores,vel ſaltem nō deteriores.Præterea non ſemper artifices optimè iudicant,ſed interdum alij rectiùs iudicant: vt de conſtructione domus rectiùs iudicat paterfamiliâs, qui inhabitat, quàm ædificator: & de gubernaculo rectiùs iudicat gubernator nauis, quàm faber: & de epulis rectiùs cōuiua,quàm coquus. II. Opponitur,quòd abſurdum eſt,ſummam auctoritatem,id eſt,magiſtratuum electionem,& rationum repetitionem,imperitis, pauperibus, & vilibus hominibus committere, qui ad cōcionem admittuntur.Reſpondeo,hęc non committi ſingulis,qui ſunt concionis participes, ſed ipſi vniuerſitati,id eſt, concioni, cuius cenſus eſt maior,quàm ſingulorum magiſtratuum. vniuerſitas enim à ſingulis, qui in ea vniuerſitate ſunt, etiam iure ciuili diſtinguitur.D.de rer.diuiſ.l.6.§.1. & de in ius voc.l. ſed ſi hac.10.§.qui manumittitur. Denique aliud eſt ſenatus, aliud ſenator:item aliud eſt cōſeſſus iudicum, aliud eſt iudex: & aliud eſt concio,aliud qui in concione deliberat.

Cap. XI.

Si vnius aut paucorum virtus,reliquorum omnium ſimul acceptorum virtutem ſuperet.

Cap.9. 27 SI in ciuitate vnus vel pauci numero ſint,ex quib⁹ſolis ciuitas confici non poſſit,quorum tanta ſit virtus, vt cum ea totius multitudinis virtus non ſit conferenda: hi non debent dici partes ciuitatis: iniuria namque afficientur,ſi æquo cum aliis iure vtantur, quibus quaſi dij hominibus antecellunt.

28 ¶ Qui

28 ¶ Qui nimium in republica propter diuitias, clientelas,& alias eiuſmodi cauſas, poſſunt, meritò à veteribus oſtraciſmo eiiciebantur ad tempus è ciuitate, cui ob eorum potentiam periculum imminebat: quo iure ſi Romani fuiſſent vſi, reſpublica à Sylla & Mario, à Cęſare & Pompeio perturbata & ſubuerſa non fuiſſet. Sed ſatius eſt, lege cauere, ne quis ita potens euadere poſſit. ſi tamen contingat aliquem talem euadere, præſtat aliquâ legitimâ ratione vti, quàm id facere, quod Athenienſes faciebant: quia ſeditioſè oſtraciſmo vtebantur, & cùm ciuitas in diuerſas partes diſtracta eſſet, coitione factâ, qui plus poterant, aduerſarios ſuos, à quibus ſibi metuebant, ex ciuitate expellebant. ita non communis, ſed proprij boni rationem habebant. Vide Plutarchum in Alcibiade.

29 ¶ Qui verò virtute heroicâ ſupra mortalium conditionem eſt euectus, eum oſtraciſmo pellere abſurdum eſt. ſed neque fas eſt ei imperare, legémve ei præſcribere. hunc igitur perpetuum regem eſſe decet. talem fuiſſe apud Medos Deiocem, ideóque regnum ei fuiſſe delatum, ſcribit Herodotus lib. 1.

Cap. XII.

Species regni.

30 Regni ſpecies ſunt quinque. Primum eſt regnum Laconicum, id eſt, cùm regis poteſtas conſiſtit, vt apud Lacedæmonios, in bello gerendo, & re ſacra curanda: extra aciem verò non habet ius vitæ & necis. talis fuit Agamemnon: idcirco apud Homerum æquo animo fert maledicta in concione, ſed exeuntibus ad prælium mortem minatur, niſi ſibi obtemperent, inquiens penes ſe eſſe ius vitæ & necis. Hoc regnum vel eſt hereditarium, vel electione cõſtat. Secundum eſt regnum barbaricum, cùm ſcilicèt rex poteſtatem tyrannicæ æqualem habet, legitimam tamen, & à maioribus acceptam, cui ſubditi ſe libenter ſubiiciunt, non inuiti, quia ingenio ſeruili ſunt, vtpote barbari. *Barbaris*, inquit Liuius, *pro legibus ſemper dominorum imperia fuerunt.* Quamobrem hi reges cuſtodiâ ſui corporis ciuibus cõmittunt, non extraneis, vt tyranni. nã tyrannũ extranei cõtra ciues, regem ciues aduerſus exteros olim cuſtodiebãt. Eiuſmodi regnum Cap. 10.

olim floruit apud barbaros,vt Medos, & Perſas: hodie floret apud Turcas,& Moſcouitas.Tertium regnum eſt,quod Græci αἰσυμνητείαν, Latini dictaturam appellant. hoc à barbarico differt, quia non eſt à maioribus acceptum, æſymnetarum autem ſeu dictatorum alij perpetuum regnum habent, alij ad tempus, vel ad certam aliquam actionem ſunt electi: vt Pittacum Mitylenæi elegerunt aduerſus exules, quibus Antimenides & Alcæus poëta præerant. Apud Romanos ſæpe creati ſunt dictatores ad certa bella gerenda. ſed quia huius magiſtratus ſumma erat poteſtas: ideo non licebat eum retinere,vltra ſextum menſem.D.de orig.iur.l.2.§.populo.primus Caius Cæſar fuit dictator perpetuus,ideóque pro tyranno habitus, & interfectus fuit, quo interempto dictatura apud Romanos fuit abolita. Quartum eſt regnum heroicum, cùm aliqui propter beneficia in multitudinem collata, vel tradendis artibus,vel bellis gerendis,vel quia diſperſos congregarunt,vel quia ſolum & agrum præbuerunt, reges electi ſunt, & ad poſteros regnum tranſmiſerunt. horum poteſtas in bello gerendo,in ſacrificiis, quæ non ad ſacerdotes pertinent,& in litibus iudicãdis cernitur.tale fuit imperium Moſis,& Ioſuæ in Hebræos,Æneæ in Troianos,Theſei in Athenienſes.nam Moſes Hebræos ſeruitute Ægyptiacâ liberauit, Ioſue agrum eis diſtribuit, Æneas ex patriæ incẽdio eripuit,
Cap.11. Theſeus diſperſos congregauit. * Hæc quatuor regna, quæ hactenus expoſui, legibus ſunt conſtricta. Quintum eſt regnum plenum,quod Græci παμβασιλείαν vocant,cùm ſcilicèt omnia ſunt in manu regis, adeo vt rex ſit etiam ſupra leges. Præter hos,alij vocantur impropriè reges, vt rex ſacrificulus apud Romanos.

Cap. XIII.

De rege ſecundum leges imperante.

31 MElius eſt, rempublicam gubernari optimis legibus,quoad eius fieri poteſt, quàm ab optimo rege ſine legibus: quia lex affectibus & perturbationibus caret quib9 omnes homines ſunt obnoxij.ſed vbi lex deficit, quia generaliter loquitur & in quibuſdam ſpecialibus caſibus iniqua reperitur,vt 5.Ethic. explicatum fuit, ibi neceſſaria eſt regis,vel ſenatus,vel concionis auctoritas.

32 ¶ Ari-

32 ¶ Ariſtoteles mauult omnes bonos ciues imperare, quàm vnum regem. I. Quia plures rectiùs iudicant, quàm vnus. II. Quia vt in aqua, ita in hominibus accidit, vt quò maior ſit multitudo, eò minùs ſit obnoxia corruptioni. III. Quia facilè contingit, vt rex liberis ſuis, licèt indignis, rempublicam poſt obitum ſuum relinquat: quod eſt reipublicæ periculoſum. Ex his concludimus, ariſtocratiam eſſe regno præferendam.

33 ¶ Huic ſententiæ opponitur, I. Quòd plures facilè diſſentiunt, & ſeditiones excitant, vnus verò ſecum pugnare non poteſt. Reſpondeo, multos illos, ſi probi ſint, vt ſupponimus, non eſſe ſeditioſos. II. Quòd apud veteres in aureo illo ſeculo apud ſcriptores celebrato reges gubernabant. Reſpondeo, hoc ideo factum eſſe, quia pauci erant viri præſtantes, qui aliis antecellerent, & gubernatione digni videri poſſent, præſertim cùm ciuitates paruæ eſſent.

34 ¶ Probabile igitur eſt, I. Conſtitutos fuiſſe reges propter eorum benemerita de multitudine, de quibus benemeritis dixi ſupr. ax. 30. II. Cùm multi eis virtute ſimiles eſſe cœpiſſent, mutatum eſſe regnum in ariſtocratiam. III. Cùm hi, qui in poteſtate erant, in dies fierent deteriores, & ex publicâ adminiſtratione locupletarentur, inde factum eſſe, vt diuitiæ eſſent in pretio, atque ita ariſtocratiam conuerſam eſſe in oligarchiam. IV. Oligarchiam mutatam eſſe in tyrannidem. Tandem ſublatâ tyrannide, conſtitutam eſſe democratiam. cùm enim propter auaritiam ſemper ad pauciores gubernatio transferretur, inde factum eſt, vt populus eſſet potentior, qui ad ſe rempublicam traxit, præſertim in magnis ciuitatibus, quæ vix aliam reipublicæ formam tutò admittere poſſunt.

35 ¶ Regi tanta poteſtas tribuenda eſt, quantâ poſſit ſingulos coërcere, non tamen toti reipublicæ vim facere. Hoc conſilium quidam Syracuſanis dedit, cùm ab eis Dionyſius cuſtodes ſeu ſatellites peteret: Syracuſani verò, hoc conſilio neglecto, pœnas ſuæ ſtultitiæ, à tyranno oppreſſi, dederunt. nam Dionyſius Syracuſis, vt Piſiſtratus Athenis, vſus eſt ſatellitibus ad tyrannidem occupandam. Vide Diodorum lib. 15. & Poliænum lib. 5. Stratag. Dionyſ. lib. 2.

Cap. XIV.

De regno pleno.

Cap.12. 36 Reſpublicæ deprauatæ nullibi ſunt recipiendæ: ex bonis autem rebus publicis ea debet in qualibet ciuitate recipi, quæ populo conuenit, quod ſpecialiter ſequentibus axiomatibus exponam.

37 ¶ Regi ſubiicienda eſt multitudo, quæ ſic eſt comparata naturâ, vt ferre poſſit familiam ciuili ſeu regendi virtute præſtantem. Eiuſmodi populum vocat Ariſtoteles βασιλευτόν.

38 ¶ Ariſtocratica multitudo, id eſt, ad poteſtatem optimatum ferendam, apta eſt, quæ imperio liberali gubernari poteſt ab iis, qui politicâ imperandi virtute præditi ſunt.

39 ¶ Ciuilis multitudo eſt, quæ, cùm ſit bellica & militaris, imperare & parêre ſecundum legem poteſt, imperia & magiſtratus pro dignitate ac meritis tribuens iis, qui non ſunt egeni.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LVIII.

POLITICORVM QVARTVS.

Cap. I.

Proponuntur ea, quæ deinceps explicanda ſuperſunt.

Cap 1.& 2. QVATVOR ſunt hoc libro enarranda. I. Rerumpublicarum genera ſuprà expoſita diuidentur in ſpecies, vſque ad cap.10. II. Explicabitur, quænam ſit poſt perfectiſſimam & numeris omnibus abſolutam, optima reſpublica, multis ciuitatibus conueniens. nam multæ ciuitates ad perfectiſſimam illã reipublicæ formam adſpirare non poſſunt: hoc autem declarabitur

bitur cap. 10. III. Explicabitur, quæ cuique ciuitati reſpublica conueniat, cap. 11. IV. Quomodo ſingulæ rerumpublicarum ſpecies ſint conſtituendæ, cap. 12. 13. & 14.

Cap. II.

Cur ſint plura rerumpublicarum genera, & quot ſint.

2 IDeo neceſſe eſt plura eſſe rerumpublicarum genera, quia multæ ac ſpecie differentes ſunt ciuitatis partes: alij namque ſunt diuites, alij pauperes, alij mediocres poſſident facultates: rurſus alij ſunt armati, alij inermes. præterea partes plebis ſunt agricolę, & qui in foro verſantur, & ſordidi opifices nobiles autem inter ſe differunt diuitiis genere, & virtute. Quoniam igitur vel omnes ſunt reipublicæ participes, vel pauciores, vel plures: hinc fit, vt multa ſint rerumpublicarum genera, quæ lib. 3. cap. 5. ſunt relata. Cap. 3.

3 ¶ Pura democratia eſt, in quâ homines liberi & pauperes, cùm plures ſint, imperium obtinent. Pura ariſtocratia eſt, in quâ diuites & nobiles, cùm pauci ſint, adminiſtrant. Cap. 4.

Cap. III.

Cur ſint plura rerumpublicarum genera, quàm ſupra enumerata.

4 PArtes ciuitatis ſunt ferè decem. I. Agricolæ. II. Artifices: quorum alij exercent artes neceſſarias, vt piſtores: alij artes ad luxum inuentas, vt vnguentarij: alij artes ad bene & commodè viuendum receptas, vt ſutores. III. Forenſes, qui in foro venali verſantur, vt mercatores, & qui emunt vt ibidem reuendant. IV. Mercenarij, qui operas ſuas mercede locant. V. Milites. VI. Paſtores. VII. Locupletes, qui ſuis facultatibus publica munera ſubeunt. VIII, Magiſtratus. IX. Conſilium, quod conſultat & deliberat. X. Iudices.

5 ¶ Ex his ciuitatis partibus quædam connecti poſſunt: veluti ſi quis ſimul agrum colat, & militet: ſed iidem ſimul diuites & pauperes eſſe nō poſſunt, ac plerūque hi ſunt multi, illi pauci: proinde ſibi inuicē aduerſantur. quamobrem hæ duæ videntur eſſe præcipuæ ciuitatis partes: conſequēter duo eſſe potiſſimùm rerūpublicarū genera, democratia, & oligarchia.

Cap. IV.

Plura eſſe democratiæ & oligarchiæ genera.

9 DEmocratiæ quinque ſunt ſpecies. Prima, in qua omnes liberi æquè ſunt reipublicæ participes, ſiue ſint diuites, ſiue pauperes. populus igitur præualet. quia plures ſunt pauperes quàm diuites. Secunda, in quâ magiſtratus ex cenſibus anguſtis & exilibus creantur, ita vt quilibet bonis acquiſitis magiſtratuum fiat capax, & bonis amiſſis excludatur. Tertia, in qua omnes ciues ſunt magiſtratuum participes, dummodò ſint integræ vitæ, nullâ infamia notati. Quarta, in in qua omnes ciues admittuntur indiſtinctè ad omnes magiſtratus: ſic tamen, vt ex legum præſcripto reſpublica regatur. Quinta, in quâ non lex, ſed populus dominatur, ita vt omnia populi decretis gubernentur. Hæc non eſt propriè reſpublica, nec propiè democratia, cùm in ea leges non valeant, & proportione quâdam reſpondet tyrannidi. proinde quem locum apud tyrannos habent aſſentatores, eundem apud huiuſmodi populum obtinent demagogi, id eſt, populares oratores.

Cap. 5. 7 ¶ Oligarchiæ quatuor ſunt ſpecies. Prima, cùm magiſtratus ex cenſibus creantur tam magnis, vt plerique ex populo excludantur: quia plerique ſunt pauperes: licet tamen cuiuis tantum bonorum poſſidenti, quantum lege præſcribitur, magiſtratus capeſſere. Secunda, cùm magiſtratus eliguntur ex paruis cenſibus, ſed ipſi in deficientium locum alios ex certis quibuſdam ſubſtituunt. Tertia, cùm filius in locum patris ſuccedit: ipſi autem magiſtratus pro libitu, non ex legum præſcripto imperant. Hæc vltima propriè vocatur dynaſtia, & vltimæ democratiæ ac tyrannidi proportione reſpondet.

8 ¶ Sæpe contingit, vt leges cum reipublicæ ſtatu non conſentiant: vtputà leges ſint oligarchicæ, ſtatus autem reipublicæ ſit popularis, vel contrà: quod tunc potiſſimùm obtinet, cùm aliqui formam reipublicæ mutant, quia non ſolent ſtatim receptas leges abrogare.

CAP. VI.

Species ariſtocratiæ.

9 ARiſtocratiȩ quatuor ſunt ſpecies. Prima, in qua in demandandis honoribus & magiſtratibus ſolius virtutis ratio habetur. hæc conſtat ex optimis viris & optimis ciuibus: nam huius reipublicæ proprium eſt, vt idem ſit vir bonus & ciuis. Secunda, in qua habetur ratio virtutis, & diuitiarum, & libertatis, vt Chartagine: hæc enim tria ſunt, quæ in contentionem veniunt de adminiſtranda republica, vt dixi ſuperiori libro axiom. 23. Tertia, in qua habetur ratio virtutis & libertatis, vt Lacedæmone. Quarta, eſt politia, quæ magis vergit ad oligarchiam, quàm ad democratiam, id eſt, in qua habetur quidem ratio diuitiarum & libertatis, ſed magis diuitiarum. Cap. 7.

CAP. VII.

Diſtinctio politiæ, & ariſtocratiæ.

10 NAm politia propriè dicta ex oligarchia & democratia conſtat. vt enim in democratia libertatis, in oligarchia diuitiarum: ita in politia vtriuſque ratio habetur. Cap. 8.

CAP. VIII.

Quibus modis conſtituitur politia.

11 TRes ſunt modi, quibus politia ex oligarchia & democratia conflatur. I. Si duo coniungantur, quorum alterum ſit oligarchicum, alterum democraticum: veluti ſi diuitibus irrogetur pœna, niſi iudicandi munus ſubeant: pauperibus verò iudicantibus præmium detur. nam hoc, eſt populare: illud, oligarchicum. II. Si medium quid ſtatuatur: vtputà in oligarchia magiſtratus deferũtur ex magno cenſu, in democratia ex paruo cenſu, aut nulla cenſus ratione habita: politicum igitur eſt, ſi magiſtratus deferantur ex mediocri cenſu. III. Si ex duobus contrariis inſtitutis pars ex oligarchia ſumatur, pars ex democratia: veluti ſi magiſtratus electione creantur, non habitâ ratione cenſus. nam oligarchicum eſt, magiſtratus eligi: populare eſt, ma- Cap. 9.

giſtratus ſortitò capi. rurſus oligarchicum eſt, ex ſenſu demādari magiſtratus:populare eſt non habere cenſus ratioñe.

12 ¶ Rectè facta rerumpublicarum permixtio duobus argumentis cognoſci poteſt. I. Si dubitetur, vtrùm ſit oligarchia,an democratia: quemadmodum de republica Spartana eſt dubitatum, aliis eam oligarchiam vocantibus, aliis democratiam. II. Si nulla ſit reipublicæ pars,quæ aliam reipublicæ formam expetat. hoc quoque bonum reipublicæ Spartanæ contigit.

Cap. IX.

De tyrannide.

Cap.10. 13 REgni ſpecies expoſui libro 3.ax.30.

14 ¶ Tyrannidis ſpecies tres ſunt.Prima,Barbaria. Secunda, Æſymnetia, ſeu dictatura. Hæc imperia expoſui libro 3. axiom. 30. vbi inter ſpecies regni retuli: quia partim ad regnum referuntur,quatenus leges ſunt conſtitutæ in ſubditos conſentientes: partim ad tyrannidem,quatenus huiuſmodi monarchę omnia faciunt pro libitu,nec ſunt legibus ſubiecti.Tertia, tyrannis propriè dicta, cùm quis ad ſuam vtilitatem & commodum aliis æqualibus vel melioribus inuitis imperat.

Cap. X.

De ea republica,quæ poſt optimam eſt maximè optanda,& pleriſque ciuitatibus conuenit.

Cap.11. 15 POſt perfectiſſimam & numeris omnibus abſolutam rempublicam, quam in tanta hominum peruerſitate potiùs optare quàm ſperare licet, optima & pleriſque ciuitatibus conueniens eſt ea reſpublica, in qua ciues nec diuitiis abundant, nec inopia premuntur, ſed mediocribus facultatibus ſunt inſtructi: oportet enim,aut omnes, aut ſaltem pleroſque eſſe mediæ fortunæ homines,vt in bonorum virorum poteſtate reſpublica ſit. Hæc ſententia probatur multis argumentis. I. Sicut virtus hominis in mediocritate conſiſtit,vt 2.Ethic. probatum fuit:ita etiam probabile eſt, virtutem ciuitatis in mediocritate conſtitutam eſſe,

eſſe, non in nimia bonorum copia, vel inopia. II. Mediocres homines faciliùs rationi obtemperant: diuites autem ſolent eſſe ſuperbi,& contumelioſi: pauperes verò, fraudulenti & rapaces. III. Locupletes publica munera ſubire nolunt,pauperes verò non poſſunt. IV. Locupletes nec parêre ſciunt vel poſſunt, nec aliter quàm heriliter imperare: pauperes autem nec ſciunt imperare,nec aliter parêre quàm vt ſerui dominis.quapropter ciuitas ex locupletibus & pauperibus conſtans,non eſt communio liberis hominibus conueniens,ſed qualis inter dominos & ſeruos reperitur. V. Diuites deſpiciunt pauperes.hi verò diuitibus inuident:proinde inter eos amicitia vel concordia eſſe nequit. VI. Ciuitas,quàm maximè fieri poteſt,ex perſonis æqualibus & paribus conſtare debet,quales ſunt mediocris fortunę homines. VII. Hi maximè in ciuitate ſalui eſſe poſſunt: quia nec propter diuitias aliorum inſidiis ſunt obnoxij, nec propter paupertatem aliis inſidiantur. VIII. Accedit auctoritas Phocilidis,qui ita cecinit.

Πολλὰ μέσοισιν ἄριστα· μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι,id eſt,

Multa mediis ſunt optima:medius volo in ciuitate eſſe.

IX. Eiuſmodi homines inter pauperes & diuites interiecti rempublicam conſeruant, impedientes quominùs diuites vel pauperes totam rempublicam ad ſe trahant: ex multorum enim amplis diuitiis oriũtur oligarchię, ex multorum nimia paupertate democratiæ:quæ reſpublicæ ſæpe conuertuntur in tyrannides. X. Quò plures ſunt mediocris fortunæ homines, eò minùs oriuntur in ciuitate ſeditiones. quocirca ſeditiones potiùs in paruis, quàm in magnis ciuitatibus excitantur: & democratiæ diuturniores ſunt, ac minùs lubricæ,quàm oligarchiæ. XI. Optimi legumlatores in mediocrium ciuium numero fuerunt: vt apud Græcos Solon, Lycurgus,Charondas,& apud Romanos Iureconſulti.

16 ¶ Pauciſſimæ ſunt eiuſmodi reſpublicæ: I. Quia plerumque pauci ſunt homines medij. quare ſi populus præualeat, democratiam conſtituit. ſi diuites fortiores ſint, oligarchiam condunt. II. Quia cùm diſcordiæ oriuntur inter diuites & populum: quæ pars ſuperior euadit, ea non conſtituit rempublicam æqualem & communem, ſed

quaſi victoriæ pręmium ſibi ſumit reipublicæ adminiſtrationem. ita populus democratiam, vel diuites oligarchiam efficiunt. III. Quia populi in Græcia imperium obtinentes, ciuitates ſibi ſubiectas, aut à ſe deuictas, ad ſuarum rerum publicarum exemplum conformarunt. Cuius rei përmulta exempla apud Thucididem extant. vbique enim Athenienſes democratiam, Lacedæmonij optimatum rempublicam erigebant. IV. Quia in ciuitatibus hic mos inualuit, vt æqualitatem repudient, & imperium obtinere nitantur, ſi ſecus res cadat, victoribus obtemperare parati.

17 ¶ Quò propiùs reſpublica ob optima abeſt, eò eſt melior. & quò remotius, eò deterior.

Cap. XI.

Quæ quibus eſt reſpublica expetenda.

Cap. 12. 18 VT intelligamus, quænam reipublicæ formæ ſingulis populis magis conueniant, duo ſunt notanda. I. Oportet eam ciuitatis partem firmiorem eſſe, quæ vult rempublicam manere, quàm quæ id minimè vult. II. Duo in ciuitate ſpectantur, qualitas, & quantitas, qualitatem voco, vt libertatem, virtutem, diuitias, nobilitatem. quantitatem appello numerum ciuium. Contingere igitur poteſt, vt altera pars ciuitatis alteram ſuperet quantitate & qualitate, vel quantitate ſuperet, qualitate autem ſuperetur.

19 ¶ Hæc duo, id eſt, quantitas & qualitas ciuium ſunt inter ſe comparanda, & vtendum ſequentibus præceptis. I. Vbi pauperes magis quantitate ſeu numerò ſuperant, quàm qualitate ſuperentur à diuitibus, ibi conſtituenda eſt democratia. cúmque multæ ſint democratiæ ſpecies, vt docui ax. 6. talis erit democratia, qualis eſt populus. Verbi gratià, ſi plurimi ſint agricolæ, erit prima & optima democratia. ſin autem ſint plurimi opifices ſordidi & mercenarij, erit poſtrema & deterrima democratia. II. Vbi diuites & nobiles magis ſuperant plebem qualitate, quàm numero ſuperentur, vt hodie Venetiis ſe res habet, ibi conſtitui debet oligarchia: & quidem talis oligarchia, qualis diuitibus illis & nobilibus conuenit: quandoquidem ſunt etiam oligarchiæ plura genera, vt expoſui ax. 7. In vtraque autem republica legiſlator

giſlator rationem habere debet hominum mediorum, qui diuitibus & pauperibus ſunt interiecti, vt eos reipublicæ adiungere, ſiue ſit oligarchia, ſiue democratia. III. Vbi mediocrium hominum multitudo tam pauperes quàm diuites, aut ſaltem alterutros ſuperat, ibi commodiſſimè & tutiſſimè fieri poteſt politia.

20 ¶ Errant, qui ſophiſmatibus in republica conſtituenda vtuntur, id eſt, fallunt eos, quos à reipublicæ adminiſtratione excludunt. nam progreſſu temporis ſophiſmata deteguntur, & reſpublica diſſoluitur.

21 ¶ Sophiſmata conſtituentium oligarchias hæc ſunt, quibus populum decipiunt, ne animaduertat ſe à republica excludi. I. Vt omnibus quidem liceat in concionem venire, ſed ſoli diuites multentur, ſi in concionem veniant, vel maiori pœna afficiantur quàm pauperes. II. Vt ſolis pauperibus liceat abſtinere à magiſtratibus gerendis. III. Vt diuites vel ſoli puniantur, vel grauiori pœna afficiantur, quàm pauperes, niſi iudicandi munus obeant, vel vt ij ſoli poſſint & cogantur iudicare, qui nomen profeſſi ſunt, & in albo iudicum ſunt ſcripti. quamuis enim omnibus liceat nomen profiteri, tamen pauperes metu multæ, in quam incident, ſi nomine dato non iudicent, nomen ſuum profiteri non audebunt. IV. Vt ſolis pauperibus impunè liceat armis carere. V. Vt ſoli diuites multentur, niſi ſe exerceant. Cap. 13.

22 ¶ Democratiam conſtituentes vtuntur contrariis ſophiſmatis. vtputa pauperibus mercedem tribuunt, ſi in concionem venient: diuitibus autem permittunt, vt impunè abſint.

23 ¶ Ariſtoteles hoc loco tria præcipit. I. Vt illa duo in republica coniungantur, id eſt, vt præmium detur pauperibus, ſi rempublicam adminiſtrent, & puniantur diuites: ſic enim fit, vt reſpublica ſit omnibus communis, & omnes eam ſaluam eſſe velint. II. Vt reſpublica ab iis tantùm gubernetur, qui habent arma. III. Vt tantus cenſus definiatur, quantus ampliſſimus ad hoc valet, vt qui reipublicæ adminiſtrandæ ſunt participes plures ſint iis, qui rempublicam non participant.

Cap. XII.

De conſilio publico inſtituendo.

Cap.14. 24 NVnc videamus, quomodo ſingulæ reſpublicæ ſint conſtituendæ. Tres ſunt reipublicæ partes, quarum rationem maximè habere debet legiſlator: quoniam his rectè conſtitutis neceſſe eſt vt reſpublica rectè habeat, & pro harum diuerſitate reipublicæ diuerſæ ſunt. I. Conſilium, quod conſultat de publicis & communibus cauſis. II. Magiſtratus, qui ius imperandi habent. III. Iudices.

25 ¶ Neceſſe eſt, aut omnes de omnibus rebus, aut aliquos de omnibus, aut alios de aliis, aut de quibuſdam rebus omnes, de quibuſdam aliquos deliberare.

26 ¶ In democratia omnium rerum deliberatio omnibus committitur: quod quidem tribus modis contingere poteſt. I. Si omnes ad conſilium admittantur, non ſimul, ſed per partes: vt fiebat in republica Telecli Mileſij, & aliis quibuſdam, in quibus omnes ad magiſtratus perueniebant ordine ex tribubus, & minimis ciuitatis partibus: ipſi autem magiſtratus coëuntes, de rebus publicis deliberabant: ſed omnes ciues non conueniebant, niſi leges eſſent ferendæ, aut reſpublica conformanda, aut ea audienda, quæ magiſtratus proponerent. II. Si omnes coëuntes deliberent, ſed magiſtratuum tantùm eligendorum, aut legum condendarum, aut de bello & pace ſtatuendi, aut rationum à magiſtratibus repetundarum causâ conueniant: reliqua verò à magiſtratibus curentur, qui vel ex omnibus ciuibus ſint electi, vel ſorte conſtituti. III. Si ciues ad magiſtratus creandos & rationes ab eis exigendas conueniant, & cùm de bello aut belli ſocietate deliberaturi ſunt, reliqua autem à magiſtratibus adminiſtrentur: atque electione creentur ij magiſtratus, in quibus aliqua ſcientia ſeu peritia non omnibus communis requiritur, vt in imperatore peritia militaris. IV. Si omnes ciues conuocati, de omnibus rebus deliberent: magiſtratus autem de nulla re ſtatuat, ſed tantummodò priùs rem examinet, & inquirat, an populo deliberandi causâ proponi debeat.

27 ¶ In oligarchiâ pauci aliqui de omnibus rebus deliberant:

rant:quod quidem quatuor modis accidere poteſt. I. Si ex mediocri cenſu deligantur magiſtratus,qui multi ſint, & legem ducem ſequantur:cuicumque autem cenſum lege definitum habenti liceat ad rempublicam accedere. II. Si non omnes ſint conſilij participes:ſed tantùm pauci electi, qui ex lege imperent. III. Si in conſilium cooptentur ab iis paucis, qui iam in conſilio ſunt. IV. Si liberi ſuccedant in locum parentum.His duobus poſtremis caſibus non ſolent ex legibus imperare,ſed leges ſibi ſubiicere.

28 ¶ In ariſtocratiâ & politiâ duo modi obſeruantur.Primus eſt, cùm de quibuſdam rebus omnes deliberant, vt de pace & bello,& de rationibus repetendis,de aliis verò rebus certi magiſtratus conſultant,vel ſuffragiis electi,vel ſorte ducti. Secundus eſt,cùm de quibuſdam rebus electi magiſtratus,de quibuſdam ſorte ducti, vel communiter de iiſdem rebus tam electi, quàm ſortitò creati magiſtratus deliberant. Sorte ductos intellige vel ſimpliciter,id eſt ex omnibus ciuibus,vel ex iis qui antea idonei iudicati fuerint.

29 ¶ Proſunt democratiæ ad hoc vt rectè deliberetur, hæ leges. I. Vt multentur diuites,niſi in concione adſint, & præmium detur pauperibus,ſi adſint. ſic enim fiet, vt omnes interſint, ac meliùs reipublicæ conſulent mixti diuites cum pauperibus. II. Vt conſultandi munus obituri, ſiue ſuffragiis creētur, ſiue ſortitò fiant,æquali numero ſumantur ex omnibus partibus ciuitatis. III. Vt ſi multitudo popularis nimiùm diuites ſuperat,paucis popularibus in concionem venientibus præmium detur,vel aliqui ex popularibus ſorte eiiciantur,ne auctoritas diuitum multitudine obruatur, ſed æqualitas ſeruetur.

30 ¶ Oligarchiæ proſunt hæ leges. I. Vt aliqui è populo electione diuitibus adiungantur in republica adminiſtranda. II. Vt pauci conſultent:deinde ad populum referant:populus autem de aliis rebus,quàm de iis quæ proponentur,deliberare non poſſit. III. Vt populus vel idem ſtatuere poſſit, quod præconſultores illi decreuerint, vel ſaltem nihil contrarium. Hactenus de conſilio:deinceps agamus de magiſtratibus.

Cap. XIII.

De magiſtratibus.

Cap.15. 31 IN magnis ciuitatibus, in quibus multi ſunt ciues, oportet ſingulorum munerum ſingulos eſſe magiſtratus: ſic enim fiet, vt multi ſint magiſtratuum participes, præſertim ſi lege caueatur, vt quidam magiſtratus diu intermittantur, quidam ſemel tantùm gerantur. Præterea vnumquodque opus meliùs perficitur, ſi in illud ſolum incumbatur. nam verum eſt, quod vulgo dicitur, *Pluribus intuntus, minùs eſt ad ſingula ſenſus*. ſed in paruis ciuitatibus, in quibus pauci ſunt ciues, neceſſe eſt plurium rerum curam coniungere, & in vnum magiſtratum conferre.

32 ¶ Alij magiſtratus conueniunt omnibus rebuſpublicis, ſed in ariſtocratia eliguntur ex ciuibus bene inſtitutis, in oligarchia ex diuitibus, in democratia ex quibuſcumque hominibus liberis. Alij ſunt ferè iidem magiſtratus in diuerſis rebuſpublicis, ſed eo differunt, quòd in alia republica maiorem, in alia minorem poteſtatem habere debent. Alij ſunt magiſtratus quarumdam rerumpublicarum proprij. Verbi gratia, προβουλοι, id eſt, præconſultatores conueniunt oligarchiæ, ſenatus conuenit democratiæ: oportet enim quoſdam eſſe, qui populo proſpiciant, vt ei liceat ſuis negotiis vacare. quamquàm ſenatus quoque poteſtas in democratia frãgitur, ſi populus diuitis abũdet, vel euntes in concionem præmium accipiant: tunc enim omnibus facile eſt in concionem venire, & de omnibus rebus conſultare. cenſura verò rectoratus, & ſimiles magiſtratus ad ariſtocratiam pertinent.

Cap.16. 33 ¶ In magiſtratibus conſtituendis notandæ ſunt tres diſtinctiones. I. Aut omnes ciues creant magiſtratus, aut aliqui duntaxat, aut alios creant omnes, alios aliqui pauci. II. Magiſtratus ſumuntur aut ex omnibus ciuibus, aut ex quibuſdam, aut partim ex omnibus, partim ex quibuſdam. III. Aut fiunt electione & ſuffragiis, aut ſorte, aut partim electione, partim ſorte.

34 ¶ Ex omnibus magiſtratibus ſumi poſſunt duobus modis. I. Vt ſemper ſumantur ex omnium ciuium numero. II. Vt ſumãtur per partes, veluti modò ex vna tribu, modò ex alia, donec per omnes tribus magiſtratuum creatio tranſierit.

35 ¶ Electio

35 ¶ Electio & ſors duobus modis in republica coniungi poſſunt. I. Vt alij magiſtratus eligantur, alij ſortitò creentur. II. Vt in eodem magiſtratu vtrumque concurrat, veluti vt quidam eligantur, & ex his aliqui ſortiantur.

36 ¶ Ex dictarum differentiarum coniunctione oriuntur varij modi, qui vel democratiæ conueniunt, vel politiæ, vel ariſtocratiæ, vel oligarchiæ: ſicut Ariſtoteles in contextu exponit: ſed hic contextus adeo corruptus mihi videtur, vt vera Ariſtotelis ſententia inde colligi non poſſit.

Cap. XIV.

De iudicibus.

37 IN iudicibus conſtituendis tria ſpectantur. I. Ex quibus ſumuntur: aut enim accipiuntur ex omnibus ciuibus, aut ex quibuſdam. II. Quibus de rebus fiant iudices, ſeu quot ſint iudiciorum genera. III. Quomodo fiant iudices, id eſt, vtrùm electione, an ſorte. Cap. 17.

38 ¶ Iudiciorum octo ſunt genera. Primùm, quod rationes à magiſtratibus repetit. Secundum, de delictis à publicis perſonis admiſſis. Tertium, de iis quæ ad rempublicam pertinent. Quartum, de multis à magiſtratibus irrogatis, ſi fortè de iis dubitetur, an rectè irrogatæ ſint. Quintum, de priuatis rerum magnarum contractibus. Sextum, de cæde. Septimum, de peregrinis. Octauum, de paruis contractibus.

39 ¶ Iudiciorum de cæde quatuor ſunt genera. Primum, de cæde conſultò admiſſa. Secundum, de cæde præter voluntatem caſu aliquo facta. Tertium, de ea, quæ iuſtè facta dicitur, veluti ſi quis, corporis ſui tuendi gratiâ, alterum occiderit. D. de iuſtit. & iu. l. vt vim. aut ſi latronem interfecerit, vel militiæ deſertorem. C. quan. lic. vnic. ſine iud. ſe vindic. l. 1. & 2. vel ſi læſæ maieſtatis reum necauerit. D. de religioſ. l. minimè. 35. Quartum, de iis, qui ob cædem non voluntariam ſolum mutarunt, & in patriam redire cupiunt: ſolebant enim iudicibus ſe committere, ita vt, ſi cauſam ſuam probaſſent, in patriâ manere poſſent: ſin minùs, ſtatim ſupplicio afficerentur. Talis magiſtratus Athenis fuit, de quo plura Demoſthenes in oratione contra Ariſtocratem.

40 ¶ Iudiciorum de peregrinis duo ſunt genera. Primũ inter duos peregrinos. alterum inter ciuem & peregrinum. Hinc apud Romanos aliquando duo fuerunt prætores, qui ius Romæ dicebant:quorum alter vocabatur prætor vrbanus,alter prætor peregrinus.

41 ¶ Omiſſis iis, quæ ad cædes, & quæ ad peregrinos pertinent,de iudiciis ciuilibus dicamus: Neceſſe eſt aut omnes ciues iudicare,aut aliquos: & vel de rebus omnibus, vel de quibuſdam: & vel creari electione, vel ſorte. Poſſunt etiam hæc connecti, veluti vt alij iudices eligantur, alij ſortitò fiant, vel vt alij ſumantur ex omnibus, alij ex certis quibuſdam.

42 ¶ Duobus modis fieri poteſt,vt omnes iudicent. I. Vt omnes ſimul iudicent. II. Vt alij iudicent poſt alios. veluti vt iudices modò ex vna tribu ſumantur, modo ex aliâ, donec ad omnes tribus perueniantur.

43 ¶ Populare eſt, omnes de rebus omnibus iudicare: oligarchicum, quoſdam de omnibus: ariſtocraticum & politicum, de quibuſdam rebus omnes, de quibuſdam aliquos iudicare. Rurſus electio ex virtute eſt ariſtocratica, ex diuitiis oligarchica, ex virtute ſimul & diuitiis politica, ex omnibus ciuibus popularis.

DOCRTI-

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LIX.

POLITICORVM QVINTVS.

Cap. I.

De iuris æqualitate, vel inæqualitate.

CAVSA ſeditionum, per quas reſpublicæ turbantur & intereunt, hæc eſt, quam etiam ſuprà attuli: quia populos eos, qui æquè liberi ſunt, æquè in omnibus rebus iure vti debere exiſtimant: diuites verò ratione diuitiarum, & nobiles propter nobilitatem nolunt eſſe aliis pares, ſed cupiunt eſſe aliis ſuperiores in adminiſtranda republica: idcirco rixantur, & ſeditiones excitant. maximè autem iuſtam contendendi cauſam habent, qui virtute politicà ſunt præditi: nam reuera hi ſoli digni ſunt, qui aliis ſimpliciter præferantur: minimè tamen ſeditiones excitant, memores huius ſententiæ, quam ex Platone tradit Cicero lib.1.epiſt.9.ad Lent. *Neque parentibus, neque patriæ vim fieri oportere.* Cap.I.

2 ¶ Finis contentionis de republica & ſeditionis eſt multiplex. I. Vt reipublicæ forma mutetur, putà vt ex oligarchia fiat democratia, vel contrà. II. Vt ab aliis ad alios reipublicæ adminiſtratio transferatur. III. Vt reipublicæ forma intendatur, vel remittatur. Verbi gratià, in oligarchià, vt numerus dominantium minuatur, vel augeatur. IV. Vt pars aliqua mutetur, vel vt aliquis nouus magiſtratus conſtituatur, vel aliquis ex antiquis magiſtratibus tollatur.

3 ¶ Firmior eſt & diuturnior democratia, quàm oligarchia. I. Quia in oligarchià duplex virorum potentium oritur contentio, nempe aduerſus populum, &

inter ſe. II. Quia democratia propiùs accedit ad rempublicam ex viris mediocribus conſtantem, quam firmiſſimam eſſe docui ax.15.lib.4.

Cap. II.

De cauſis ſeditionis, & mutationis rerumpublicarum.

Cap.2. 4 HOmines ad ſeditiones excitandas ſunt propenſi duabus de cauſis. I. Si hi, qui in republica minus obtinent, iis æquales eſſe cupiant, qui plus poſſunt. II. Si hi, qui æquali aut deteriori iure vtuntur, putent ſe ſuperiores eſſe debere.

5 ¶ Diſſentiunt ciues & contendunt de duabus rebus. I. De lucro, & damno. II. De honore, & ignominia. aut enim lucrum vel honorem ad ſe, vel ſuos trahere volunt: aut damnum, vel ignominiam fugiunt.

Cap. 3. 6 ¶ Cauſæ & origines ſeditionum, mutationúmque rerumpublicarum ſunt multæ. I. Lucrum, quando hi, qui in poteſtate ſunt, per auaritiàm vel ex rebus communibus, vel ex ciuium propriis lucrum faciunt & locupletantur. II. Honor, cùm ſcilicèt homines inuident aliis, ad quos honores deferuntur. III. Contumelia, id eſt, cùm aliquis ignominiâ notatur. IV. Metus, vel quia verentur aliqui ne delicti admiſſi pœnas dent, vel quia putant ſe iniuriam accepturos. V. Excellentia, cùm vnus vel plures potentiores ſunt, quàm ciuitas ferat: quâ de cauſa in quibuſdam ciuitatibus receptus fuit oſtraciſmus, de quo dixi lib.3.ax.28. VI. Contemptus, vt quia multitudo contemnit paucos dominantes, vel quia diuites deſpiciunt multitudinem malè adminiſtrantem. VII. Incrementum à proportione alienum, veluti ſi ſupra modum numerus pauperum augeatur, & nobiliorum minuatur, putà quia plurimi in prælio cæſi ſunt. VIII. Ἐρίθεια, id eſt, tenuiorum perſonarum coitio, quæ etiam ſine ſeditione poteſt eſſe cauſa mutationis reipublicæ, vt in vrbe Arcadiæ Heræa contigit: cùm enim populi ſuffragiis magiſtratus vilibus perſonis demandarentur, placuit eos deinceps ſorte creari. IX. Incuria, id eſt, cùm patiuntur ad eos imperium peruenire, quibus alia reipublicæ forma placet. X. Paruitas ſiue exilitas, cùm vitium aut incommodum aliquod

quod in republica oritur, quod ab initio paruum videtur, ſed paulatim augetur, ac tandem rempublicam peſſundat. Exempla affert poſteriùs Ariſtoteles cap. 5. partic. 8. Aliud exemplum ex Romanâ republicâ ſumi poteſt, in quâ violata lex, quæ iubebat annuos eſſe magiſtratus, Cæſari prorogato imperio eam poteſtatem tribuit, vt rempublicam occupare potuerit. XI. Diſſimilitudo. nam diuerſarum gentium homines facilè diſſentiunt: vnde quicumque exteros populos in ciuitatem receperunt, ſeditionibus ſunt agitati, quod & Romanis contigiſſe manifeſtum eſt.

7 ¶ Seditio excitatur interdum propter formam reipublicæ, vt à populo excitatur in oligarchia, à diuitibus in democratia: quandoque propter locum, quandoque ſedes non eſt accommodata ad vnam ciuitatem faciendam, vt in poſtremo bello Gallico Carcaſſi contigit. nam qui ſuperiorem partem vrbis tenebant, fœderatorum partes ſecuti ſunt: qui inferiorem, in fide regis permanſerunt.

8 ¶ Etiam de rebus leuibus contentiones, ſi inter viros claros & potentes, præſertim ſi inter eos, qui magiſtratus gerunt, oriantur, reipublicæ interitum aut mutationem afferunt. quapropter monet Ariſtoteles, vt incipientibus his diſcordiis, malum caueatur, & diſcordiæ principum, atque eorum, qui rempublicam gerunt, maturè componantur: quia paruum initio incommodum, progreſſu temporis fit maximum. & hîc maximè locum habet, quod ait Salluſtius, *Concordiâ parua res creſcunt, diſcordiâ magna dilabuntur.*

9 ¶ In reipublicæ mutatione interdum ſola vis interuenit, vt cùm vi introducitur, & vi retinetur noua reipublicæ forma: interdum ſola fraus, quia deceptis perſuadetur, vt recipiant nouum imperium, & vt recepto parcant libenter: interdum fraus, & vis, cùm ſcilicèt per fraudem introducitur noua gubernatio, fraude autem detectâ, per vim retinetur.

CAP. III.

De mutatione democratiæ.

10 DEmocratia mutari ſolet, I. In tyrannidem, cùm demagogi, id eſt, populares oratores, ſeu blandi Cap. 5.

ductores populi, ſunt ex numero militum: nam vi militari tyrannidem occupant. II. In oligarchiam, cùm demagogi non ſunt milites: nam ipſi non ſunt apti ad rempublicam inuadendam, ſed partim diuites & nobiles priuatim calumniando, partim contra eos publicè populum incitando efficiunt, vt illi ſocietatem coëant aduerſus populum. III. Ex democratiâ legitimâ in tyrannicam, cùm magiſtratus ſuffragiis populi, non habitâ cenſus ratione, creantur. nam homines ambitioſi honorum conſequendorum causâ populo blandientes, efficiunt, vt populus etiam leges ſibi ſubiiciat, & ſuo arbitrio omnia faciat. quod incommodum ne accidat, vel ſaltem vt minùs accidat, ſuadet Ariſtoteles, vt non vniuerſus populus, ſed tribus creent magiſtratus: ita enim fiet, vt minùs populo blandiantur, cùm intelligant, non vniuerſam multitudinem, ſed certos quoſdam ordines poteſtatem eligendorum magiſtratuum habere.

Cap. IV.

De mutatione oligarchiæ.

Cap. 6. 11 OLigarchia mutatur propter varias cauſas. I. Si multitudo ab iis, qui in poteſtate ſunt, contumelioſè tractetur. II. Si diuites, qui ad honores non admittuntur, ſeditionem moueant. III. Si ipſi imperantes rixentur inter ſe, & de republica contendant. IV. Si multitudo ferre non poſſit, vt à paucis regatur. V. Si imperantium aliquis ceteris blandiatur, fiátque eorum quaſi demagogus. VI. Si ex imperantibus aliquis fiat populi demagogus: quod tunc euenire ſolet. cùm conſultatores, & magiſtratus, & iudices à populo eligantur. VII. Si quidam rempublicam ad pauciores contrahant, aliquibus excluſis: nam hi, qui ſunt excluſi, coguntur ad populi auxilium confugere. VIII. Cùm aliquis ex dominátibus facultates ſuas luxurioſè viuendo conſumpſerit: tunc enim vel rempublicam mutare conatur, vel furatur rempublicam: vnde ſeditiones oriuntur. IX. Cùm pauci ſunt magiſtratuum participes, atque ex illis paucis non omnes admittuntur: vt quia magiſtratus perpetui ſunt, & à paucis adminiſtrantur, & ab iis, qui in poteſtate ſunt, eliguntur. X. Cùm externi milites vel belli vel pacis tempore

ideo

ideo adhibentur,quia populus & diuites ſibi inuicem fidem non habent.ſæpe enim euenit,vt externi fiant vtriuſque partis domini. XI. Si inter eos, qui reipublicæ adminiſtrandæ participes ſunt,lites & contentiones oriantur. XII. Si ipſos dominantes tædeat nimis duræ dominationis, vt in Cnido & Chio contigiſſe Ariſtoteles auctor eſt. XIII.Cùm poteſtates ex cenſu demandantur,& facultates ciuium bello proſperè geſto,alióve caſu ita augentur,vt multi,qui ob tenuitatem ſenſus excludebantur,nunc facultatibus auctis, admittantur ad reipublicæ adminiſtrationem.

Cap. V.

De mutatione ariſtocratiæ.

12 IN ariſtocratia ſeditiones oriuntur, & reſpublica in diſcrimen adducitur vel mutatur. I. Quia pauci imperant:præſertim ſi multi ex eodem genere excludantur. II. Si magni aliqui viri iniuriâ afficiantur. III. Cùm aliquis magno & virili animo præditus,reipublicæ non eſt particeps. Cap.7.

V. Cùm alij diuitiis abundant,alij egent,atque hi agrum æquè diuidi poſtulant. V. Si quis magnus ſit, qui poſſit maior, atque adeo monarcha fieri. VI. Si reſpublica non ſit rectè permixta.nam politia conſtat ex oligarchiâ & democratiâ,id eſt,in oligarchiâ habetur ratio diuitiarum, in democratiâ libertatis,in politiâ tam diuitiarum quàm libertatis, in ariſtocratiâ verò non ſolùm hæc ſpectantur, ſed etiam virtus: reſpublicæ autem,quæ magis accedunt ad oligarchiam,vocantur ariſtocratiæ:quæ verò magis ad democratiam, appellantur politiæ. Vtra igitur pars ciuitatis alteram ſuperat,rempublicam ad ſe trahit quandoque tamen alteram partem irritans efficit,vt pars contraria ſumptis viribus formam reipublicæ mutet.ita ex politiâ vel ariſtocratiâ fit oligarchia aut democratia. VII. Si parua mutatio propter exiguitatem admittatur:hanc enim mutationem alia faciliùs ſequetur: ſic reſpublica paulatim diſſoluetur.

13 ¶ Reſpublicæ mutantur vel per ſe & à cauſis internis, vt propter ſeditiones, vel vi externâ, vt in Græcia multis ciuitatibus contingit, cùm Athenienſes diſſoluerent oligarchias, Lacedæmonij democratias:ſicut non vno loco Thucidides ſcribit.

non ſunt omnes delati honores ſtatim adimendi,ſed ſenſim & paulatim. X. Creandus eſt magiſtratus,qui exploret,& ininquirat in eos,quorum vita non eſt reipublicæ conſentanea,ſed moribus ciuitatis aduerſatur XI. Si pars ciuitatis ſecundâ fortunâ exultet & ferociat:honores & imperia contrariis ciuibus demandare,vel contrarios ciues eis admiſcere,aut mediæ ſortis homines augere oportet.Contrarios voco,nobiles & plebeios,necnon diuites & pauperes. XII. Cauendum,ne magiſtratus è republica lurum faciant. XIII. In democratiâ parcendum eſt ciuibus, & nec eorum agri nec fructus in commune conferendi ac diuidendi: quinimmò non permittendum,vt diuites ſponte ſuâ in publicum ſumptus inutiles faciant.in oligarchiâ verò fouendi ſunt pauperes,&iis tribuendi magiſtratus aliqui,ex quibus emolumentum capere poſſint: vtile etiam eſt hereditates ab inteſtato deferri, potiùs quàm ex teſtamento, & neminem poſſe plures hereditates capere. XIV. Magiſtratus,in quorum poteſtate eſt reſpublica,iis ſolis ſunt demandandi, qui ſunt reipublicæ participes:in ceteris rebus eſt tribuenda aliis æqualitas,vel etiam præſtantia, quò æquiori animo imperium ferant. XV. Magiſtratus iis deferantur, in quibus tria inſunt: Cap.9.
nimirum beneuolentia erga reipublicæ ſtatum, adeo vt aliam reipublicæ formam non expetant:facultas quàm maxima publicorum munerum obeundorum: & virtus iuſtitiáque reipublicæ accommodata. Vt enim non idem ius in omnes reipublicæ formas quadrat, ita nec eadem iuſtitia. Quòd ſi non poſſint hæc omnia in vno & eodem coniunctim reperiri,ſaltem id inſit,quod eſt magis neceſſarium, id eſt,quod minùs in multitudine reperitur.exempli causâ,imperium militare deferendum potiùs eſt peritiâ & vſu rei militaris inſtructo, quàm viro bono & æquo: quia plerique magis æquitatis, quàm peritiæ militaris ſunt participes. in quæſtore autem fides & virtus magis ſpectanda eſt, quàm peritia:quia in pleriſque faciliùs reperitur ſcientia tractandi rationes,quàm fides. XVI. Danda eſt opera,vt ea multitudo,quæ vult reipublicæ ſtatum manere, plus in ciuitate poſſit, quàm quæ id minimè vult. XVII. Cauendum, ne fiat reſpublica nimis popularis, aut nimis oligarchica, hoc eſt, nec nimium oneretur plebs in oligarchiâ, nec diuites in

democratiâ:quia reſpublica nec ſine diuitibus, nec ſine pauperibus conſtare poteſt:immò qui reipublicè præſunt,beneuolentiam erga alteram partem præ ſe ferre debent,id eſt,in oligarchia erga populum,in democratia erga diuites. XVIII. Pueri ſunt rectè & ad reipublicæ formam accommodatè inſtituendi, vt in democratia ſunt aſſuefaciendi legibus popularibus, in oligarchia legibus oligarchicis. Eſt autem recta inſtitutio,non quâ delectantur,qui imperium obtinent, ſed per quam imperium obtinere & conſeruare poſſunt. nam vulgò perniciosè erratur, dum in oligarchia filij diuitum molliter viuunt, & delitiis ac luxuria diffluunt, pauperum verò liberi exercentur, & laboribus aſſuefiunt. ſic enim fit, vt hi & poſſint, & velint res nouas moliri. ſimiliter erratur in democratia, dum ſinguli viuunt vt volunt, & quò libido trahit.nam viuere ſecundum leges, & ad rempublicam accommodatè, non eſt ſeruitus exiſtimanda, ſed potiùs ſalus,& vera libertas.

Cap. VII.

De monarchiarum interitu.

Cap.10. 15 QVia regnum cōgruit ariſtocratiæ,tyrannis autem conflatur ex oligarchia vltima & democratia:idcirco quas cauſas exitium illis rebus publicis afferre diximus,eædem nocent monarchiis.& monarchis.

16 ¶ Interdum inſidiæ ſtruuntur aduerſus perſonam monarchæ,quandoque contra principatum.

17 ¶ In corpus & perſonam monarchæ coniurant. I. Contumelia affecti. II. Qui ſibi ab eo metuunt. III. Qui eum deſpiciunt. IV. Qui putant ſe poſſe aſſequi principatum:tales autem ſunt, qui audaci ingenio ſunt præditi, ac militaribus honoribus ornati. V. Qui ex tyranni cæde gloriam expetunt.

18 ¶ Tyrannis euertitur duobus modis. I. A cauſa externa, quia potentiores ſunt contrariæ reſpublicæ, vt democratia, vel regnum, vel ariſtocratia. II. Ex ſe ipſa, cùm qui tyrannidis ſunt participes, inter ſe diſſident.

19 ¶ Regnum raro propter vim externam interit: ſæpius

pius ob internum vitium, quod duplex notari poteſt. I. Si regni conſortes inter ſe diffidant. II. Si rex tyrannicè ſe gerat, maiorem, quàm fas eſt, & contra leges poteſtatem ſibi arrogans.

CAP. VIII.

De conſeruatione monarchiæ.

20 QVibus rebus monarchiæ diſſoluuntur, his res contrariæ monarchias conſeruant. veluti, ſi ob iniuſtitiam & contumeliam tolluntur, ob iuſtitiam & æquitatem conſeruantur. Cap. 11

21 ¶ Ad regnum diuturnius efficiendum valet imminutio regiæ poteſtatis. nam quò minor eſt poteſtas, eò minùs eſt inuidioſa, & eò magis reges ad æquitatem ſunt propenſi.

22 ¶ Tyrannides duobus modis inter ſe contrariis conſeruantur. I. Per ſæuitiam. II. Per iuſtitiam & æquitatem. vt enim regnum fit infirmius, ſi rex tyrannicè agat, ita è contrario tyrannis ſtabilitur, ſi tyrannus quaſi regem ſubditis ſe gerat.

23 ¶ Ad primum modum hæc pertinent. I. Viros excellentes deprimere, & excelſo animo præditos interimere. II. Cœtus & conuentus ciuium & literarios ludos prohibere, & omnino dare operam, ne ciues inter ſe noti ſint, aut ſibi inuicem fidant. III. Iubere, vt ciues, qui non abſunt ab vrbe, viuant in propatulo, & verſentur in foribus: ſic enim non latebit, quid agant, quídve moliantur, & humiles ſpiritus ſumere aſſueſcent, ſemper ſeruientes. IV. Speculatores habere, qui vrbem circumeant, & ſingulorum facta ad tyrannum referant. V. Diſcordias inter ciues ſerere. VI. Ciues deprimere, cùm impenſis variis, vt in milites præſidiarios alendos, & in vectigalia, tum etiam quotidianis laboribus & operibus. VII. Bellum continenter gerere, vt ciues ſemper ſint occupati, & duce egeant. VIII. Amicis non fidere: quia probabile eſt, cupere quidem omnes tyrannidem euertere, ſed eos maximè poſſe id facere, qui apud tyrannum gratia valent. IX. Magnam poteſtatem

mulieribus tribuere in domibus, vt virorum conſilia noſſe & enunciare poſſint. Eâdem de causâ ſeruis vita remiſſior concedenda eſt. nam à ſeruis & mulieribus periculum non imminet tyrannis: & quia bene cum illis agitur ſtante tyrannide, ideo tyrannis bene cupiunt. Idem contingit in extremâ democratiâ, in qua populus eſt tyrannus. X. Ad conuiuium vocare potiùs externos, quàm ciues: quoniam hi hoſtium loco ſunt habendi: illi vero nihil putant ad ſe pertinere certamen de imperio in aliena republica. Hæc omnia poteſtatem tyrannorum conſeruant, ſed improba ſunt, & principe indigna.

24 ¶ Hæc autem omnia referuntur ad tria capita. nam tria ſunt, quæ tyranni ſibi proponunt, ne tyrannide excidant. I Vt ſubditi humiles & abiectos ſpiritus gerant. II. Vt ſibi inuicem non fidant. III. Vt rerum agendarum poteſtatem non habeant.

25 ¶ Ad ſecundum modum hæc ſpectant. I. Reipublicæ curam præ ſe ferre, nec ſumptus facere, propter quos populus iraſci ſolet, veluti cùm tyrannus à ciuibus extorquet pecuniam, quam in ſcorta conſumat. Item rationem acceptorum & datorum reddere, & tributa ac vectigalia exigere videri, cûm ſuæ rei tuendæ gratiâ, tum etiam ad bellicas neceſſitates. In ſumma ſe præbere tamquàm cuſtodem rerum communium & publicarum non quaſi dominum, qui omnia in rem ſuam conuertat. II. Talem ſe exhibere, vt qui congrediuntur non eum metuant, ſed vereantur. quod conſequi facile non eſt ſine ciuili ſcientia. III. Nec aliquem iniuriâ afficere, nec, vt à ſuis afficiatur, pati. IV. A libidine & ebrietate abſtinere, aut ſaltem hæc vitia occultare. errant enim tyranni, qui, vt aliis beati videantur, hæc euulgant: ſic enim ſe contemptibiles reddunt. V. Vrbem exornare, tamquàm ſit procurator, non tyrannus. VI. Religionem non vulgarem, verumtamen ſine ſuperſtitione, præ ſe ferre. VII. Virtute præditos afficere talibus honoribus, quales non ſperent ſe à ciuibus, ſi reſpublica libera ſit, conſecuturos. VIII. Honores & beneficia ipſum tyrannum per ſe conferre: ſupplicia verò per alios magiſtratus, & iudices irrogare. IX. Neminem magnum facere, aut ſaltem non vnum, ſed plures, vt alij alios obſeruent: aut, ſi vnum, ſal-

num, ſaltem non audaci, ſed miti & humili ingenio prædi-tum. Hæc cautio omnibus monarchis communis eſt. X. Si quis potentiâ ſpoliandus eſt, id ſenſim & paulatim facere. XI. Abſtinere ab omni contumelia & iniuria, præſertim à cruciatu corporis, & à ſtupro: vel ſaltem videri illud facere paterno animo, hoc autem, amoris cauſa, non propter licen-tiam & poteſtatem. Præterea ignominiam magnis honori-bus collatis reſarcire oportet. XII. Efficere, vt vtraque ci-uitatis pars exiſtimet ſe propter tyranni imperium ſaluam eſſe, & ab altera parte iniuriam non pati: ſunt enim duæ par-tes ciuitatibus, locupletes, & pauperes. XIII. Vtra earum partium potentior eſt, eam imperio adiungere. XIV. No-bilibus ſe affabilem & in congreſſu facilem ſe præbere: mul-titudini autem blandiri, eámque populari oratione demul-cere. XV. Bene moratum eſſe, ſi non omnino, ſaltem ex parte.

26 ¶ Inter omnes reſpublicas breuiori tempore durant oligarchia & tyrannis. Cap. 12.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LX.

POLITICORVM SEXTVS.

Cap. I.

Scopus huius libri.

Qvæ ſunt cauſæ, propter quas, plures ſunt demo-cratiarum ſpecies. I. Quia multæ & variæ ſunt partes plebis: de qua cauſa dictum fuit. II. Quia democratiis multa ſunt adiuncta & propria: & fieri poteſt, vt in eadem democratia hæc omnia reperiantur, vel tantùm quædam, ſiue plura, ſiue pauciora. Cap. 1.

2 ¶ Fundamentum & ſcopus democratiæ eſt libertas: cuius partes duæ ſunt. I. Viciſſim imperare & parêre, admiſſa æqualitate arithmeticâ, non geometricâ. II. Vnumquemque viuere vt velit. Cic. libr. 1. de offic. libertatis proprium eſſe ait, ſic viuere vt velis.

3 ¶ Democratica ſeu popularia hæc ſunt. I. Magiſtratus ab omnibus & ex omnibus eligi. II. Omnes imperare ſingulis, & viciſſim ſingulos omnibus. III. Magiſtratus ſortitò creari, vel omnes, vel ſaltem eos, in quibus vſus & experientia ſiue ars non requiritur. IV. Magiſtratus non creari ex cenſu, vel ſumi ex paruo & exiguo cenſu. V. Non licere eidem bis gerere vllum magiſtratum, aut rarò, aut paucos, præter bellicos. VI. Breui tempore terminari magiſtratus, aut omnes, aut quotcumque poſſunt. VII. Omnes iudicare, vel ex omnibus ſumi iudices, ac iudicare de rebus omnibus, vel de plurimis, vel maximis, & ad ſummam rem pertinentibus, vt de rationibus exigendis à magiſtratibus, & de reipublicæ adminiſtratione, & de priuatis cõtractibus. VIII. Penes concionem eſſe omnium rerum, vel ſaltem maximarum rerum ſummam poteſtatem: penes magiſtratus autem aut nullius rei eſſe, aut rerum minimarum dumtaxat. IX. Conſultandi & deliberandi poteſtatem tribuere conſilio ſeu ſenatui, vbi non eſt omnibus copia mercedis accipiendæ: vbi verò merces omnibus tribui poteſt, etiam ſenatui hanc poteſtatem adimere, ac totius populi conuentui ſeu concioni tribuere. X. Mercedem tribuere maximè quidem omnibus, ſi fieri poſſit, id eſt, concioni, iudiciis, & magiſtratibus: aut, ſi omnibus non poſſit, ſaltem præcipuis, & ſummâ auctoritate præditis, aut iis magiſtratibus, qui vnà cibum capere & conuiuari neceſſe habent. XI. Auctoritatem eſſe penes ignobiles, pauperes, opifices. XII. Nullum eſſe magiſtratum perpetuum. XIII. Si quis magiſtratus ex antiqua republica ſit relictus, eius poteſtatem imminuere: & ſi ſuffragio eligebatur, ſorte eum creare. Hæc omnia oriuntur ex iure populari ſeu democratico, quod in æqualitate conſiſtit. nam democratiæ ſcopus eſt, vt omnes ſint æquales, id eſt, vt ęquè imperent tenues ac locupletes.

CAP. III.

Quomodo æqualitas ſeruanda ſit in democratia.

4 Æqualitatis in democratiâ conſtituendæ tres modi conſiderari poſſunt. I. Vt tantum bonorum poſſidentibus (exempli causâ) mille pauperibus, quantum quingenti locupletes poſſident, tanta ſit illorum mille, quanta horum quingentorum auctoritas. II. Vt tot ſumantur ex his quingentis, quot ex illis mille, qui domini ſint comitiorum & iudiciorum. III. Vt quod videtur tam diuitibus quàm pauperibus, vel maiori parti diuitum & pauperum, id ratum ſit. ſi verò aliud maiori parti diuitum, aliud maiori parti pauperum videatur: finge eſſe viginti pauperes, & decem diuites: atque vnam ſentētiam placere quindecim pauperibus, contrariam ſententiā probari ſex diuitibus: ita vt quatuor diuites ſequantur ſentētiam quindecim pauperum, & quinque pauperes ſequantur ſententiam ſex diuitum. Videndum eſt, quātus ſit cenſus eorum nouendecim, & horum vndecim: & ab vtra parte reperietur maior cenſus, eius partis ſententia præualere debet. Quid ſi vtriuſque partis cenſus æqualis reperiatur? vel ſorte, vel alia ratione dirimenda res eſt, quemadmodum etiam cùm concionis, aut ſenatus, aut iudicum ſententiæ ex vtraque parte ſunt æquales.

CAP. IV.

Quomodo democratiæ ſint conſtituendæ.

5 Democratiarum genera expoſui lib. 4. axio. 6. De Cap. 4. prima democratia, quæ ex agricolis conſtat, hæc notentur. I. Eſt omnium optima, quoniam eiuſmodi populus optimus eſt. Cato in præf. lib. 2. de re ruſt. *Viri*, inquit, *magni maiores noſtri non ſine cauſa præponebant ruſticos Romanos vrbanis. vt ruri enim, qui in villā viuūt, ignauiores quàm qui in agris verſātur in aliquo opere faciendo: ſic qui in oppido ſederent, quàm qui rura colerent, deſidiores putabant.* Plinius lib. 18. naturalium hiſtoriarum cap. 3. *Ruſticæ*, inquit, *tribus laudatiſſimæ eorum, qui rura haberent: vrbanæ verò, in quas transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ, probro.* Dionyſius quoque lib. 2. auctor eſt Romulum ſellularias & ſordidas artes omnibus ſeruis & peregrinis,

militarem ac ruſticam liberis ac ciuibus tantummodò conceſſiſſe. II. Eiuſmodi homines, quia non habent amplam rem familiarem, & ſunt rebus ſuis occupati, rarò eunt in concionem. III. Eorum cupiditas, ſi quam honorum cupiditatem habent, expletur magiſtratuum creatione, & rationum à magiſtratibus exigendarum poteſtate.

6 ¶ De hac republica dantur tria præcepta. I. Omnes quidem ciues eligant magiſtratus, & repoſcant rationes à magiſtratibus, cauſáſque iudicent: ſed aliqui ex cenſibus electi, ſummos magiſtratus gerant: & quò maior eſt magiſtratus, eò ex maiori cenſu ſumi debet, qui ei præſit: aut in magiſtratibus eligendis non cenſus rationem habere oportet, ſed facultatis bene gerendi. II. Leges aliquæ ferantur, quibus ciues agriculturæ ſtudioſi reddantur. III. Concio numquàm habeatur ex plebe vrbana ſine agricolis.

7 ¶ Docui quomodo optima democratia conſtituatur. hinc apparet, quomodo aliæ democratiæ ſint conſtituendæ. nam quò magis ab optimâ formâ receditur, eò deterior & ordine poſterior democratia fit.

8 ¶ Ad vltimam democratiam, in qua omnes indiſtinctè ſunt reipublicæ participes, rectè conſtituendam & conſeruandam dantur hæc præcepta. I. Legibus & moribus informetur: alioqui diu manere non poterit. II. Ciues aſſumantur etiam ex ſpuriis, & ex iis qui alterutrum parentem ciuem habent: ita vt numerus ciuium hac ratione augeatur eò vſque, dum multitudo nobiles, & medios ſuperet: vlteriùs verò non eſt progrediendum; ne nobiles irritentur. paruus enim exceſſus poterit eos latere, magnum exceſſum non ferent. III. Multiplicentur tribus, & ſodalitates. IV. Quæ ad ſacra priuata pertinent, in pauca & communia contrahantur. & omnino danda eſt opera, vt ciues inter ſe permiſceantur. V.
Cap. 5. Seruis, mulieribus, pueris indulgeatur. VI. Bona damnatorum ne publicentur, ſed conſecrentur: alioqui nimis erit populus ad condemnandum procliuis. VII. Iudicia publica ſint pauciſſima, & rariſſima, grauiſſimis pœnis in calumniatores inſtitutis: quia nobiles & illuſtres viros calumniari ſolent, quos non irritare calumniis, ſed reipublicæ beneuolos efficere oportet, vt reſpublica diu durare poſſit. VIII. Vbi vectigalia non ſunt, ex quibus merces venientibus in concionem

aut

aut iudicantibus tribuatur, rariores debent eſſe conciones, & rariora iudicia: ſíntque iudicia multis quidem de rebus, ſed ad paucos dies. IX. Vbi vectigalia ſunt: id, quod factis ſumptibus neceſſariis ſupereſt, egentibus diſtribuatur, aut viritim, ſi fieri poteſt, aut tributim, vel curiatim, ſeu per aliquas alias ciuitatis partes. X. Locupletes ad neceſſarios conuentus mercedem conferant, ab inanibus ſumptuoſorum munerum functionibus liberi ſint & immunes. XI. Officia pauperibus tribuantur, ex quibus locupletari poſſint, vt apud Carthaginienſes fiebat, qui hac de cauſa pauperes ſubiectis oppidis gubernandis præficiebant.

Cap. V.

Quomodo ſint conſtituendæ oligarchiæ.

9 CVm nouerimus, quomodo ſingulæ democratiæ conſtituantur: facile eſt cognoſcere, quomodo fiant oligarchiæ: ſunt enim democratiis contrariæ: proinde contrariis modis conformandæ. Cap. 6.

10 ¶ Optima oligarchia eſt, quæ proximè ad politiam accedit: ad quam rectè condendam hæc præcepta dantur: I. Ex minoribus cenſibus ſumantur neceſſarij magiſtratus; ex maioribus autem præcipui magiſtratus. II. Quicunque ad cenſum lege definitum peruenerit, ei liceat ad rempublicam adminiſtrandam accedere. III. Tanta populi multitudo per cenſum ad reipublicæ adminiſtrationem introducatur, vt qui reipublicæ præſunt, firmiores & potentiores ſint iis, qui reipublicæ non ſunt participes. IV. Ex meliori populi parte reipublicæ adminiſtrandæ ſocij aſſumantur.

11 ¶ Reliquæ oligarchiæ conſtituuntur, magis ac magis paucorum dominatum intendendo.

12 ¶ Quò deterior eſt oligarchia, eò maiori cautione eget, vt conſeruari poſſit: quemadmodum humana corpora, quò magis ſunt morboſa, eò maiorem cautionem requirunt, vt conſeruari queant.

13 ¶ Democratias hominum copia tuetur: oligarchias rectus ordo conſeruat.

14 ¶ Cùm quatuor ad bellum gerendum valeant, equites, pedites grauis armaturæ, pedites leuis armaturæ, & nau- Cap. 7.

tæ: ex equitibus commodè conficitur valida oligarchia, vbi regionis ſolum eſt equis accommodatum: ex grauis armaturę peditibus fit oligarchia altera illi proxima: reliqui pedites & homines nautici ſunt democratiæ accommodati.

15 ¶ De validâ illa oligarchiâ ex equitibus conſtante dantur hæc præcepta: I. Filios ad leues pugnas erudire oportet, ne ſit neceſſe copias ex plebe comparare. iidem verò filij, cùm è pueris exceſſerint, militaria opera efficere debēt. II. Adminiſtratio aliquo modo cum multitudine communicetur: hoc autem tribus modis cōtingere poteſt. Vnus eſt, quem ſuprà retuli, vt cenſum acquirens, ad reipublicę gubernationem admittatur. Alter eſt, vt recipiantur ij, qui aliquam diu ab illiberalibus artibus abſtinuerunt. Tertium eſt, vt iudicium fiat de iis, qui digni ſunt, cùm ex eorum numero, qui in republicâ adminiſtrandâ verſantur, tum etiam ex iis, qui à reipublicæ muneribus ſunt excluſi. III. Præcipuis magiſtratibus iniungantur munera ſumptuoſa, vt populus ab eis libentiùs abſtineat, & æquiori animo ferat eos, qui magiſtratus gerunt. IV. Magiſtratum ineuntes, ſacrificia magnifica faciant, oppiparas epulas populo præbentes. V. Iidem magiſtratus impenſas faciant in templa, & alia publica ædificia, vt populus vrbem præclaris monumentis exornatam videat.

Cap. VI.

De magiſtratibus.

Cap. 8. 16 NEceſſarij magiſtratus ſunt hi: I. Qui de contractibus cognoſcunt. II. Ædiles, qui curam habent domorum, murorum, fontium, portuum, & ceterarum eiuſmodi rerum in vrbe. III. Qui earundem rerum extra vrbem in agris & regione curam habent. IV. Quæſtores, qui vectigalia & tributa exigunt. V. Commentarienſium & actuariorum præfecti, apud quos acta & contractus perſcribuntur. VI. Executores, qui pœnas exigunt, reos cuſtodiunt, & omnino iudicia & iudicum ſententias ad effectum perducunt. quia verò huius magiſtratus officium difficile, laborioſum, & odioſum eſt, non minùs quàm neceſſarium: idcirco Ariſtoteles tres cautiones adhibendas eſſe docet. Vna eſt, vt multi conſtituantur, quorum alij alias cauſas curēt, ne totum onus vni imponatur. Altera eſt, ne idem exequatur, qui condemnauit,

nauit,ſed alius condemnet,alius exequatur. Tertia eſt,vt hic magiſtratus non ſit perpetuus:ſed ex iuuenibus, & vrbis cuſtodibus,necnon ex magiſtratibus alij poſt alios hanc curam ſuſcipiant.

17 ¶ Neceſſarij ſunt, & amplitudinem ac ſplendorem continent,magnúmque rerum vſum & magnam fidem deſiderant ſequentes magiſtratus. I. Hi,ad quos vrbis cuſtodia & rei bellicæ cura pertinet,vt imperator, tribunus,centurio, præfectus claſſis. II. Qui rationes à magiſtratibus exigunt,& eorum delicta corrigunt. III. Qui eos conuocat, penes quos eſt ſumma poteſtas. IV. Ii, ad quos diuini cultus, & rerum ſacrarum cura pertinet, vt ſacerdotes. V. Qui ſacrificia ſacerdotibus non attributa peragunt, vt apud Romanos rex ſacrificulus.

18 ¶ Præter magiſtratus dictos alij ſunt in ciuitatibus otio & ſecundâ fortunâ fruentibus, qui ad ornatum & rectam ciuitatis conſtitutionem valent. I. Is, penes quem eſt mulierum diſciplina. II. Cuſtos legum. III. Puerorum moderator. IV. Gymnaſiarcha. V. Ludorum & ſpectaculorum præfectus.

19 ¶ Horum nonnulli,vt mulierum, & puerorum præfecti, reipublicæ populari non conueniunt: quia pauperes cùm ſeruis careant, vxore & liberis coguntur vti tamquàm ſeruis.

20 ¶ Tres ſunt magiſtratus, per quos aliqui ſummos magiſtratus creant. I. Legum cuſtodes,qui ad ariſtocratiam pertinent. II. πρόβουλοι,id eſt, præconſultatores,qui ad oligarchiam ſpectant. III. Conſilium ſeu ſenatus,qui democratiæ conuenit.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ LIBER LXI.

POLITICORVM SEPTIMVS.

Cap. I.

Quæ ſit vita beata, & maximè expetenda.

Cap.1. DE optima & perfectiſſima republica deinceps dicturi, in primis notemus vitam optimam & beatam, non ſolùm cuiuſque hominis ſeparatim, ſed etiam totius ciuitatis communiter, eſſe eam, quæ cum virtute eſt bonis corporis & bonis externis ſic inſtructa, vt actiones virtuti congruentes edere poſſit.

Cap. II.

An ſit eadem beatitudo ſingulorum hominum, & ciuitatis.

Cap.2. 2 VNa eſt vniuſcuiuſque hominis & icuitatis beatitudo. quapropter in quo beatitudinem hominis conſtituunt, ſiue eam in diuitiis ponāt, ſiue in honore, in eodem beatitudiné reipublicæ omnes collocant.

3 ¶ Optima reſpublica eſt, ex cuius ordinatione ciues res optimas agunt, & beatè viuunt.

Cap. III.

De magnitudine ciuitatis.

Cap.4. 4 CIuitas nec nimis magna, nec minùs parua eſſe debet: potiùs tamen debet eſſe magna, quàm parua, quia pulchritudo in magnitudine conſiſtit.

5 ¶ Aliud eſt magna ciuitas, aliud ciuitas hominibus referta. nam in quâ ſunt multi homines ſordidi, vel multi ſerui,

ſerui,aut peregrini,pauci autem viri militares,ea non eſt magna ciuitas,quamuis multos homines contineat. magna verò ciuitas eſt,quæ multis ciuibus conſtat.

6 ¶ Nimis parua ciuitas eſt, cuius multitudo tanta non eſt, vt ſufficiat ad bene & beatè viuendum in ciuili ſocietate:nam ciuitates huius rei causâ congregantur.

7 ¶ Nimis magna eſt,cuius multitudo tanta eſt, vt ciues ſe inuicem non cognoſcant: quia ſine hac cognitione fieri nequit,vt magiſtratus rectè diligantur,nec vt iuſtitia rectè adminiſtretur.

8 ¶ Intra eos fines eſt ciuitas rectè conſtituta:&,dummodo hos fines non excedat, quò eſt maior, eò eſt melior. quò autem magis à dictis finibus recedit, eò eſt deterior: ac tandem ad tantam paruitatem vel magnitudinem reduci poteſt,vt ciuitas non ſit appellanda. vt enim aliarum rerum, ita etiam ciuitatis ſunt certi fines, citra & vltra quos conſiſtere nequit.exempli causâ, nauigium nec poteſt eſſe vnius palmi, neque duorum ſtadiorum. ita ciuitas nec ex duobus vel tribus ciuibus, nec ex decies centenis millibus conſtare poteſt. Vide lib.3.cap.2.

CAP. IV.

De regione.

9 DE agro hæc notentur. I. Debet eſſe rerum omnium copiâ refertus. II. Debet eſſe multitudine & magnitudine tantus,vt qui in vrbe habitant, viuere in otio poſſint liberaliter & temperanter: ita vt nec nimia bonorum exilitas vitam illiberalem reddat, nec nimia copia ad luxuriam inuitet. Requiſiui agri magnitudinem, eo verbo ſignificans agri ſpatium ſiue ambitum. Præterea requiſiui multitudinem, reſpiciens ad diuerſa agrorum genera, vt vineas, prata, ſyluas, ſationes, &c. III. Agri formam talem eſſe oportet, vt hoſtibus ad incurſionem faciendam difficilis ſit & impeditus, ciuitati autem ad educendum exercitum facilis & expeditus. IV. Facilis conſpectu ſit, vt facilè ei ſubueniri poſſit Cap. 5.

Cap. V.

De ſitu vrbis, & vſu maris.

10 VRbs commodè ſita eſſe debet tam ad agrum quàm ad mare.

11 ¶ Ad agrum quidem. I. Vt toti agro ſit communis, & ad omnes partes auxilia mittere, necnon ex omnibus partibus auxilia recipere poſſit. II. Vt fructus, ligna, & cetera facilè poſſint in eam importari.

Cap. 6. 12 ¶ Ad mare autem, I. Vt vtrimque, & terrâ & mari auxilia aduerſus hoſtes habere poſſit. II. Vt hoſtibus inuadentibus detrimẽtum inferre queat, ſi ex vtraque parte non poſſit, ſaltem ex altera, id eſt, vel terrâ vel mari. III. Vt ea, quibus eget, ab aliis accipere, & quibus ad ſuperfluitatem abundat, exportare poſſit: nam extra has cauſas ne multorum exterorum aduentantium copiâ patrij mores corrumpantur, non debet mercatura naualis admitti, ne quidem pecuniæ quærendæ cauſâ, quia non oportet, vt ciuitas magnarum diuitiarum deſiderio flagret.

13 ¶ Naualia & portus opportunè ad ciuitatem ſita eſſe debent, adeo vt nec vrbem occupent, nec valde remota ſint: muris autem, foſſis, & propugnaculis contineantur. legibus verò cauere oportet, quinam in ciuitate verſari, & inter ſe permiſcere debent.

14 ¶ Vtiliſſimum eſt habere copias nauales ad eam vſque magnitudinem, quæ viuendi generi, quod ciuitas ſequitur, accommodata ſit: vt ciuitas non tantùm ſe tueri, ſed etiam vicinis opem ferre queat, & hoſtibus formidoloſa ſit, tam mari, quàm terrâ. Ergo quæ ciuitas vitam principatui conuenientem degit, tantas copias habere debet, quantæ ad res gerendas magnitudini ciuitatis, & magnitudini rerum gerendarum conueniunt.

15 ¶ Magna turba naualis, quæ non eſt pars ciuitatis, non eſt neceſſaria. nam vectores, qui pugnandi cauſâ naues conſcendunt, è numero peditum ſumuntur, & in turbam naualem poteſtatem habent. cùm autem multi ſint accolæ & agricolæ, copiam eſſe nautarum neceſſe eſt.

Cap.

CAP. VI.

Quali ingenio præditos eſſe ciues oporteat.

16 CIues eſſe debent animoſi,& ingenioſi: quales ſolent eſſe in regionibus temperatis, vt in Græcia. nam in regionibus calidis plerique multum habẽt ingenij & artis,ſed animi parùm,vt in Aſia. contrà in frigidis ſunt animoſi,ſed parùm ingenio valent,vt in Scythia. Et illi quidem naturâ apti ſunt ad imperandum,ſed plerumque ſeruiunt: hi verò liberi quidem manere ſolent,ſed malè rempublicam adminiſtrant. Cap.7.

CAP. VII.

De iis,ſine quibus ciuitas eſſe non poteſt,& de partibus ciuitatis.

17 NOn omnia,quæ in ciuitate neceſſariò eſſe debent, ciuitatis partes ſunt.nam res,quæ in ciuitate ſunt neceſſariæ,non ſunt pars ciuitatis. Cap.8.

18 ¶ Neceſſaria ciuitati hæc ſunt. I. Alimentum,vt frumentum,vinum,oleum,&c. II. Artes. III. Arma,ad coërcendos eos,qui imperio non obtemperant, & ad propulſandas hoſtium iniurias. IV. Pecunia tam comercij causâ, quàm ad ſumptum rei militaris faciendum. V. Diuinus cultus, qui primo loco poni debet. VI. Conſultationes & iudicia de rebus vtilibus, & iuſtis. Quocirca opus eſt, vt ſint 1. Agricolæ. 2. Artifices. 3. Milites. 4. Locupletes. 5. Sacerdotes. 6. Iudices.

19 ¶ In optima republica,de qua nunc loquimur,nec agricolæ, nec artifices, nec mercenarij ſunt in ciuium numero: quia de beatâ ciuitate loquimur, id eſt, in quâ omnes ciues ſunt beati:beatitudinis autem,quæ in actione ſecundum virtutem conſiſtit,non ſunt capaces,qui liberali ocio carent, & ruſticis operibus vel ſordidis opificiis ſunt occupati.

20 ¶ Partes ciuitatis duæ ſunt. I. Viri militares. II. Qui de rebus vtilibus & iuſtis conſultant & iudicant: hi ſunt, quos vulgo Politicos appellamus.

21 ¶ Vtrumque munus,id eſt,tam conſultationis & iudicij, quàm militiæ, iiſdem deferri debet: alioqui hi, qui armis valent,ſe alieno imperio perpetuo ſubiici non paterẽtur. ſpe naturam ducem ſequi oportet, quâ ita comparatum eſt,

vt iuuenes robore & corporis viribus, ſenes prudentiam & conſilio valeant. quapropter iidem in iuuentute militare debent: in ſenectute rempublicam gubernare. iidem igitur, quamquàm diuerſo tempore, ſunt milites & ciuitatis rectores. iidem debent eſſe locupletes, ne propter inopiam cogantur illiberales artes exercere. iidem debent eſſe ſacerdotes: quoniam hi ſoli ſunt ciues, & par eſt, vt ciues Deum colant. Cùm igitur per ætatem à reipublicæ muneribus erunt immunes, tunc eis ſacerdotia ſunt deferenda.

22 ¶ Ex dictis apparet, quatuor ætates ciuium à politico conſiderari. I. Pueritiam, quæ exercenda eſt ad futura munera. II. Iuuentutem, quæ militare debet. III. Virilitatem, cui defertur cura reipublicæ. IV. Senectutem, ad quam ſacerdotia pertinent.

Cap. IX.

De agri diuiſione, & de agricolis.

Cap. 10. 23 Ager in quatuor partes diuidi debet, quarum duæ ſint publicæ, duæ priuatæ. Ex illis altera ſumptus ſuppeditabit ad ſacrificia, & pios vſus: altera ad ſodalitia & conuiuia publica. Ex his altera eſt ſuburbana, altera, ad extremos fines vergit: vtriuſque autem portio ſingulis cibus tribui debet, vt æquitas iuſtitiáque ſeruetur, & maior ſit in bello cum finitimis gerendo ciuium concordia.

24 ¶ Optandum eſt, agricolas eſſe ſeruos minimè animoſos, vt ad opus ruſticum ſint vtiles, & res nouas non moliantur. Quòd ſi hoc non contingat, ſaltem barbari aut coloni eſſe debent, ſimiliter paruo animo præditi.

25 ¶ Qui priuatos agros colunt, priuati & eorum proprij eſſe debent, ad quos agri pertinent. qui verò publicos agros colunt. eos publicos eſſe oportet.

26 ¶ Seruis humaniter eſt vtendum: eíſque omnibus, ſi probè ſe gerant, præmium libertatis proponi debet.

Cap. X.

De ſitu, & partibus vrbis, atque agri.

Cap. 11. 27 De ſitu vrbis quatuor requiruntur, præter id quod ſuprà dixi, vt cõmodè ad agrum & ad mare poſita ſit.

ſit. I. Vt ſit ſalubris. talis autem maximè eſt, quę ad Orientem ſpectat: deinde ad Aquilonem. II. Vt ſit ad ciuiles actiones apta. III. Vt ſit ad bellicas actiones opportuna, id eſt, vt habeat exitus ad educendum exercitum faciles, & acceſſus hoſti difficiles: item, vt non facilè cingi capíque poſſit. IV. Vt aquis & amnibus abundet. quæ ſi aliter non ſuppetant, conſtituendæ ſunt multæ ciſternæ ad aquam pluuiam excipiendam, ne vmquàm ciues aqua deficiat, ſi fortè propter bellum ab agro prohibeantur.

28 ¶ Vbi non omnes aquæ ſunt ſimiles, nec eſt aquarum perennium copia, diſtinctas ac ſeparatas oportet eſſe eas quæ ſunt ad victum opportunæ, & eas quæ aliis vſibus inſeruiunt.

29 ¶ Quod ad loca munita attinet, arx edita atque excelſa oligarchiæ & monarchiæ conuenit: loci æquabilitas democratiæ: neutrum ariſtocratiæ, ſed potiùs loca firma & munita compluta.

30 ¶ Vrbs loca quædam eleganter & latis viis diſtincta habeat ornatus causâ: quędam autem ſecus diſpoſita, quominùs externis pateant.

31 ¶ Muris ſepienda ac diligenter munienda eſt ad maiorem vim propulſandam: ipsáque mœnia magnificè ac decorè ſunt extruenda: & quàm maximè fieri poteſt ad vſus bellicos debent eſſe accommodata:* proinde turribus & propugnaculis in locis idoneis diſtincta. Cap.12.

32 ¶ In his propugnaculis quædam publica conuiuia debent apparari, ſi Ariſtoteli credimus: quia vt ciuitas per ſodalitates, à quibus conuiuia celebrantur, diſtributa eſt, ita muri ciuitatis ſunt propugnaculis diſtincti.

33 ¶ Sacræ & publicæ ædes, in quibus magiſtratus conuiuia celebrant, idoneo & eodem loco ſint, niſi ſi qua lex aut oraculum ſeparari iubet. idoneus autem locus eſt, qui conſpectum illuſtrem habet, & præ vicinis partibus vrbis eſt tutus ac munitus.

34 ¶ Huic loco ſubiiciatur forum à cunctis rebus venalibus vacuum, quò neque ſordidi atque illiberales artifices, neq; agricolæ, nec alij ſimiles veniāt, niſi à magiſtratu vocati.

35 ¶ In eodem loco ſenum gymnaſia & exercitia collocentur: ac iuuenibus quidem magiſtratus aliqui adſint:

magiſtratibus autem ſenes, vt ſuâ prudentiâ honeſtum pudorem & liberalem metum iniiciant.

36 ¶ Rerum venalium forum alio ſtatuatur loco ad eas res, quæ è mari aduehuntur, & quæ ex agro importantur, vnà excipiendas idoneo atque opportuno.

37 ¶ Conuiuia celebrentur à ſacerdotibus prope ædes ſacras: à magiſtratibus autem, qui iudiciis præſunt, & ab ædilibus, prope rerum venalium forum.

38 ¶ Vrbicæ diſpoſitioni atque ordini hactenus expoſito, ſimilis ordo ſeruandus eſt in agris. nam ibi quoque ſui magiſtratus, & ſua templa eſſe debent.

Cap. XI.

Ex quibus & qualibus ciuitatem conſtare oporteat.

Cap. 13. 39 SCopus perfectæ reipublicæ eſt beatitudo, id eſt, vt omnes ciues ſint beati: ſic enim ciuitas beata erit. beatitudo autem (vt 1. Ethicor. expoſitum fuit) ſupponit quidem adeſſe bona externa, ſed conſiſtit in actione ſecundum virtutem.

40 ¶ Viri boni fiunt naturâ, conſuetudine, & ratione ſeu doctrina. Naturâ quales ciues eſſe debeant, expoſui axio. 16. Nunc de inſtitutione dicendum.

Cap. XII.

Vtrùm vna ſit ciuium inſtitutio, an plures.

Cap. 14. 41 CVm ſuprà dictum ſit eoſdem ciues in iuuentute parêre debere, in prouectiori autem ætate imperium ſumere in iuniores: inde apparet omnes inſtituendos eſſe, vt rectè parêre, & rectè imperare ſciant. Imperium intelligo, quod eſt in homines liberos, non herile ſeu dominicum, quod exercetur in ſeruos: nam omnes ciues ſunt liberi.

42 ¶ Quia verò in perfecta republica eadem eſt ciuis & magiſtratus & optimi viri virtus, atque iidem priùs debent parêre, deinde imperare: idcirco legiſlatori maximè curæ eſſe debet, quomodo quibúſque ſtudiis viri boni euadant.

CAP. XIII.

De fine optimæ vitæ, & de inſtitutione ad eum finem accommodata.

43 QVatuor præmunio. I. Tres ſunt partes animę humanæ, ſenſus, intellectus practicus, & intellectus contemplatiuus, de quibus dictum fuit 1. Ethic. cap. vlt. II. Tria ſimiliter ſunt actionum humanarum genera, id eſt, actiones ſenſitiuæ, practicæ, & contemplatiuæ. III. Vita humana diuiditur in otium & negotium, in pacem & bellum. IV. Alia ſunt neceſſaria, ſine quibus viuere non poſſumus: alia honeſta & pulchra, vt actiones ſecundum virtutem.

44 ¶ His præmunitis, dico virum politicum & legiſlatorem debere in republicâ informandâ, & legibus condendis, atque in ciuibus inſtituẽdis, ad hæc omnia reſpicere: magis tamen ad præſtantiora, quàm ad reliqua. Eſt autem præſtantior intellectus ſenſu, & intellectus contemplatiuo, intellectu practico. proinde anteponenda eſt contemplatio actionibus practicis, & praxis operationibus ſenſitiuis. Item negotium otio præſtat, quia negotij finis eſt otium. Denique res honeſtæ neceſſariis antecellunt.

45 ¶ Non ſunt igitur bene conſtitutæ eæ reſpublicæ, quæ tantùm ad bellum ſunt conformatæ, vt olim reſpublica Spartana, & Romana: bellum enim gerentes florent, pace fruentes intereunt.

CAP. XIV.

De virtutibus reipublicæ neceſſariis.

46 CVm pax ſit finis belli, & otium finis negotij: oportet in republicâ eſſe virtutes, non ſolùm quæ ad bellum & negotium, ſed etiam quæ ad pacem & otium ac vitam in otio rectè traducendam valet. Cap. 15.

47 ¶ Ad negotium valent eæ virtutes, quarum vſus in negotio eſt, vt fortitudo, & tolerantia. Ad otium eæ, quarum opus in otio ſpectatur, vt ſcientia. Ad vtrumque eæ, quarum opus vtroque, id eſt, tam belli quàm pacis tempore requiritur: vt temperantia, & iuſtitia. quæ tamen magis in pace, quàm in bello requiruntur. nam bellum quidem, ſi legitimè geratur, iuſtos & temperantes eſſe cogit, ſed res ſecundę homines petulantes & contumelioſos reddere ſolent.

Cap. XV.

De ordine eorum, quæ dicenda ſunt.

48 CVm ad virtutes aſſequendas tria conferant, natura, exercitatio, & ratio ſeu doctrina: de naturâ ſuprà dixi, exponens quales naturâ ciues eſſe oporteat axio. 16. hâncque accipimus à Deo, non acquirimus noſtrâ induſtriâ. conſuetudo autem & exercitatiò à primis annis adhiberi, proinde etiam rationem præcedere debet.

49 ¶ Quemadmodum natura primò gignit corpus, deinde appetitum, poſtremò intellectum: ita ordine temporis prima cura debet eſſe corporis, ſed in gratiam animi: ſecunda appetitus in gratiam intellectus: tertia ipſius intellectus.

Cap. XVI.

De procreatione liberorum.

Cap.16. 50 VT ciuium corpora bene ſint conſtituta, in primis habenda eſt ratio generationis, de qua Ariſtoteles hæc præcepta tradit. I. Vt maſculus anno circiter trigeſimo ſeptimo, (vereor, ne legendum ſit vigeſimo ſeptimo) femina circiter duo de viceſimo nuptias contrahant. II. Hyeme liberis dare operam oportet, & flantibus vẽtis Aquilonalibus, potiùs quàm Auſtralibus. III. Parentes ſint habitu corporis laboribus exercitati non violentis, nec vnius tantùm generis, quomodo exercentur athletarum corpora, ſed ad hominum liberorum actiones obeundas. etenim nec athletarum habitus eſt probandus, nec corpus remediis & curationibus egens, nec quod laboribus eſt attritum. IV. Mulieres prægnantes nec deſidiæ ſe dedant, ſed quotidie deambulent, neque tenui victu vtantur, mentem verò habeant quietam & ſedatam. V. Definitus ſit à legiſlatore numerus liberorum procreandorum & educandorum. VI. Anno ætatis circiter quinquageſimo quarto, aut quinquageſimo quinto finis imponatur liberorum procreationi. VII. Nec vir matrimonio copulatus cum alia muliere rem habeat, nec mulier nupta conſuetudinem alterius viri admittat qui ſecus fecerit, infamiâ notetur.

CAP. XVII.

De liberorum educatione, & inſtitutione.

51 IN liberis educandis & inſtituendis habeatur ratio ætatis eorum. Cap. 17.

52 ¶ Prima ætas eſt vſque ad biennium, de quâ dantur hæc præcepta. I. Alantur infantes copia lactis ſine vino. II. Moueantur, & agitentur, quatenus tenella illa corpora ferre poſſunt. III. Adhibeantur (vt Ariſtoteli placet) ad id reperta inſtrumenta, ne corpora diſtorqueantur. Verùm huiuſcemodi inſtrumenta, quod ſciam, noſtrâ ætate non extant. IV. Frigoribus paulatim aſſueſcant: hoc enim & ad valetudinem, & ad actiones bellicas eſt vtiliſſimum.

53 ¶ Secunda ætate, quæ eſt à biennio vſque ad quinquennium, hæc obſeruentur. I. Nondum aliquâ diſciplinâ inſtituantur. II. Labores ne ſubeant, tantam ſolùm ludicram exercitationem adhibeant, quanta ſufficit ad fugiendam deſidiam. III. Ludis vtantur nec illiberalibus, nec laborioſis, nec remiſſis. IV. Non qualeſcumque fabellas audiant, ſed quales eos audire decet: quod præfectis ipſorum curæ eſſe debet. V. Luſiones pleręque ſint imitationes quædam eorum, quæ poſtea ſeriò ſunt tractaturi. VI. Clamare & plorare ne prohibeantur: quoniam hæc ad incremẽtum corporum puerilium valent: quippe quæ ſunt exercitationes quædam illi ætati conuenientes. VII. Minimè cum ſeruis verſentur. VIII. Auditionibus & ſpectaculis illiberalibus arceantur. IX. Picturas ac fabulas indecoras ac deformes ne ſpectent.

54 ¶ Tertia ætas eſt à quinquennio ad ſeptennium: quâ ætate ſpectatores eſſe debent earum diſciplinarum, quas eos diſcere oportebit.

55 ¶ Duæ ſunt ætates, ad quas neceſſe eſt diſciplinam & inſtitutionem liberorum diuidi: altera ab anno ſeptimo vſque ad pubertatem, altera à pubertate vſque ad primum & vigeſimum annum.

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ
LIBER LXII.
POLITICORVM OCTAVVS.

CAP. I.

An neceſſaria ſit puerorum inſtitutio, & vtrùm publica, an priuata eſſe debeat.

LEGVMLATORI maximè eſt elaborandum, vt pueri ad reipublicæ formam accommodatè inſtituantur: vtputà in democratia moribus popularibus, in oligarchia oligarchicis induantur: hoc enim ad rempublicam tuendam ac conſtituendam valet.

2 ¶ Quoniam igitur hoc publicè intereſt, publicè curari debet, non priuato cuiuſque arbitrio. Denique vnuſquiſque ciuis exiſtimare debet ſe non eſſe ſui ipſius, ſed ciuitatis, cuius eſt pars. Cicero lib. 1. de offic. *Vt præclarè* (inquit) *ſcriptum eſt à Platone, non nobis ſolùm nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici.*

3 ¶ Non omnia neceſſaria munera diſcere adoleſcentes debent, ſed à ſordidis & illiberalibus abſtinere eos oportet; ſunt autē ſordida & illiberalia, quæcūque ad vſus & actiones virtutum inutile efficiunt corpus, aut animam, aut mentem.

4 ¶ Liberalibus artibus ſui ipſius & amicorum causâ vel propter virtutem dare quadamtenus operam non eſt illiberale exiſtimandum.

CAP. III.

Quibus artibus pueri erudiuntur.

5 QVatuor ſunt, quibus veteres erudire pueros ſolebāt. Grammatica, quia ad vitā eſt vtilis & ad alias ſcientias

tias

tias diſcendas confert. II. Gymnaſtica & pædotribica quarum illa corporis habitum exercitatione, hæc effectiones & munera variis certaminibus conformat. III. Muſica, non tam vtilitatis, quàm honeſtæ recreationis gratiâ. IV. Ars pingendi, non tam ne in rebus ſuis vendendis fallerentur, quàm ne in rebus emẽdis deciperentur: vel potius quia in pulchritudine corporis cognoſcendâ ſolertem efficit.

CAP. IV.

De gymnaſtica.

6 DE gymnaſticâ dantur ab Ariſtotele hæc præcepta. I. Non eſt athletarum habitus corporibus conciliandus, quoniam hac ratione forma corporis corrumpitur, & eius incremento obſiſtitur. II. Non ſunt pueri laboribus immanes & feri reddendi, vt Lacedæmoniis perperam placebat: quia vera fortitudo, per quam honeſta pericula ſuſcipiuntur, manſuetis potiùs ineſt, quàm barbaris & inefferatis. III. Pueri vſque ad pubertatem leuiùs exerceantur, à violento victu & nimiis laboribus arceantur, ne quid impedimenti afferatur corporum incremento. IV. Poſt pubertatem cùm tres annos in aliis diſciplinis poſuerit, tunc laboribus neceſſariis & victu à neceſſitate præſcripto exerceantur. nam eodem tempore animi & corporis laborem ſufferre non oportet: quia corporis labor menti, mẽtis labor corpori officit.

CAP. VI.

An muſica ſit diſcenda, & in quem vſum.

7 MVſica quidem valet. I. Ad recreationem ſumendam poſt exantlatos labores animi vel corporis. II. Ad vitam iucundè traducendam. III. Ad mores informãdos. nam experientia docet, muſicam ad animos noſtros concitandos, vel ſedandos, & variè informandos valere.

8 ¶ Muſicam igitur pueri diſcere debent: I. Quia eſt res iucunda, minimè noxia. II. Quia etiam viris conuenit, non vt finis, cuius gratiâ agant, ſed vt hac honeſtâ oblectatione à laboribus quieſcant. III. Quia affinitatem quandam cum animâ humana habere videtur, adeo

vt philoſophorum aliqui humanam animam, harmoniam eſſe dixerint, alij eam in ſe harmoniam habere pronunciarint.

Cap. VII.

Cuiuſmodi muſicâ, & quomodo ſit vtendum.

9 PVeri muſicam diſcere debent, ita vt ipſi canant, & inſtrumentis muſicis manum admoueant: I. Vt poſſint de rebus muſicis bene iudicare. II. Vt interim re honeſtâ occupentur cum oblectatione. quod enim eſt infantibus crepitaculum, hoc adultioribus eſt Muſica.

10 ¶ In muſicâ tractandâ adhibendæ ſunt hæ cautiones. I. Qui prouectioris ætatis ſunt, ab operationibus muſicis abſtineant, tantummodò de aliis res muſicas tractantibus iudicet. II. Nec omnes numeroſi motus corporis, nec omnes cantus addiſci debent, nec omnib. inſtrumentis muſicis vti oportet: ſed exemplo Mineruæ, quæ tibiam proiecit, decori habenda eſt ratio, & cauendum ne corpus ſordidum, atque ad bellicas & politicas actiones inutile reddatur. III. In his rebus non eſt nimium operæ ponendum, nec artis excellentia quæri debet: ſed ſufficit eò vſque progredi, vt oblectatio ex muſicâ maior capiatur, quàm pueri & ſerui percipiunt. Denique hic vtendum eſt Terentiano illo præcepto, *Ne quid nimis*. IV. Non oportet harmonicis motibus & modis vti ad alios oblectandos: quoniam hæc actio illiberalis eſt.

11 ¶ Duo præmunio. I. Cantuum tria ſunt genera. nam alij ſunt morales, qui ad mores ſedandos & informandos valent: alij practici, rebúſque agendis apti: alij enthuſiaſtici, qui animos inflammant, & diuino quodam furore implent, harmoniarum igitur natura ad horum vnumquemque accommodata reperitur II. Muſica vtilis eſt propter diſciplinam, animorum purgationem, vitæ cum iucunditate traductionem & recreationem.

12 ¶ His præmunitis, dico omnibus harmoniis vtendum eſſe, non tamen omnibus eodem modo, quod diſtinctiùs explicare, vtile erit. I. Ad inſtitutionem & diſciplinam vtendum eſt harmoniis moralibus, qualis erat Dorica. III. Ad eos audiendos, qui muſico munere funguntur, adhibeantur harmoniæ practicæ & enthuſiaſticæ, qualis erat Phrygia. hæ nam-

namque ad purgandos animos valet, vt non ſolùm Ariſtoteles teſtatur, ſed etiam ſacræ literæ exemplo Saulis oſtendunt, quem malo genio vexatum muſica Dauidis ſedabat. III. In vulgi gratiam recipiantur in theatro muſicæ intenſiores. IV. Pueri etiam muſicam Lydiam diſcant, quoniam ornatum & diſciplinam affert.

13 ¶ In ſummâ tres termini ſtatuantur, vltra quos non eſt in muſica progrediendum. I. Mediocritas, ne artis excellentia quæratur. II. Poſſibilitas, ne fruſtra laboremus in eo, quod aſſequi non poſſumus. III. Decorum, ne ſordidè & illiberaliter muſicâ vtamur.

FINIS.

IVL. PACII A BERIGA LOGICÆ DISPVTATIONES OCTO.

DISPVTATIO PRIMA DE LOGICA.

Reſpond. Georgio Friderico Paſtorio, Heidelbergenſi.

I.

LOGICA ἀπὸ τοῦ λόγου, Dialectica ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι dicta eſt.

Eadem ferè eſt Logicæ & Dialecticæ etymologia: quoniam λόγος & λέγεσθαι ſunt coniugata.

II.

Verbum λόγος, quod eſt πολύσημον, hîc vel pro ratione, quæ Græcis eſt λόγος ἐνδιάθετος, *a* vel pro diſputatione accipitur; Διαλέγεσθαι verò eſt diſſerere ſeu diſputare. *b* Quocirca Logica eſt vel ratiocinandi, vel diſſerendi: Dialectica autem eſt diſſerendi facultas.

a *Λόγος triplex eſt: ἐνδιάθετος in mente, προφορικὸς in voce, & γεγραμμένος in ſcriptis: Logica autem reſpicit ad internum λόγον, auctore Ariſt. lib 1. Poſter. cap.* 10. *partic.* 7. b *Diſſerere propriè dicimur cum aliis: ſed quodammodo etiam nobiſcum: túncque idem eſt diſſerere, quod ratiocinari.*

III.

Cùm autem diſputationum genera ſint quatuor: I. Didaſcalicę ſiue apodictıcę ex propriis cuiuſque diſciplinę principiis, quæ principia ſi perperam aut falsò adhibeantur, fient apateticæ. i. deceptoriæ diſputationes: II. Dialecticæ ſeu Topicæ, ex probabilibus: III. Piraſticæ ſeu tentatiuæ, ex iis quæ reſpondenti videntur, & quæ neceſſe eſt eum ſcire, qui ſibi

qui ſibi ſcientiam arrogat, quales ſunt Socratis diſputationes cum Sophiſtis: IV. Litigioſæ, ſeu ſophiſticæ, ſeu captioſæ, quæ falsò ſumi ex probabilibus, vel concludere videntur: cùm (inquam) tot ſint diſputationum genera, ex maximè notæ & frequentes ſunt, quæ ſumuntur ex probabilibus, ſub quibus etiam piraſticæ continentur: idcirco in Dialecticæ vocabulo plerumque ad hanc ſignificationem reſpicitur.

Vide Topic. lib. 8. cap. 1. partic. 1. & Elench. cap. 2. & Poſter. lib. 1. cap. 2. partic. vlt. & cap. 16.

IV.

Logica, quæ vel ratiocinatrix dicitur, vel in diſputatione generaliter ſumptâ verſatur, nec non dialectica æquè latè diſputationem conſiderans, totam facultatem ſignificant: Poſteriori verò diſputationis ſignificatione accepta, id eſt pro diſputatione ex probabilibus, tam Logica quàm Dialectica eſt nomen partis. Quare homonymiæ diſtinctione diuerſæ opiniones* de Logicæ & Dialecticæ vocabulis ita conciliantur.

* *Quidam Dialecticam Logicæ partem faciunt, alij vtroque vocabulo totam facultatem ſignificari volunt: Ariſt. autem vtrumque vocabulum diuerſimodè accipit. Logicam pro tota facultate ſumit Topic. lib. 1. cap. 14. part. 8. & 9. Pro eius parte, Poſter. lib. 1. cap. 22. partic. 1. 22. 29. & Phyſ. lib. 3. cap. 7. part. 2. & alibi. Dialecticam pro tota facultate, Rhetor. lib. 1. cap. 1. cùm ait (De omni ſyllogiſmo ſimiliter videre Dialecticæ eſt, vel ipſius vniuerſæ, vel partis cuiuſdam.) In primis autem capitis verbis Dialecticam accipit pro parte Logicæ, ſicut etiam lib. de Interpr. cap. 12. partic. 2. & Prior. libr. 1. cap. 1. partic. 6. & cap. 30. part. 5. & Topic. libr. 1. cap. 1. partic. 5. & cap. 10. 11. 12. & lib. 8. cap. 1. part. 1. & Elench. cap. 2. part. 2. 3. & Metaphyſ. lib. 12. cap. 4. & aliis locis. Præterea Plato Dialecticæ appellationem Metaphyſicæ tribuit, De republ. lib. 6. & 7.*

V.

Huius autem homonymiæ vitandæ, ac facilioris doctrinæ tradendæ causâ, nos cum Peripateticorum celeberrimis, Logicæ vocabulo totam facultatem, Dialecticæ appellatione partem *eius ſignificabimus.

* *Quæ agit de epicheremate, id eſt, argumentatione ex probabilibus.*

VI.

Vlterius autem, vt omnis homonymia tollatur, notandæ ſunt hæ Logicæ diſtinctiones. Primò, alia eſt naturalis, qua

¶ 2

omnes homines naturaliter præditos eſſe ex eo cõſtat, quòd homo eſt ζῶον λογικόν, animal logicum ſeu rationale: alia artificioſa, quæ certis præceptis methodicè digeſtis comprehenſa, doctorum virorum propria eſt, de qua poſteriori nos diſputationem inſtituimus.

VII.

Secundò, vel eſt Logica communis, quæ ad noſtrum inſtitutum pertinet: vel ſingularum ſcientiarum & artium propria, quam Ariſtoteles παιδείαν τινὰ *a*, καὶ τρόπον τῆς ἐπιστήμης *b*, Auerroës *c* Logicam appropriatam appellant.

a *lib.1.de partib. animal. cap.* 1. b *Metaphyſ. libr.1. minore, cap.vlt.* c *In proœm.in lib.1.Poſter. Analyt.*

VIII.

Tertiò, Logica à Scholaſticis diſtinguitur in docentem & vtentem: *a* id eſt, in doctrinam Logicam, & vſum Logicæ. illam ars Logica continet: hæc in Philoſophia & aliis ſcientiis fungitur. *b* His generaliter præmunitis, de arte Logica videamus.

a *Vtentis verbum hic à Scholaſticis paſſiuè accipitur.* b *In vſum & praxim deducitur.*

IX.

Artem Logicam eſſe, dubitari non poteſt. cùm enim alij bene, alij malè ratiocinentur: nihil prohibet, ea, per quæ illi his præſtant, præceptis artificioſè comprehendi.

Simili ratione Ariſtoteles Rhetor. libr. 1. *capite* 1. *probat eſſe artem Rhetoricam.*

X.

Aſſerimus eam eſſe verè & propriè artem *a*, prout ars ab Ariſtotele definitur ſexto Ethico: id eſt, eſſe habitum cum recta ratione effectiuum *b*, non (vt Scotus falsò exiſtimat) ſcientiam.

a *Alij Logicam artem eſſe contendunt, quorum ſententiæ ſubſcribimus: alij ſcientiam, quorum ſententiam, ſi ſcientiæ vocabulum propriè accipiatur, reiicimus: alij nec ſcientiam, nec artem, ſed habitum quendam inſtrumentalem, temere ponentes habitum inſtrumentalem diſtinctum à quinque veris habitibus, quos Ariſtoteles 6. Ethic.cap.* 1. *recenſet, id eſt, à ſcientia, intelligentia, ſapientia, prudentia, & arte.* b *Effectiuum ab actiuo differt, vt effectio ab actione. Effectio eſt, cuius finis eſt opus poſt effectionem manens; vt ædificationis ædes, curationis ſanitas.*

Actio

Actio eſt, quæ ex prælectione proficiſcitur, nec ſemper habet ulteriorem finem. Vide lib. 6. Ethic. cap. 4. & 5. Hæc ſanè obſcuriora ſunt, quàm vt hoc loco poſſint, aut tyronibus debeant exactè explicari.

XI.

Tractat enim de conficiendo inſtrumento ſciendi, quod vocamus ſyllogiſmum, opus poſt effectionem permanens.

XII.

Atque hoc ponimus Logicæ ſubiectum*, id eſt, ſyllogiſmum, quatenus eſt inſtrumentum ad ſcientiam in animis noſtris pariendam aptum.

* *Syllogiſmus eſt ſubiectum Logicæ adæquatum: demonſtratio verò eſt ſubiectum principale. ſic ſcientia ſyllogiſtica, i. latè accepta, eſt finis adæquatus: ſcientia demonſtratiua eſt finis principalis. De ſubiecto & fine principalibus loquitur Ariſtoteles libr.* 1. *Prior. cap.* 1. *partic.* 1. *De ſubiecto adæquato, libr.* 1. *Rhetoric. cap.* 1. *illo loco antea citato, De omni ſyllogiſmo, &c.*

XIII.

Hinc libri Logici ab Ariſtotele conſcripti, meritò appellatione Organi continentur: Logica namque eſt organum ſiue inſtrumentum, quia docet inſtrumentum ſciendi.

XIV.

Ex dictis Logicæ definitio hæc colligitur, Ars ratiocinandi, ſeu (quod idem valet) ſyllogiſmos conficiendi, vt in quacumque re diſcernatur verum à falſo.

XV.

In Logica itaque explicantur ſyllogiſmi partes, & ſyllogiſmus ipſe, tam in genere, quàm in ſpecie.

XVI.

Partium ſyllogiſmi aliæ ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ: quarum vtræque ſpectantur vel per ſe, vel vt ſunt partes: & vel in primis notionibus, vel in ſecundis.

XVII.

Notiones ſunt animi noſtri conceptus, quibus repræſentantur res, vel quatenus ſunt, vel quatenus intelliguntur. & quia res priùs ſunt, quàm intelliguntur: idcircò illo modo vocantur primæ notiones, vt ſubſtantia, quantitas, qualitas: hoc modo ſecundæ notiones, vt genus, ſpecies, differentia.

XVIII.

Simplices partes ſunt, quæ ſimplicem animi conceptum,

veritatis & falſitatis expertem ſignificant: vt, homo. Compoſitæ, quæ compoſitum, id eſt, quæ verè aut falsò aliquid cum alio coniungunt:vt,homo eſt iuſtus.

XIX.

Per ſe ſpectari dicuntur, cùm non conſiderantur vt partes, ſed vt per ſe aliquid ſignificant.vt partes autem conſiderantur,cùm in toto ſpectantur. Verbi gratiâ,homo eſt pars huius orationis,homo eſt iuſtus: ſed & per ſe, atque extra eam orationem, eſt vox certam rem ſignificans.

XX.

Partes ſimplices, per ſe conſideratæ, vocantur dictiones, vt nomina, & verba: quatenus ſunt partes enunciationum, appellantur ſubiectum & attributum: quatenus ſunt partes ſyllogiſmi,nominantur termini, maior, minor, medius: de quibus ſuo loco.

XXI.

Partes compoſitæ, per ſe acceptæ, dicuntur enunciationes:in ſyllogiſmo autem appellantur propoſitiones:ſyllogiſmo probandæ nuncupantur problemata, & iam probatæ nominantur concluſiones.

XXII.

Nam ex ſimplicibus.i.ex nominibus & verbis componuntur enunciationes,ex enunciationibus ſyllogiſmi.

XXIII.

Partes itaque ſyllogiſmi per ſe acceptas, in primis notionibus explicat Ariſtoteles in libro Categoriarum: eaſdem in ſecundis notionibus conſiderat in libro de Interpretatione:de ſyllogiſmi forma generali tractat in Prioribus Analyticis:de ſpeciebus ſyllogiſmi ſumptis à materia, in libris ſequentibus: hoc eſt, de ſyllogiſmo neceſſario, quem vocamus Demonſtrationem,in Poſterioribus Analyticis:de probabili ſeu dialectico,quem Greci appellant ἐπιχείρημα,in Topicis:de captioſo ſeu ſophiſtico in Elenchis Sophiſticis.

XXIV.

Quocirca ſi primas & ſummas artis Logicæ partes ſpectemus,eam comperiemus ab Ariſtotele partim compoſitiuo,partim diuiſiuo ordine conſcriptam: nam à partibus ſyllogiſmi ad ſyllogiſmum, componendo: à generali autem forma ad ſingulas ſpecies,diuidendo progreditur.

XX✝.

His omnibus libris præponitur Iſagoge Porphyrij, non vt pars Logicæ, ſed vt introductio ad Logicam, explicans quinque vocabula, quorum in Organo Logico frequens eſt vſus, nempe Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens.

DISPVTATIO SECVNDA.

Reſpondente I. C. R. H.

DE LOGICÆ ARTIS DIVISIONE.

I.

LOGICA multis modis diuidi poteſt. Primò in tractatum de primis notionibus, qui habetur in libro Categoriarum, & tractatum de ſecundis notionibus, qui reliquis Organi libris continetur.

II.

Hæc diuiſio ſimilis eſt ædificij in fundamenta & ſuperficium diuiſioni. Nam primæ notiones ſecundarum, & Categoriæ ſunt artis Logicæ fundamenta.

Hac diuiſione vſi ſumus in Inſtitutionibus Logicis, non vt omnium optima, ſed vt maximè illi operi accommodata.

III.

Secundò Logica diuiditur in duas partes: in quarum priori agitur de partibus ſyllogiſmi ſecundum ſe conſideratis, in altera de ſyllogiſmo primùm generaliter, mox ſpecialiter.

Hæc diuiſio tanquàm omnium optima, Organo Logico præfixa eſt.

IV.

Tertiò in partem generalem, quam Auerroës communem, veteres Latini artem veterem vocant, & ſpecialem, quam Auerroës propriam, Latini artem nouam appellant. illa de ſyllogiſmo in genere, & de eius partibus integrantibus pertractat: hæc ſingulas ſyllogiſmi ſpecies declarat.

a *Quamuis vulgò non diſtinguantur, ſed pro vna habeantur.*
b *In Topicis ad Trebatium.* c *Lib.5.cap. vlt.*

IX.

Nam iudicamus de his quæ iam ſunt facta: diſponimus, quæ nondum facta ſunt, præſertim ſecundum eos, qui has Logicæ diuiſiones probant: quandoquidem ad iudicium referunt conſtructionem enunciationum & ſyllogiſmorum cùm inuentio quoque tam horum quàm illarum ſit *a*. Adde quòd M. Tullius adeo iudicium à diſpoſitione ſeiungit, vt potius ad inuentionem quàm ad diſpoſitionem referat *b*: & in Topicis non ſolùm inueniendi, ſed etiam iudicandi artem docet *c*. Apparet igitur, aliud eſſe iudicium, aliud diſpoſitionem: proinde Logicæ partitionem in inuentionem ac iudicium, & in inuentionem ac diſpoſitionem, non eſſe vnam & eandem diuiſionem, ſed duas ac diuerſas.

a *Prior.lib.1.cap. 27. 30. & Poſter.lib.2.cap.13.14. & Topic.lib.1.cap. 13.lib.8.cap. 1.* b *In Oratore.* c *De inuentione primo loco tractat: poſtea de iudicio agere incipit eo loco.[Expoſitis omnibus argumentandi locis &c.]quo loco agi de iudicio, nemo (opinor) dubitabit, qui verba illa Ciceronis in Oratore expendet, [Nec verò vtetur imprudenter hac copia, ſed omnia expendet, & seliget. non enim ſemper, nec in omnibus cauſis ex iiſdem eadem argumentorum momenta ſunt. Iudicium igitur adhibebit: nec inueniet ſolùm quid dicat, ſed etiam expendet. &c.]*

X.

Vtrouis autem modo Logica ſecetur, negamus eiuſmodi partitionis auctores eſſe Stoicos, vt vulgò creditur.

Nam ſi Stoici Logicam in has duas partes diuiſiſſent, non ſolùm iudicandi vias perſecuti eſſent, ſed in arte quoque inueniendi quadamtenus elaboraſſent, quam tamen eos totam reliquiſſe teſtatur Cic. in Topicis. Immo hanc inueniendi artem adeo ignorarunt, vt quibus è locis argumenta depromantur, ne ſuſpicati quidem ſint, eodem Cicer.lib. 4. de finibus auctore. Præterea Diogenes Laërtius in Zenonis vita, non hanc, ſed aliam Logicæ Stoicam diuiſionem affert.

XI.

Hactenus de Logica diſſeruimus, quod ad Logicam pædiam pertinet: deinceps ipſius artis præcepta quàm breuiſſimè & commodiſſimè fieri poterit, proponemus.

DE ATTRIBVTIONE.

XII.

Quia verò Logicæ ſcopus eſt veritas,quæ in attributione maximè cernitur: (cùm enim alterum alteri attribuitur, neceſſe eſt vt ei verè aut falsò attribuatur *) idcirco potiſſimùm in ea tractatur de attributione, quæ eſt inter attributum & ſubiectum cui attribuitur,relatio quædam.

* *Categor.cap.4.part.3.& de interpretatione,cap.1.part.5.6.*

XIII.

Cùm autem attributio vel poteſtate, vel actu ſpectetur: (aut enim conſideratur quidpiam, quatenus alteri attribuitur, vt iuſtus homini in hac enunciatione, homo eſt iuſtus: aut quatenus aptum eſt vt alteri attribuatur, vt genus dicitur, quia poteſt attribui multis ſpeciebus) cúmque in huiuſmodi rebus poteſtas ſit actu prior *: in hac diſputatione ad poteſtatem reſpiciemus: nam de attributione quæ actu fit, tunc agetur,cùm de enunciatione diſſeretur.

* *Prior tempore.vide cap.13.part.vlt.de interpr.*

XIV.

Omnis attributio vel eſt homonyma, vel ſynonyma, vel polyonyma,vel heteronyma, vel diſparata, vel paronyma *a*. Nam quæ vocantur analoga, vt radices montis & plantæ, *b* vel ab vno & ad vnum, quomodo ſubſtantia & accidentia dicuntur entia *c*, appellatione homonymorum comprehendimus *d*.

a *Categor. cap.* 1. *& ibi Ammo. & Simplicius.* b *Metaphyſ. libr.* 4. *cap.6.* c *Metaph.lib.2.cap.2.* d *Porphyr. in Iſag.cap.* 2.*part.32. Simplic. & Ammo.in Categor.cap.*1.

XV.

Attributio homonyma eſt attributi homonymi de ſubiectis homonymis. Subiecta homonyma ſunt, quæ vulgò vocantur æquiuoca æquiuocata, & ab Ariſtotele * definiuntur, Quorum nomen ſolum eſt commune, ad illud verò nomen accommodata definitio, diuerſa eſt. Attributum homonymum, eſt nomen illud commune, quod multis attribuitur, nec recipit vnam illis communem definitionem: vulgò dicitur æquiuocum æquiuocans. Verbi gratiâ, canis ſydus, canis quadrupes,& canis piſcis, homonymos nominantur canes:quia nulla eſt canis definitio tribus illis communis.quare tria

re tria illa, ſunt ſubiecta homonyma, & canis eſt attributum homonymum * *Categor.cap.*1.*part.*1.

XVI.

Similiter attributio ſynonyma eſt attributi ſynonymi de ſubiectis ſynonymis. Subiecta ſynonyma vulgò vocantur vniuoca vniuocata, & ab Ariſtotele * ita definiuntur, Quorum & nomen eſt commune, & ad illud nomen accommodata definitio eſt eadem. Attributum ſynonymum, vulgò vniuocum vniuocans, eſt quod multis attribuitur tam ratione ſui nominis quàm ratione ſuæ definitionis ad illud nomen accommodatæ. Vtputà animal dicitur ſynonymως de homine & bruto: quia horum vtrumque dicitur animal, & vtrique conuenit definitio animalis, nempe Viuens ſenſu præditum. Ergo homo & brutum ſunt ſubiecta ſynonyma, animal verò eſt attributum ſynonymum.

* *Categor.*1.*cap.*1.*part.*2.

XVII.

Homonymia quandoque manifeſta eſt, quandoque latet *a*. Magis autem latet in vniuerſalibus, quàm in particularibus *b*. Et quandoque latet non ſolùm in nomine, ſed etiam in definitione ad illud nomen accommodata: adeo vt falsò videatur eſſe vna communis definitio, quæ re vera eſt multiplex, & falsò videantur eſſe ſynonyma, quę re vera ſunt homonyma *c*.

a *Topic.lib.*1.*cap.*3.*part.*2.*&* *de Sophiſt.Elench.cap.*33.*part.*2.*&* *Phyſ. lib.*7.*c.*5.*part.*21.*&* *Ethic.lib.*5. *cap.*1. b *Poſter. lib.*2.*c.*13. *part.* 24. *&* *Phyſ.lib.*7.*c.*5. *part.*20. c *Topic.lib.*1.*c.*15.*part.*14.

XVIII.

Idem diuerſo reſpectu poteſt eſſe homonymum & ſynonymum. Vt animal homonymως animali viuo & animali picto, ſynonymως homini & bruto attribuitur. Rurſus canis piſcis & canis quadrupes homonymως canes, ſynonymως animalia dicuntur. *Ammon.& Simpl.in Categ.c.*1.*part.*1.*&* 2.

XIX.

Attributio polyonyma eſt attributi polyonymi de ſubiecto polyonymo, vt veſtimentum eſt indumentum *a*. Nam polyonyma dicuntur diuerſa nomina eandem rem ſignificantia, vel res diuerſis nominibus ſignificata *b*. Hęc ſæpe vocantur ſynonyma *c*.

a *Elench.cap.6.part.* 4. b *Ammonius & Simplicius in Categor. cap.* 1.*part.* 1. c *Vt Poſter.lib.*1.*cap.*13.*part.*14.

XX.

Attributio heteronyma eſt attributi heteronymi de ſubiecto heteronymo, vt, adſcenſus non eſt deſcenſus. Nam heteronyma dicuntur, quæ re ſeu ſubiecto idem ſunt, ratione differunt, vt adſcenſus & deſcenſus. *Ammon. & Simp. dicto loco.*

XXI.

Attributio diſparata eſt attributi diſparati de ſubiecto diſparato. quæ attributio ſi vera eſſe debet, negatiuè eſt concipienda, vt homo non eſt planta. Nam diſparata cum Scholaſticis appello, quæ à Simplicio & Ammonio vocantur ἕτερα diuerſa, id eſt, quæ & nomine & re omnino differunt, vt homo & planta. *Ammonius & Simplicius dicto loco*

XXII.

Paronyma dicuntur, quæ ab aliquo ſic nominis appellationem accipiunt, vt caſu (id eſt, fine ac terminatione vocabuli) differant: vt à grammatica grammaticus, à iuſtitia iuſtus. *Categor.cap.*1.*partic.*3.

DISPVTATIO TERTIA.

DE CATEGOREMATIS.

Reſpondente Friderico Caſtillioneo Baſilienſi.

HOMONYMΩS attribuuntur cum alia quamplurima, tum etiam Ens ſubſtantiæ, quantitati, qualitati, & ceteris a: niſi adeo anguſtè homonymum accipiatur, vt excludantur ea, quæ dicuntur ab vno & ad vnum, quoniam hoc modo Ens attribuitur b.

a *Porphyr.cap.*2.*part.*32. b *Metaph.lib.*3.*cap.*2.

II.

Synonymωs attribuuntur, genus ſpeciei & indiuiduo, vt animal

animal homini & Socrati : differentia ſpeciei & indiuiduo, vt rationale homini & Socrati : ſpecies indiuiduo, vt homo Socrati*a*: & proprium ſpeciei vel indiuiduo, vt diſciplinæ capax homini & Socrati *b*.

a *Porphyr.cap.8.part.8. Ariſt. Categor.cap.5.part.15. & Topic.lib.4. cap.3. part.3.* b *Porph.cap.9. part.3.*

III.

Accidens partim attribuitur ſynonym*ως*, partim homonym*ως*: partim paronym*ως*, partim abſque nominis communione*a*. Synonym*ως* dicitur accidens in concreto ſumptum de ſuo ſubiecto, vt album de corpore *b*. Paronym*ως* plerumq; dicitur accidens in abſtracto acceptum, de ſubiecto, vt albor de corpore: quandoquidem corpus ab albore denominatur album*c*. Homonym*ως* quædam accidẽtia ſuis ſubiectis attribuuntur, quando idẽ prorſus eſt nomen. ſic homonyma ſunt grammatica ars & grammatica mulier*d*. Sine nominis communione attribuitur virtus homini, qui à virtute non dicitur virtuoſus, ſed ſtudioſus, *ἀπὸ τῆς ἀρετῆς οὐ λέγεται ἀρεταῖος, ἀλλὰ σπουδαῖος e*.

a *Categor.cap.1.part.3. & cap.5.part.4. & cap.8.part. 18. & ſequentibus.* b *Simplicius in Categor.cap.5.part.5.* c *Categor.cap.1.part.3. & cap. 8.part.19.* d *Ammo. & Simplic. in Categor.cap.1.part.3.* e *Categor.cap. 8.part.20. & 21. Ammonius & Simplicius dicto capite 1.partic.3.*

IV.

Non putamus in hoc eſſe diſcrimẽ inter proprium & accidens. Quod ergo ſuprà* ex Porphyrio diximus, propriũ ſynonym*ως* attribui ſpeciei, de proprio in cõcreto, non in abſtracto accipi volumus. Exẽpli causâ, homini aptus ad ridẽdum ſynonym*ως*, aptitudo verò ad ridẽdũ paronym*ως* attribuitur.

* *Theſi 24.*

V.

Synonymæ attributionis elegans regula eſt. Quod dicitur de attributo, dicitur etiam de eius ſubiecto. Veluti ſi homo attribuitur Socrati: animal, quod dicitur de homine, dicitur etiam de Socrate. Nam ſi Socrates eſt homo, & homo eſt animal, certè etiam Socrates eſt animal.

Porphyr.cap.2.part.57. Ariſt. Categor.cap.3.part.1. & Priorum lib.1. cap.1.part.vlt.

VI.

Indiuiduum per ſe nulli attribuitur *a*, ex accidenti dicitur de ſe ipſo, vt; hic veniens eſt Socrates *b*.

a *Categor.c.2.part.2.& cap.5.part.1.12.& de Interpret.cap. 7.part.1.*
b *Porphyr.c.2.part.9.& part.37. Ariſt.Prior.lib.1.c.27. part.3.*

VII.

Hinc factum eſt, vt appellatione Categorematis nõ ſoleat ſignificari indiuiduum (præſertim cùm indiuidua, eò quòd ſunt numero infinita, à Philoſophis & Logicis negligantur*a*) ſed tantùm Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens, quæ ſingula multis attribuuntur*b*.

a *Porphyr.c.2.part.35. Ariſt.1.Prior.c. 27.partic.4.* b *Porphyr. cap.2. part.9.*

VIII.

Genus (vt à Logico accipi ſolet, omiſſis aliis ſignificationib. homonymis) definitur*a*, Quod multis ſpecie differẽtib.*b* attribuitur *c* in quæſtione quid eſt *d*. Vt animal homini & bruto.

a *Porph.cap.2.part.8. Ariſt.Top.lib.1.cap.5.part.6.* b *Specie differre dicuntur, quæ naturâ & eſſentiâ differunt, cùm tamen ſub eodẽ genere contineantur: vt homo & brutũ.* c *Id eſt, attribui poteſt, ſeu naturâ aptũ eſt vt attribuatur.* d *In quæſtione quid eſt, attribui dicitur, quod aptè reſpondetur ad quæſtionem quid eſt, vt interroganti quid eſt homo, rectè reſpondetur animal: ergo animal homini attribuitur in quæſtione quid eſt Porph.c.2.part.13.*

IX.

Species definitur, Quæ generi ſubiicitur: vel, Cui genus attribuitur in quæſtione quid eſt. Vt homo eſt ſpecies animalis. *Porph.c.2.part.21.& 22.*

X.

Genus diuiditur in generaliſſimum & ſubalternum: ſpecies item in ſpecialiſſimã & ſubalternam. *Porph.c.2.partic.23.*

XI.

Genus generaliſſimum definitur, Quod, cùm ſit genus, non eſt ſpecies: vel, Quo non poteſt eſſe aliud ſuperius genus. vt ſubſtantia. *Porph.c.2.partic. 28.*

XII.

Species ſpecialiſſima definitur, Quæ, cùm ſit ſpecies, nõ eſt genus: vel, Quæ, cùm ſit ſpecies, in ſpecies diuidi nequit: vel, Quæ pluribus numero differentibus attribuitur in quæſtione quid eſt. *Porphyr.c.2.partic.21.22.29.*

XIII.

Numero hîc differre dicuntur, quæ tantùm numero differunt, & accidentibus quibuſdam, non naturâ & eſſentiâ: vt Socrates, & Plato.

XIV.

Genus ſubalternũ & ſpecies ſubalterna, ſubiecto ſũt idẽ, τῷ λόγῳ

λόγῳ differũt. quæcumque enim generi generaliſſimo & ſpeciei ſpecialiſſimæ ſunt interiecta, relatione habita ad inferiores ſpecies vocantur eorum genera. ſi verò comparentur cum ſuperioribus generibus, dicuntur eorum ſpecies. vt viuens eſt ſpecies ſubſtantiæ, & genus animalis: animal eſt ſpecies viuentis, genus hominis.

XV.

Indiuiduũ dicitur, quod conſtat ex proprietatibus, quarum collectio numquam in alio eſſe poteſt. vt Socrates: cuius proprietates ſimul iunctæ, in nullo alio particulari reperiuntur.

Porphyr. cap. 2. partic. 38.

XVI.

Generis generaliſſimi vnus eſt habitus erga inferiora, quorum eſt genus. Subalternorum duo ſunt habitus: alter ad inferiora, quorum eſt ſpecies, alter ad ſuperiora, quorum eſt genus. Specialiſſimi vnus eſt habitus tam erga ſuperiora genera, quorum eſt ſpecies, quàm erga inferiora indiuidua, in quibus eſt ſpecies. *Porphyr. cap. 2. partic. 26. 27.*

XVII.

Genera generaliſſima decem numerantur *a*, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Ad aliquid, Vbi, Quando, Situm eſſe, Habere, Agere, Pati *b*, de quibus poſtea *c*, Indiuidua ſecundum Philoſophos ſunt infinita *d*. Reliquorum numerus eſt incertus: ſed quæ propinquiora ſunt generi generaliſſimo, ſunt pauciora: quæ propiùs accedũt ad indiuidua, ſunt pluræ: quia ſemper genus in multas ſpecies diuiditur *f*.

a *Porph. cap. 2. part. 32.* b *Ariſt. Categ. cap. 4.* c *Diſput. ſeq.* d *Porph. d cap. 2. part. 34.* e *Porph. eod. cap. 2. part. 36.* f *Porphyr. eod. cap. 2. part. 37. Ariſt. Topic. lib. 4. cap. 3. part. 4.*

XVIII.

Idcirco in ſcientiis ordine diuiſiuo à genere ad ſpecies progredimur. indiuiduorum autem non eſt ſcientia.

Porph. dicto cap. 2. part. 35.

XIX.

Indiuidua ſub ſpecie, ſpecie ſub genere continentur, vt partes ſubiectiuæ in toto attributiuo.

Porphyr. dicto cap. 2. partic. 39.

XX.

Differentia communiter dicitur, quæ ſumitur ab accidente ſeparabili, quomodò ſedens differt à ſtante, & à deambulante: Propriè, quæ ſumitur ab accidẽte inſeparabili, quomodo nares ſimæ differunt ab aduncis: Maximè propriè, quæ ſumitur ab eſsẽtia rei, vt animal rationale differt ab irrationali.

Porphyr.cap.3. partis.1.2.3.4.

XXI

Rurſus differentiarũ alia eſt ſeparabilis,quæ ſumitur ab accidente ſeparabili:alia inſeparabilis *a*: atque hæc partim eſt per accidens, nempe quæ ſumitur ab accidente inſeparabili: partim per ſe,quæ ſcilicet ſumitur ab eſſentia rei *b*.

a *Porph.d.cap.3.part.*8. b *Porph. eod.cap.partic.*9.

XXII.

Huius differētię quæ per ſe & maximè propriè dicitur,proprium eſt,ſpecifica appelletur, & faciat aliud,& tam in generum diuiſionibus,quàm in ſpecierum definitionibus ponatur, & neque contendi neque remitti poſſit.

Porph.d.cap.partic. 5.6.7.10.11.15.

XXIII.

Diuiditur in diuiſiuam & conſtitutiuam. Diuiſiuæ ſunt,per quas genus diuiditur in ſpecies.Conſtitutiuæ autē,per ſpecies conſtituuntur *a*. Nam ſpecies conſtat ex genere quaſi materia,& ex differentia quaſi forma *b*.

a *Porph.d.cap.3.part.*12. b *Porph.eod.cap.part.*17.

XXIV.

Idem alias habet differentias conſtitutiuas, alias diuiſiuas: Vt animal cōſtituitur animato & ſenſitiuo,diuiditur rationali & irrationali *a*: Sed eadem differentia, reſpectu ſuperioris generis eſt diuiſiua,reſpectu inferioris ſpeciei eſt cōſtitutiua, vt rationale & irrationale diuidūt animal,quorum illud conſtituit hominem,hoc verò beſtiam *b*.

a *Porph.d.cap.3.partic.*12. b *Porph.d cap.3.partic.*13.14.

XXV.

Hæc differentia variis modis definitur.Primò,Qua ſpecies ſuperat genus.nam ſpecies differētiam actu in ſe habet,quam genus habet tātum poteſtate *a*. Secundò,Quæ pluribus ſpeciē differentibus attribuitur in quæſtione quale quid eſt *b*. Tertiò, Quod naturalem vim habet ſeparandi ea quæ ſub eodē genere collocantur *c*. Quartò,Quo quidque differt *d*. Quintò, Quod eſſentialiter ſeiungit ea quæ ſub eodem genere continentur *e*. Ex his definitionibus ſola quinta eſt perfecta.

a *Porphyr.eod.cap.3.partic.*16. b *Ibid.partic.*17. c *Ibidem partic.*18. d *Ibid.partic.*19. e *Ibid.partic.*20.

Pro-

Proprium quatuor modis accipitur. Primò quod ſoli, non omni conuenit, vt homini ars medica. Secundò quod omni, non ſoli, vt homini bipes. Tertiò quod omni & ſoli aliquando conuenit, vt homini caneſcere. Quartò & propriè, quod omni, ſoli, ac ſemper, vt homini aptitudo ad ridendum.

Porphyr.c.4. XXVII.

Quod autem hoc vltimo modo proprium eſt, cum ſubiecto reciprocatur: vt omnis homo eſt aptus ad ridendum: & quicquid eſt aptum ad ridendum, eſt homo.

Porphyr. dicto c.4. partic.6.

XXVIII.

Accidens dicitur, quod præter rei eſſentiam attribuitur. Ac vel eſt proprium, de quo in theſi præcedenti: vel commune, quod conciſè appellatur accidens.

XXIX.

Hoc tribus modis definitur. Primò *a*, Quod adeſt & abeſt ſine ſubiecti interitu *b*. Secundò *c*, Quod contingit *d* eidem ineſſe & non ineſſe. Tertiò *e*, Quod neque eſt genus, neque differentia, nec ſpecies, nec proprium, nec accidens, ſemper autem in ſubiecto inhæret *f*.

a *Porph c.5 partic.1.* b *Ideſt, quod per intellectum æquè fingi poteſt ineſſe ſubiecto atque non ineſſe.* c *Porph. dicto c.5. part.3 Ariſt. Topic. lib.1.c.5. partic.8.* d *Contingere dicitur, quod non eſt neceſſarium, Prior. lib.1.cap.13. partic.2. & 3.* e *Porphyr. c.5. partic.4. Ariſt. Top. lib.1. cap. 5. partic.8.* f *Accidens dicitur ſemper inhærere ſubiecto, quatenus non poteſt eſſe ſine ſubiecto: dicitur autem abeſſe à ſubiecto, quatenus ſubiectum ſine ipſo eſſe poteſt.*

XXX.

Diuiditur in accidens ſeparabile & inſeparabile *a*. Separabile eſt, quod re ipſa poteſt ſeparari à ſubiecto, vt dormire, ſedere. Inſeparabile, quod re ipſa à ſubiecto ſeparari nequit: vt narium ſimitas, vel aduncitas *b*.

a *Porphyr. d. cap.5. partic. 2.* b *Separatio, quam noſtri abſtractionem vocant, triplex eſt: aut enim fit re ipſa, aut per intellectum priuatiuè, aut per intellectum poſitiuè. Re ipſa fit ſeparatio, vt cùm res alba deſinit eſſe alba, quia denigratur. Per intellectũ priuatiuè abſtrahitur, quod ab intellectu non conſideratur, licèt in re inſit. ſic accidentia & propria abſtrahuntur in ſubiecto definiendo, quia non ponũtur in eius definitione. Poſitiuè autem intellectus abſtrahit, cùm fingit in re ineſſe accidens con-*

trarium ei quod re vera ineſt: vt cùm fingit coruum album, aut cygnum nigrum. Realiter ſeparantur tantùm accidentia ſeparabilia: priuatiuè omnia accidentia & propria: poſitiuè omnia accidentia, non etiam propria, eſſentia autem rei nullo modo à re ſeparatur.

DISPVTATIO QVARTA.

Reſpondente Otthone Brahe Axilli F.

DE CATEGORIIS.

I.

Ex ſuprà enumeratis Categorematis tria ſunt, quæ Categorias conſtituunt, Genus, Species, & Indiuiduum. Nam Categoriæ nihil aliud ſunt, quàm rerum homogenearum claſſes, in quibus ſingulis indiuidua ſuæ ſpeciei, ſpecies ſuo generi, & omnia vni generi generaliſſimo ſubiiciuntur.

II.

Tot igitur ſunt Categoriæ, quot genera generaliſſima *a*: iiſdémque vocabulis ſignificantur: nempe Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relata, Vbi, Quando, Situm eſſe, Habere, Agere, Pati *b*.

a *Vide diſputat. 3. the. 17.* b *Categor. cap. 4.*

Harum vna eſt Categoria ſubſtantiæ, reliqua omnia ſunt accidentia.

IV.

Quocirca Entis diuiſio in ſubſtātiam & accidens, pertinet ad diuerſa Categoriarum genera conſtituēda: diuiſio autem in vniuerſale & particulare, ſpectat ad Categoriam quamlibet in partes diuidendam.

V.

Hæc ita inter ſe diſtinguuntur: quòd ſubſtantia non eſt in ſubiecto, accidens eſt in ſubiecto: vniuerſale dicitur de ſubiecto, particulare non dicitur de ſubiecto.

VI.

Vtriſque diuiſionibus coniunctis fit quadripertita Entis diuiſio. Nam alia neque ſunt in ſubiecto, neque dicuntur de ſubiecto, vt Socrates: alia non ſunt in ſubiecto, ſed dicuntur de

de ſubiecto,vt animal:alia ſunt in ſubiecto, nec dicuntur de ſubiecto, vt hoc album : alia ſunt in ſubiecto, ac dicuntur de ſubiecto,vt color.

Categor. cap. 2. partic. 2.

VII.

Hinc apparet, duplex (quod ad præſentem inſpectionem attinet)ſubiectum eſſe:alterum attributionis, ſeu de quo:alterum inhærentiæ, ſiue in quo. Illo modo particulare ſubiicitur vniuerſali,vt homo animali:quia vniuerſale attribuitur particulari, vt animal homini. hoc modo ſubſtantia ſubiicitur accidenti.quoniam accidens eſt in ſubſtantia,vt albor in cycno:& ideo eſt ens,quia in ſubſtantia ineſt. quod quidem ſcholaſtico illo axiomate ſignificatur, Accidentis eſſe, eſt ineſſe.

VIII.

Eſt præterea ſubiectum ex quo res conſtat, vt ſtatua ex ære:& ſubiectum circa quod, obiecti quoque nomine ſignificatum, vt ſcibile eſt ſubiectum ſiue obiectum ſcientiæ, ſenſibile ſenſus, intelligibile intellectus. ſed hoc ad præſentem diſputationem non pertinet.

IX.

Differentia eſſentialis, non eſt per ſe in vlla Categoria *a*: ſed reductiuè(vt ſcholaſtici loquuntur)eſt in Categoria ſubſtantiæ, quatenus eſt pars ſpeciei *b*, ac tota ſpecies in ſubſtantiæ Categoria continetur.

a *Categor. cap.5.partic.* 13. b *Porphyr.cap.3.partic.*17.*&* 20.

X.

Multò minùs Deus & cœleſtes Intelligentiæ in vlla Categoria poni debent.

*Sunt enim actus puri & ſimplices,omnis materiæ & potentiæ expertes,de Interpretat.cap.*13 *partic.vlt. & Metaphyſ.lib.*11. *cap.6. in Categoriis autem ea ſola entia collocantur, quæ actum & potentiam participant. Phyſ.lib.* 3.*cap.*1.*partic.*2.*Vnde ſubſtantiæ, & conſequenter Categoriarum principia ſtatuuntur ab Ariſtotele,materia, forma, & priuatio,Metaph. libro* 11. *capite* 5.*quæ Deo & cœleſtibus Intelligentiis non conuenire,certum eſt.*

XI.

Tranſcendentia quæ vocantur,vt ens,bonum,vnum,& ſimilia,latiſſimè ſumpta,non poſſunt aliquâ Categoriâ contineri:ſed per partes in diuerſis Categoriis reperiuntur. verbi gratiâ bonum vel eſt in ſubſtantia,vt mens: vel in quantitate,vt mediocre:vel in qualitate,vt virtus:vel in relatione, vt vtile:&c.

Ethic.Nicomach.lib.1.cap.6.

XII.

His de Categoriis generaliter propoſitis, ſingulas deinceps,vt Logicum decet,*examinemus.

* *Alia eſt Categoriarum conſideratio metaphyſica, quatenus entia ſunt: alia Logica, quatenus alia aliis attribuuntur, & quatenus ſunt ſecundarum notionum fundamenta quædam.*

DE SVBSTANTIA.

XIII.

SVbſtantiæ Categoria diuiditur in primam & ſecundam ſubſtantiam. *Categor.cap.5.partic.1.*

XIV.

Prima ſubſtantia eſt, quæ nec de ſubiecto aliquo dicitur, nec in ſubiecto aliquo eſt: id eſt ſubſtantia indiuidua. Nec refert,vtrùm ſit indiuiduum vagum,vt quidā homo, quidam equus *a*;an ſignatum,vel proprio nomine,vt Socrates,vel circumſcriptione aliqua,vt Sophroniſci filius, ſi vnum filiū Sophroniſc⁹ habeat,ſeu demōſtratione certa,vt hic aduenieſ *b*.

a *Eod.cap.5.part.1.* b *Porphyr.cap.2.partic.9.24.& 38.*

XV.

Secunda ſubſtantia eſt,quæ de ſubiecto dicitur,ſed in ſubiecto non eſt:id eſt ſubſtantia vniuerſalis:nempe ſpecies,quę continent primas ſubſtantias,vt homo, equus:& harum ſpecierum genera,tam proxima,vt animal, quàm remota, vt viuens. *Categor.dicto cap.partic.2.*

XVI.

Prima igitur ſubſtantia eſt omnium rerum quæ in Categoriis ponuntur,ſubiectum.nam ſecundæ ſubſtantiæ de primis dicuntur,& accidentia in eiſdem inſunt.

Eod.cap.partic.5.

XVII.

Conſideratione Logica,qua ſubſtantia ſpectatur vt ſubſtat, indiuiduum eſt magis ſubſtātia,quàm ſpecies:ac ſpecies magis,quàm genus *a*. conſideratione autem metaphyſica, qua ſubſtantiæ ſpectantur vt entia, è contrario genus eſt prius ſpecie,& ſpecies indiuiduo *b*.

a *Eod.cap.Categor.partic.1.2.6.* b *Metaphyſ.lib.7.cap.1.*

XVIII.

Species ſpecialiſſimæ ſi inter ſe conferantur, vt equus & leo:æquè ſunt ſubſtantiæ. *Categor.*

*Categor.d.cap.5.part.*8.

XIX.

Idem dicendum eſt de indiuiduis ſubſtantiis,vt Socrate & Platone. *Eodem c.partic.9.*

XX.

Quoniam ſubſtantia à ſubſtando dicitur,quatenus ſubſtat, non vt ſubiectum attributionis, ſed vt ſubiectum inhærentiæ:idcirco nullum accidens meretur nomen ſubſtantiæ: licèt in accidentium quoque Categoriis,ſpecies generibus,& indiuidua ſpeciebus ſubiiciantur. *Eodem c.partic.*10.*&* 11.

Subſtátiæ proprietates hæ ſunt. Primò non eſt in ſubiecto. Hæc proprietas conuenit quidé omni ſubſtantiæ *a*,atq; adeo etiá ſubſtátiarum partibus,quæ nó ſunt in ſubiecto, ſed in toto *b*:nó tamen ſoli ſubſtantię conuenit,ſed etiá differentiæ *c*.

a *Eodem c.partic.*12. b *Partic.*14. c *Partic.* 13.

XXII.

Secundò,attribuitur ſynonymωs.Hęc proprietas nec omni ſubſtantiæ conuenit,ſed ſecundis tantùm ſubſtantiis:nec ſoli ſubſtátiæ:ſed etiá differentiæ *a*:quin etiam accidentibus *b*.

a *Eodem cap.* 5. *partic.*15. b *In qualibet Categoria genera & ſpecies attribuuntur ſynonymωs:quia dicuntur de ſubiecto,Categor.cap.* 2.*partic.*2. *quæcumque autem de ſubiecto dicuntur, ei attribuuntur ſynonymωs,Categor.cap.* 5.*partic.*2.

XXIII.

Tertiò,prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid, id eſt ré indiuiduam(indiuiduam intellige,quę non diuiditur in partes ſubiectiuas) & vnam numero. ſecunda ſubſtantia ſignificat quale quid æſſentiale *b*. a *Eod.c.partic.*16. b *Partic.*17.

XXIV.

Quartò, nihil eſt ſubſtantiæ contrarium *a*. Non conuenit ſoli ſubſtantiæ,ſed & aliis rebus,vt bicubito & tricubito *b*.

a *Eod.cap.*5.*partic.*18. b *Partic.*19.

XXV.

Quintò,ſubſtantia non contenditur, nec remittitur: id eſt, quælibet ſubſtátia non dicitur magis vel minùs eſſe id quod eſt : vt Socrates non eſt magis homo, quàm Plato *a*. Non conuenit ſoli ſubſtantiæ, ſed etiam quanto, vt circulo, & triangulo *b*.

a *Eod.cap.*5.*partic.*20. b *Categor.cap.6.partic.*25.

XXVI.

Vt alterum altero dicatur magis tale, opus eſt vt vtrumque definitionem talis rei ſuſcipiat, non tamen æqualiter, ſed alterũ magis, alterũ minùs. Quocirca nec homo eſt magis homo quàm equus, cũ equo nõ cõueniat hominis definitio: nec homo magis quàm equus, eſt animal; quoniam vterque animalis definitionem æquè participat: nix autem eſt cãdidior homine: quia magis diſſipat aſpectũ: proinde candoris definitio, id eſt color diſſipans aſpectum, magis ei conuenit, quàm homini.

Categor. cap. 8. partic. 28. & Topic. lib. 3. c. 5. part. c. 11.

XXVII.

Sextò omnis & ſola ſubſtantia poteſt, vna & eadem numero permanens, mutari & contraria ſuſcipere, vt calefieri & refrigerari, vel dealbari & refrigerari.

Categor. cap. 5. partic. 21. & ſequentibus.

DE CATEGORIIS ACCIDENTIVM.

XXVIII.

HVcuſque de Categoria ſubſtantiæ: ſequuntur Categoriæ accidentium. Accidentia duobus modis cõſiderari poſſunt: nempe vel in abſtracto, id eſt ſeiuncta à ſubiecto, vt albor: vel in concreto, id eſt, prout connotãt ſubiectum, vt album. Vtrouis autem modo ſpectentur, ad eandem Categoriam referuntur: eadem namque Categoria eſt quantitatis & quãti, necnon qualitatis, & qualis, itẽ relationis & relatorum.

Hac ratione Ariſtoteles Categor. c. 7. ſimul agit de qualitate & quali, tamquàm de vna Categoria, itaque nos quoque permixtum agemus tam de accidentibus abiunctis, quàm de iis quæ ſpectantur in ſubiecto.

XXIX.

Omnia accidentia ex ſubſtantia, tamquàm ex primo ente, ortum ducunt: ſed alia ex ſola ſubſtantia, alia ex ſubſtãtia & accidente: adeo vt accidentium alia priora, alia poſteriora meritò vocari poſſint.

XXX.

Cùm enim in Categoria ſubſtantiæ poſuerimus eam quæ compoſita eſt ex materia & forma: ex ſubſtantiæ materia oritur Quantitas: ex forma, Qualitas: ex vtriuſque partis mutua collatione & reſpectu, Relatio.

Deinde

XXXI.

Deinde ex ſubſtantia cum tribus illis accidentibus iuncta naſcuntur reliquæ ſex Categoriæ, nimirum ex ſingulis coniunctionibus binæ. Nam ſubſtantia cum quantitate producit Categorias Vbi & Quãdo: videlicèt illam cum loco, hanc cum tempore, quæ ſunt ſpecies quantitatis. Rurſus ſubſtantia cum qualitate parit Categorias Agere & Pati: quia ſubſtantia per qualitatem agit, & patitur: vt per colorem ignis calefacit, aqua calefit. Denique ſubſtantia cum relatione gignit duas Categorias, Situm eſſe, & Habere: quarum illa ex relatione partium corporis inter ſe, hæc ex relatione corporis ad corpus externum.

XXXII.

Cur non addimus vndecimam Categoriam Haberi, quæ diſtinguatur à Categoria Habere, quemadmodum Paſſionem diſtinximus ab Actione? Quoniam Haberi continetur in Categoria ſitus. cùm enim homo habet (exempli causâ) clypeum: clypeus haberi dicitur, quia certo modo poſitus eſt.

Ammonius & Simplicius in Categor. cap. 4. partic. 2.

DISPVTATIO QVINTA.

Reſpondente Vvernero Caſtillioneo Baſilienſi.

DE QVANTITATE.

I.

SATIS dictum eſt de accidentibus in vniuerſum: nunc ſingulas eorum Categorias diſtinctiùs examinemus: & primò Quantitatem, quæ à materia ſubſtantiæ ortum ducit.

II.

Quantum dicitur, quod eſt diuiduum in ea quæ inſunt, quorum vtrumque vel ſingula naturâ apta ſunt eſſe vnum quidpiam & hoc aliquid * vel breuiùs, Quantum eſt accidens, quod per ſe in partes integrantes diuiditur.

* *Metphyſ. lib. 4. cap. 13.*

III.

Diuiditur autem primò in diſcretum & continuum: ſecundò in id quod conſtat ex partibus poſitionem inter ſe habentibus, & id cuius partes hac poſitione carent.

Categor. cap. 6. partic. 1. 10. 19.

IV.

Diſcretum eſt, cuius partes communi termino non copulantur: vt numerus, & ſermo. *Eod. c. part.* 1. 2. 3. 4.

V.

Numerus eſt multitudo ex vnitatibus conſtans *a*. Vnitas autem, cùm ſit indiuidua, non eſt per ſe in hac Categoria, ſed reductiuè *b*, quatenus eſt principium numeri, & in numero continetur.

a *Euclides lib.* 7. *Elementor.* b *Quomodo differentiam retulimus ad Categoriam ſubſtantiæ, diſput.* 4. *the.* 9.

VI.

Sermonis appellatione hoc loco intelligimus tam ſimplices dictiones, vt nomina & verba, quàm orationes. Sed cùm alius ſit ſermo ἐνδιάθετος, alius προφορικὸς, id eſt, alius in mente, alius prolatus *a*: nunc loquimur de ſermone voce prolato. hic enim eſt quanti ſpecies, cùm eum ſyllabâ longâ & breui metiamur: & eſt diſcretus, quia partes eius, ideſt ſyllabæ, nullo communi termino connectuntur *b*.

a *Gal. initio orationis ſuaſoriæ ad artes. Ammo. in Categor. cap.* 6. *part.* 4. b *Dicto cap.* 6. *partic.* 4.

VII.

Continuum eſt, cuius partes communi termino copulantur: vt linea, ſuperficies, corpus, locus, & tempus *a*. Nam punctum non eſt in hac Categoria, niſi reductiuè, vt de vnitate ſuprà diximus *b*.

a *Eo. c. part.* 2. b *The.* 5.

VIII.

Linea eſt quantitas continua, quæ longitudinem habet ſine latitudine & altitudine *a*. Huius partes puncto copulantur. *b*.

a *Euclides lib.* 1. *Element. breuiùs definit, inquiens lineam eſſe* μῆκος ἀπλατὲς, *longitudinem latitudine carentem.* b *Categor. cap.* 6. *part.* 5. *Phyſ. lib.* 4. *cap.* 19. *part.* 14.

Super-

IX.

Superficies eſt quantitas continua longitudine & latitudine prædita, altitudinis expers *a*. Huius partes linea coniũgit *b*.

a *Euclid. lib.* 1. *Element. breuiùs definit, lineam eſſe inquiens*, ὃ μῆκος καὶ πλάτος μόνον ἔχει, *quod tantùm longitudinem & latitudinem habet.*
b *Categor. cap.* 6. *partic.* 6.

X.

Corpus, prout hîc accipitur *a*, eſt quãtitas continua, quæ triplici dimenſione prædita eſt, nimirum longitudine, latitudine, & altitudine. Eius partes lineâ, vel ſuperficie nectuntur *b*.

a *Aliter ſumitur, cùm in ſubſtantiæ Categoria collocatur.* b *Categor. cap.* 6. *partic.* 7.

XI.

Locus eſt receptaculum *a*, quo corpus locatum cõtinetur *b*. Conſtat igitur locum continentem, eſſe continuũ: quia corpus, quod continetur, continuum eſt *c*. a *Phyſ. lib.* 4. *c.* 2. *part.* 6. b *Eod. lib. c.* 6. *partic.* 2. c *Eod. c.* 6. *partic.* 9.

XII.

Tempus ab Ariſtotele *a* definitur numerus motus ſecundũ prius & poſterius *b*. Eſt autem continuum *c*: quia partes eius, præteritum & futurum, nectuntur inſtanti *d*: quod inſtãs non eſt pars temporis *e*, quemadmodum punctum non eſt pars lineæ *f*: ſed principium temporis, vt punctum lineæ *g*: nec eſt in Categoria quantitatis per ſe, ſed reductiuè *h*. a *Phyſ. lib.* 4. *partic.* 17. b *Id eſt affectio illa motus, per quam partes motus numerantur, & priores à poſterioribus ſeiunguntur.* c *Categor. cap.* 6. *part.* 1. *Phyſ. lib.* 4. *cap.* 18. *part.* 1. d *Categor. d. c.* 6. *part.* 8. *Phyſ. lib.* 4. *cap.* 19. *part.* 14.
e *Phyſ. lib.* 4. *cap.* 14. *part.* 4. f *Phyſ. lib.* 4. *cap.* 17. *part.* 6. 7. *& libr.* 6. *c.* 1. *partic.* 1. 2. g *Phyſ. lib.* 4. *cap.* 17. *part.* 5. h *Eadem ratione, qua vnitas & punctum.*

XIII.

Poſitionem partes illę quantorum habere dicuntur, quę alicubi ſitæ ſunt, atque ibi permanent, & communi termino copulantur: vt partes lineæ, ſuperficiei, corporis, loci.
Categor. c. 6. *part.* 11. 12. 13.

XIV.

Poſitionem non habent partes numeri: quia nec ſunt continuæ, nec alicubi ſitæ. *Eod. c. part.* 14.

XV.

Nec partes tẽporis, licèt continuæ ſint, quia nõ permanent, ſiquidem tempus in continuo quodã fluxu conſiſtit. *Ibidem.*

XVI.

Nec partes ſermonis: quia nec permanenta, nec ſunt continuæ *b*. a *Eod.c.6.partic.*15. b *Eod.cap.6.part.4.& ſuprà the.6.*

XVII.

Præter ſeptem quanti ſpecies commemoratas *a*, ſi quæ alia videntur quanta, ſciendum eſt ea non dici quanta per ſe, ſed per accidens, id eſt merito alicuius ex dictis ſpeciebus. vtputà tantum eſt album, quanta eſt ſuperficies: & tam longa actio, quàm longum eſt tempus quo res fit *b*.

a *Th.4.& 7.* b *Dicto cap.6.partic.*18.

XVIII.

Graue & leue ſecundũ eſſentiam non ſunt quanta, ſed qualia *a*. ad quãta autem per ſe dicta referũtur, quatenus ſunt eorum affectiones quædam *b*. a *Simplic.d.c.6.* b *Metaph.lib.4.c.*13.

XIX.

Similis ratio eſt magni & parui, nec non multi & pauci. nam ſecundum eſſentiam non ſunt quanta, ſed relata *a*: quãtorum autem affectiones quædam ſunt *b*.

a *Categor.c.6.part.*20. b *Metaphyſ.lib.4.cap.*13.

XX.

Non probamus igitur diuiſionem illam Architæ à Simplicio relatam*: *Τῆς ποσότητος διαφοραὶ τρεῖς· τὸ μὲν γὰρ αὐτᾶς, ἐν τινὶ ἐν ῥοπᾷ, ὡς τὸ τάλαντον· τὸ δὲ, ἐν μεγέθει, ὡς τὸ δίπηχυ· τὸ δὲ, ἐν πλάτει, ὡς τὰ δέκα.* id eſt, Quantitatis differentię (ſunt) tres: partim enim conſiſtit in momento, vt libra: partim in magnitudine, vt bicubitum: partim in multitudine, vt decem. * *Categor.cap.6.*

XXI.

Quanti proprietates hæc ſunt. Primò nihil habet contrarium *a*. Hæc proprietas etſi nõ ſoli *b*, tamen omni quanto cõuenit. Nam magnum & paruum, vel multum & paucum, neque ſunt quanta *c*, neque inter ſe contraria *d*. ſimiliter in loco non eſt contrarietas, vt in loco ſupero & infero. Atqui hæc maximè inter ſe diſtant: ac contraria definiuntur, Quę, cùm ſint in eodem genere, plurimùm inter ſe diſtant *e*. Sed alia eſt loci, alia contrariorum diſtantia *f*.

a *Categor.d.c.6.part.*18. b *Quia conuenit etiam ſubſtantiæ, vt dictum eſt ſup. diſput.3.part.*24. c. *Eodem cap.6.part.*20.21.
d *Eod.c.6.part.*22.23. e *Eod.c.6.part.*24. f *Contraria, ſiue ſibi inuicem propinqua, ſiue in locis remotis poſita ſint, æquè ſunt contraria.*

nam

nam contraria propter qualitatis, non propter loci diſtantiam dicuntur.

XXII.

Secundò quantum non contenditur, nec remittitur. Hæc proprietas conuenit omni *a*, non tamen ſoli quãto, ſed etiam ſubſtantiæ *b*. a *Dicto cap.6.part.* 25. b *Categ.c.5.part.*18.

XXIII.

Tertiò omne & ſolum quantum dicitur æquale, vel inæquale. Qualia verò non dicuntur æqualia & inæqualia, ſed ſimilia vel diſſimilia. *Categor. dicto c. 6.part.26.*

DE QVALITATE.

XXIV.

QValitas eſt, à qua dicuntur qualia *a*, vel paronymως, vt à grammatica grãmaticus *b*: vel homonymως, vt à grammatica arte grammatica mulier *c*: vel alio modo *d*: quandoque enim qualitati, à qua dicitur quale, non eſt nomen impoſitum, vt naturali facultati, à qua dicitur palæſtricus *e*: interdum cùm ei facultati nomen poſitum eſt, tamen quale aliunde accipit appellationem: vt ὁ σπουδαῖος, ſi rem ſpectes, dicitur ἀπὸ τῆς ἀρετῆς: ſi vocem, ἀπὸ τῆς σπουδῆς *f*.

a *Categor.c.*8.*part.*1. b *Eodem cap.part.* 18.19. c *Cùm enim nomen prorſus idem ſit, non poteſt eſſe paronymia, ſed potiùs ſynonymia.* d *Dicto c.*8.*part.*18. e *Eod.c.*8.*partic.*20. f *Eodem cap.*8.*partic.*21.

XXV.

Qualitatis ſpecies quatuor ſunt *a*. Prima eſt habitus & affectio, à qua dicuntur qualia eſſe habitu prædita, vel eſſe certo modo affecta. Eadem enim ſpecies qualitatis, vt ſcientia, ſi facilè interire poſſit ſaluo ſubiecto, vocatur affectio, ſiue (vt vulgò) diſpoſitio, Græcè διάθεσις: ſi verò firmiter in ſubiecto inhæreat, vt vel nullo modo, vel non facilè ſubiectum eâ priuari poſſit, habitus nominatur *b*.

a *Eod.cap.*8.*part.*2. b *Eod.c.part.*3.4. 5.

XXVI.

Omnis igitur habitus eſt affectio quædam: ſed non contrà omnis affectio eſt habitus. *Eodem cap.*8.*part.6.*

XXVII.

Hæc qualitas eſt aduentitia, & animantium propria. Ac vel eſt in corpore, vt ſanitas: vel in anima, vt ſcientia.

Zabarella in tabulis Logicis.

XXVIII.

Secunda ſpecies eſt naturalis facultas & imbecillitas: cuius ratione res dicitur naturâ apta vel inepta eſſe ad aliquid faciendum, vel patiendum. Vt valetudinarius difficulter poteſt bene valere, facilè poteſt ægrotare. durum, vt ſecetur, naturalem impotentiam: vt ſecanti reſiſtat, naturalem potentiam habet. contrà molle poteſt facilè ſecari, non facilè reſiſtere ſecanti. *Categor. cap. 8. part. 7.*

XXIX.

Hæc conuenit tam rebus animatis, vt eſſe pugilarem, aut valetudinarium, quam inanimatis, vt durum & molle. *Dicta part. 7. Zabar. dicto loco.*

XXX.

Tertia ſpecies eſt patibilis qualitas: id eſt, quæ à paſſione oritur, vt color: vel ſaltem paſſione afficit ſenſum, vt dulcedo & amaror guſtum. *Eod. c. 8. part* 8. 9. 10. 11.

XXXI.

Non eſt tamen patibilis qualitas, ſed paſſio, ſi facilè amoueri poſſit, vt rubor ex pudore, aut pallor ex metu. *Eod. c. part.* 12. 13.

XXXII.

Hæc qualitas aut eſt naturalis, vt naturalis pallor, vel amētia: aut aduentitia, vt pallor vel amētia ex morbo. Rurſus vel eſt in re animata, vt amentia in homine: vel in re inanimata, vt dulcedo in melle. Denique vel eſt in anima, vt amētia: vel in corpore, vt rubor, pallor, dulce, amarum. *Eod. cap. 8. part.* 10. 11. 13. *Zab. dicto loco.*

XXXIII.

Quarta ſpecies eſt figura, ſiue externa rei forma, vt figura quadrata, vel circularis, rectitudo, obliquitas, &c. *Eod. c. 8. part.* 14.

XXXIV.

Rarum autem, & denſum: necnon aſperum, & læue, non ad hanc, ſed ad Categoriam ſitus pertinent: quia partium quandam diſpoſitionem ſiue inter ſe relationem ſignificant. *Eod cap. 8. part.* 15.

XXXV.

In hac Categoria inſunt hæ proprietates. Primò contrarietas, vt inter iuſtitiam & iniuſtitiam, & inter iuſtum atque iniuſtum *a*. Quædam tamen per ſe non habent contrarium: vt fuſcum, & pallidum *b*: vt quadratum, vel circulus.

a *Eod. c. 8. part.* 24. b *Media duobus contrariis interiecta, vt rubrum* aut

aut viride albo & nigro, nõ habent contrarium per ſe, Categor.c.8 part. 25. alioquin plura eſſent vni contraria contra axioma Ariſtotelicum, Vnum vni eſt contrarium. aliqua tamen ratione, quatenus ex contrariis conſtant, vel contraria participant, contrarium habere dicuntur: vt viride, quatenus aliquid albi in ſe habet, nigro: quatenus aliquid nigri continet, albo contrarium eſt. vide Phyſic. lib.5. c.1. & Ethic. lib. 2. c.8. & Magnor. Moralium lib.1. cap.9.

XXXVI.

Secundò ſi contrariorum alterum ſit in hac Categoria, vt iuſtũ: neceſſe eſt, alterum quoque in eadẽ reperiri, vt iniuſtũ. *Categ. c.8. partic.25.*

XXXVII.

Tertiò huic Categoriæ conuenit contentio & remiſſio: vt cùm dicitur magis vel minùs album *a*. Hæc proprietas magis conuenit quali, quàm qualitati: neque enim dicitur eſſe magis vel minus grammatica, vel iuſtitia: vt dicitur magis vel minùs grammaticus, vel iuſtus *b* Nec tamen omni quali conuenit: ſiquidem magis & minùs circulus, vel magis & minùs triangulum dici nequit *c*.

a *Eod. c.8. part.26.* b *Eod. cap. part.27.* c *Eod. cap. part.28.*

XXXVIII.

Quartò huius Categoriæ propria eſt ſimilitudo & diſſimilitudo. nam ratione ſolius qualitatis dicitur aliquid ſimile vel diſſimile. *Eod. cap. partic.30.*

DISPVTATIO SEXTA.

Reſpondente Paulo Pontano Allobroge.

DE RELATIS.

I.

QVEMADMODVM quantitas & quantum, vel qualitas & quale: ita etiam relatio & relata ſunt in eadem Categoria. Nam relatio eſt mutuus relatorum reſpectus: relata verò ſunt termini, inter quos eſt relatio. relata namque dicimus, quæ à Græcis *τὰ πρός τι*, id eſt ad aliquid, appellantur.

I I.

Horum terminorum, is, à quo relatio incipit, fundamentum relationis appellatur: alter in quo relatio deſinit, correlatiuum nominatur. Veluti cùm pater dicitur filij pater: tunc pater eſt fundamentum, filius eſt correlatiuum. contrà cùm filius dicitur patris filius: tunc filius eſt fundamentum, pater eſt correlatiuum.

I I I.

Ex dictis colligitur, accidẽs non ratione ſubiecti in quo ineſt, (alioquin omnia accidẽtia in hac Categoria collocarentur) ſed ratione termini ad quẽ refertur, inter relata cõnumerari. vtputà pater in relatorum numero eſt, non quatenus homini attribuitur, ſiue in homine ineſt, ſed quatenus ad filium refertur.

Metaphyſ. lib. 4. cap. 15. IV.

Interdùm vnum eſt relatorum nomen: vt ſocius eſt ſocij ſocius, & cognatus eſt cognati cognatus. quandoque duo ſũt nomina: vt pater eſt filij pater, & dominus eſt ſerui dominus.

V.

Relatio modò vnũ à relatis nomẽ accipit, vt à ſociis dicitur ſocietas, à cognatis cognatio: modò duo nomina, vt à domino & ſeruo dominiũ & ſeruit⁹ appellatur: modò per ſe nomẽ habet, nõ à relatis ductũ, vt matrimoniũ eſt relatio inter virum & vxorem: modò nomine caret, vt inter patrem & filiũ. ſed noſtri philoſophicâ libertate nomina, vbi deſiderantur, fingere ſolent *; putà paternitatem & filiationẽ nominantes.

* *Categor. c. 7. part.* 11. 12. V I.

His generaliter propoſitis, quò magis appareat quęnam ad hanc Categoriam referantur, vel ab ea excludantur, notandæ ſunt quædam relationis & relatorum diſtinctiones.

V I I.

Primò relatio vel eſt realis, quæ re ipsâ extra intellectum conſiſtit, vt inter patrem & filium: vel rationis, quæ tãtùm in intellectu conſiſtit, vt inter genus & ſpeciem *a*. ſed in Categoria ponitur tãtùm realis relatio: quoniam Ens, quod in decem Categorias diuiditur, nõ eſt ens rationis, ſed ens reale *b*.

a *Metaph. lib. 11. contex. 19. & ibi Auerroës.* b *Metaph. lib. 5. c. 2.*

V I I I.

Secundò duplex eſt relatio: altera vnius rationis, quã Ammonius *καθ' ὁμωνυμίαν*, ſcholaſtici ęquiparãtiæ relationẽ appel lant,

lát,vt ſocietas:alia multiplicis rationis,quã ille καθ' ἐπιγονίαν, hi diſquiparantiæ relationem vocant, vt dominium & ſeruitus.Harum vtraque ad hanc Categoriam pertinet.

IX.

Tertiò quædam per ſe dicuntur ad aliquid,vt pater & filius: nonnulla ratione eorum à quibus ſuſcipiuntur,& quæ ab eis denominantur, vt ſocietas dicitur ad aliquid, quia ſocius ad ſocium refertur,& dominium dicitur ad aliquid,quia dominus ad ſeruum refertur:alia,ratione generis:vt grammatica,quæ eſt ſpecies ſcientiæ,dicitur ad aliquid referri,quia dicitur eſſe alicuius ſcientia:reliqua,per accidens, vt album dicitur ad aliquid,quatenus cum alio comparatur,cuius dicitur (exempli causâ)eſſe duplum,vel triplum *a*. Ex his quatuor relatorum generibus, primum & ſecundum omnino ad hanc Categoriam reducuntur *b*: tertium aliquo modo *c*. quartum minimè *d*. a *Metaphyſ.lib.4.cap.15.* b *Sup.the.1.* c *Categor.cap.8.partic.34.* d *Argum.cap.6.Categor.partic.17.*

X.

Quintò relata conſiderantur vel ſecundum dici,vel ſecundum eſſe. quæ hoc modo ſunt relata, etiam illo modo referuntur.ſed non reciprocatur:ſunt enim quædam relata tantùm ſecundum dici : atque hæc primò & per ſe ſunt in alia Categoria:deinde , quatenus cum aliis conferuntur , aliquo modo relatis accenſentur : vt ſcientia per ſe conſiderata , eſt ſpecies qualitatis:ſed quatenus cum ſcibili confertur , & ſcibilis rei ſcientia dicitur, aliquo modo in relatis numeratur. Immo & pars ſecundæ ſubſtantiæ hoc modo ad aliquid refertur:vt caput dicitur alicuius caput,& manus dicitur alicuius manus. *Categ.cap.8.part.22.*

XI.

Relata ſecundum dici definiuntur , Quæcumque id quod ſunt,aliorum eſſe dicuntur,vel quocumque alio modo ad aliud referuntur *a*. id eſt,vel referuntur in patrio caſu,vt ſcientia eſt rei ſcibilis ſcientia *b*: vel in dandi caſu,vt æquale eſt æquali æquale:vel in accuſandi caſu,vt diligens dilectum diligit:vel in ſexto caſu ſine præpoſitione , vt maius eſt minore maius : vel in ſexto caſu cum præpoſitione , vt verberatus à verberante verberatur:vel in nullo caſu, vt magnum dicitur reſpectu parui *c*.

a *Categor.cap.7.partic.*1. b *Eod.cap.partic.*2. c *Categ.cap.6.part.* 20.*&* *cap.7.part.*3.

XII.

Horum relatorum proprietates quatuor ab Ariſtotele traduntur.Primò ſuſcipiunt contrarietatem. contraria namque ſunt(exempli gratiâ)virtus & vitium,necnon ſciẽtia & ignorãtia *a*.Hęc proprietas nõ cõuenit duplo,dimidio,multiſque alijs relatis *b*. immo ei quod verè ac re ipſa in relatorum numero eſt,ſeu relato quatenus eſt relatum, nihil poteſt eſſe contrarium *c*.Præterea non conuenit ſolis relatis, ſed etiam alijs rebus,vt qualitati & quali:putà ſanitati & morbo, necnon ſano & ęgroto *d*:item actioni & paſſioni,vt calefactioni & refrigerationi *e*. a *Categor. cap.7.partic.*5. b *Eod. cap. partic.*6. c *Categor.cap.6.partic.*22. d *Categor.cap.*8.*partic.*23. e *Categoriar.cap.9. partic.*1.*&*2.

XIII.

Secundò contenduntur & remittuntur: vt ſimile vel diſſimile magis & minùs dicitur *a*.Hæc proprietas neque omnibus relatis conuenit,ſiquidem non dicitur magis vel minùs duplum,vel dimidium,& id genus cetera *b*:neque ſolis relatis,ſed etiam aliis Categoriis,vt qualitati & quali *c*, & actioni & paſſioni *d*. a *Categor. cap.* 7. *part.* 7. b *Eod. cap.partic.* 8. c *Categor. cap.*8.*partic.*26. d *Categor. cap.* 9. *partic.*1. *&* 3.

XIV.

Tertiò referuntur ad ea quæ reciprocantur:id eſt, quæ inuicem referuntur vel in eodem caſu,vt dominus dicitur ſerui dominus & ſeruus dicitur domini ſeruus, vel in diuerſis caſibus,vt ſcientia dicitur τῦ ſcibilis ſcientia,& ſcibile dicitur ſcientiâ ſcibile. *Categor.cap.7.partic.9.*

XV.

Sed vt reciprocationi locus ſit,verum correlatiuum ſumere oportet.vt ala eſt alati ala,& alatum eſt alâ alatum. nam ſi dicatur ala eſſe auis ala,non reciprocabitur. *Eod.cap.7.part.*10.13.

XVI.

Quod igitur eſt verum correlatiuum?Id.quo poſito etiam ceteris demptis,relatio ponitur:ſublato,etiam ceteris poſitis, relatio tollitur.verbi gratiâ, idem eſt homo, albus, muſicus, dominus:ſerui autem ad eum relatio conſiſtet,ſi ponatur eſſe dominus,licèt nec homo,nec albus, nec muſicus eſſe ponatur:

tur: eadem relatio tolletur, ſi ponatur non eſſe dominus, quã-uis ponatur eſſe homo & albus & muſicus. ergo ſerui correlatiuum non eſt homo, vel albus, vel muſicus, ſed dominus.

*Eod.cap.7.partic.*14.15.

XVII.

Quid ſi correlatiuum nomine careat? Fingendum nomen erit, ita vt à relationis fundamento correlatiuum denominetur: vtputà temo eſt temonati temo. nam ſi dicatur temo nauigij temo, non reciprocabitur. *Eod.cap.7.partic.*11.12.

XVIII.

Non tamen ſola relata reciprocantur: quandoquidem reciprocantur etiam definitio cum definito, & proprium cum ſpecie cuius eſt proprium.

Porphyr.c.4.partic.6.Ariſt.Topic.lib.5.c.cap.4.part.4.& lib.6.c.3.

XIX.

Quartò ſunt ſimul naturâ *a*. Hæc proprietas non conuenit omnibus ſecundum dici relatis: nam ſcientia eſt prior ſcibili, & ſenſus eſt prior ſenſibili *b*. Præterea non conuenit ſolis relatis, ſed etiam iis quæ in generis diuiſione ſibi inuicem opponuntur, vt animali terreſtri & volucri *c*.

a *Categor.c.7.partic.*17. b *Eod.c.part.*18.19.20.21.
c *Categor.cap.*13.*partic.*5.

XX.

Relata ſecundum eſſe definiuntur, Quorum eſſentia nihil aliud eſt, quàm ad aliquid modo quopiam eſſe affectum.

*Categ.c.7.part.*24.

XXI.

Horum relatorum duas proprietates Ariſtoteles declarat. Primò id ipſum quod ſunt aliorum eſſe dicuntur *a* Atqui hęc eſt definitio relatorum ſecundum dici. Sed iã monuimus, ea quæ ſunt relata ſecundum eſſe, etiã referri ſecundum dici *b*.

a *Eod.cap.7.partic.*25. b *Sup.the.*10.

XXII.

Secundò, Non poteſt alterum relatum ſine altero liquidò ac definitè cognoſci: nam quicumque liquidò ac definitè certáque ſcientiâ nouit (exempli cauſâ) eſſe duplum, eodem modo nouit cuius ſit duplum.

*Eod.cap.7.partic.*26.27.

DE ACTIONE.

XXIII.

Actio eſt,ſecundum quam agens in id quod ſubiicitur agere dicitur.vt ſecans agit in lignum, quod ſecat:& ignis in aquam,quam calefacit. *Gilbertus Porretanus c.2.*

XXIV.

Diuiditur in actionem ſpecialiter acceptam & effectionem:quarum illa non relinquit poſt ſe opus aliquod,vt actio ſecundum virtutem:hæc poſt ſe opus relinquit,vt ædificatio domum. *Ethicor.6.cap.4.& 5.*

XXV.

Rurſus diuiditur in immanentem & tranſeuntem. Immanens eſt,quæ non tranſit in externam materiam,vt contemplatio.Tranſiens,quę ab agente in externam materiam tranſit, vt calefactio ab igne calefaciente tranſit in aquam quæ calefit.

XXVI.

Præterea alia eſt ſimplex emanatio ſine motu,vt illuminatio aëris à Sole,& creatio mundi ex nihilo: alia eſt cum motu,vt ædificatio,ſciſſio,& pleræque aliæ.

XXVII.

Proprietates actionis hæ ſunt. Primò ſuſcipit contrarietatem,vt calefactio & refrigeratio.Secundò contenditur & remittitur:vtputà calefaciens magis vel minùs calefacit *a*.Tertiò infert paſſionem.exempli cauſâ ſi ignis calefacit, neceſſe eſt aliquid calefieri *b*.Hęc proprietas ſoli & omni actioni,reliquæ etiam aliis conueniunt *c*.

a *Categor.c.9.partic.1.& 3.* b *Gilber.Porreta cap.2.* c *Vt qualitati & quali.ſuprà diſput.5.the.35.36.& paſſioni, infrà the.28.*

DE PASSIONE.

XXVIII.

Paſſio à Gilberto * definitur Effectus illatióque actionis. Nos ita definire malumus,Paſſio eſt, ſecundum quã ſubiectum ab agente dicitur pati. Quemadmodum enim actio eſt in agẽte,ita paſſio eſt in patiẽte,quod agẽtis actũ ſuſcipit.

* *Cap.3.*

XXIX.

Proprietates paſſionis hæ ſunt. Primò ſuſcipit contrarietatem.nam calefieri & refrigerari ſunt contraria. Secundò cõtẽditur & remittitur:vtputà magis vel minùs calefit aliquid, aut

aut refrigeratur *a*. Tertiò infert actionem. verbi gratiâ, non poteſt aliquid calefieri niſi aliquid calefaciat. Ex his proprietatibus ſola vltima ſoli & omni paſſioni conuenit *b*.

a *Categor.c.9.part.1.& 2.* b *Vide ſup.the.26.*

DE SITV.

XXX.

Situs eſt partium corporis poſitio, ſecundum quam certo modo vel à natura, vel ex accidenti ſunt conſtitutæ. Exempli causâ, natura partes animalium ita diſpoſuit, vt caput ſupremo loco eſſet, pedes infimo: ſed ex accidenti variæ ſunt poſitiones, vt recubatio, ſeſſio, &c.

XXXI.

Situs neque contrarietatem admittit, neque contenditur, aut remittitur. Maximè autem proprium eius eſt ordinare partes corporis. *Gilber.cap.6.*

DE CATEGORIA QVANDO.

XXXII.

Quando eſt, ſecundum quod res dicitur eſſe in tempore: vt heri, nudiustertius, cras, perendie.

XXXIII.

Conuenit igitur ſolis rebus ortui & interitui obnoxiis, non æternis, quæ non in tempore, ſed in æuo eſſe dicuntur. Differt autem æuum à tempore, vt res indiuidua & permanens à re diuidua & fluente. XXXIV.

Hæc Categoria neque contrarietatem recipit, neque contentionem aut remiſſionem *. ſed maximè proprium eius eſt ſignificare quo tempore res ſit. * *Gilber.cap.4.*

DE CATEGORIA VBI.

XXXV.

Vbi eſt, ſecundũ quod res dicitur eſſe in loco. vel, vt Gilbertus definit *a*, circumſcriptio corporis à circumſcriptione loci proueniẽs. Nã quod per ſe in loco eſt, corpus eſt *b*.

a *Gilber.c.5.* b *Phyſ.lib.4.cap.6.partic.24.& c.7.partic.7.*

XXXVI.

Vbi nec cõtrariũ quicquã habet, nec cõtenditur aut remittitur *, Maximè aũt propriũ eius eſt explicare quo loco res ſit.

* *Gilber.dicto c.5.*

DE CATEGORIA HABERE.

XXXVII.

Habitus eſt vocabulum homonymum, quod modò ſumitur pro ſpecie quadam qualitatis *a*, modò pro relatione ſeu reſpectu quodam *b*, modò pro vna ex decem Categoriis *c*. a *Categ.c.*8.*partic.*3. b *Vt apud Porphyr.c.*2.*part.*25.26. 27. c *Vt hoc loco.*

XXXVIII.

In hac poſtrema ſignificatione Habitus definitur Corporum & eorum quæ circa corpus ſunt adiacentia. *Gilber.c.*7.

XXXIX.

Ac vel refertur ad totum corpus, vt indutum eſſe: vel ad partem, vt habere anulum in digito. *Categ.c.vlt.partic.*4.*&* 5.

XL.

Contrarietatem non recipit. nam nudus veſtito, & inermis armato opponitur vt priuatio habitui, non vt contrariú contrario. Intenditur autem & remittitur: quoniam alius eſt alio magis vel minùs indutus, aut armatus *. Sed maximè proprium huius Categoriæ eſt, ordinare duo corpora ſibi inuicẽ externa, id eſt, quod habet, & quod habetur. * *Gilber. d.cap.*7.

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE HIS QVÆ CATEGORIIS ACCIDVNT.

Reſpondente Georgio Friderico Paſtorio Palatino.

I.

Categoriis accidunt, oppoſitio, eſſe priùs vel poſteriùs vel ſimul, motus, & habere.

DE OPPOSITIS.

II.

Oppoſitionis genera quatuor ſunt, relatio, contrarietas, priuatio & habitus, contradictio.

*Categor.cap.*10.*partic.*2.

Rela-

III.

Relatio eſt relatorum oppoſitio. Relata id ipſum quod sũt, aliorum eſſe dicuntur, vt ſcientia & ſcibile. & quæ omnino ſunt relata, non tantùm aliorum eſſe dicuntur, ſed etiam in relatione ad alia ſuam eſſentiam conſtitutam habent, veluti duplum & dimidium *a*: vt ſuprà dictum fuit *b*.

a *Eod.cap.*10.*partic.*24. b *Diſputat.*6.

IV.

Contrarietas eſt contrariorum oppoſitio. Contraria ſunt, quę in eodem genere poſita, plurimùm inter ſe diſtant: vt album & nigrum. *Categor.cap.*6.*partic.*24.

V.

Contrariorum alia medio carent, quorum alterutrum neceſſe eſt in ſubiecto ad recipiendum apto ineſſe, vt ſanitas vel morbus in animali, par vel impar in numero *a*: alia medium habent, quorum vtrumque poteſt abeſſe à ſubiecto, vt corpus poteſt eſſe nec album nec nigrum, ſed rubeum, aut viride *b*: niſi vnum tantùm in ſubiecto recipi poſſit, vt ignis ſemper eſt calidus, & nix ſemper eſt alba *c*.

a *Categor.cap.*10.*partic.*6.8. b *Eod.cap.*10.*partic.*7.9.
c *Eod.cap.partic.* 19.

VI.

Medium contrariis interiicitur vel per participationem extremorum, vt medij colores conſtant ex albo & nigro: vel per negationem extremorum, vt quod eſt iuſto & iniuſto, ſeu bono & malo interiectum. Illud ſolet habere nomen, vt rubeum, viride: hoc plerumque nomine caret: ideóque negatione extremorum circumſcribi ſolet: vt quod nec eſt iuſtum nec iniuſtum *a*. Interdum tamen facilioris doctrinæ causâ nomina finguntur, vel ab alia ſignificatione ad hanc transferuntur: vt cùm ἀδιάφορον, quod ſimile ſignificat *b*, ei tribuitur quod bono & malo eſt interiectum *c*.

a *Eod.cap.*19.*partic.*9.10. b *Rhetor.lib.*1.*cap.*12.
c *Gellius lib.*2.*c.*7.

VII.

Rurſus contraria vel ſunt ſimplicia, vt album & nigrum, iuſtum & iniuſtum: vel connexa, vt omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus, item, Socrates valet, Socrates ægrotat.

*Dicto c.*10.*partic.*22.23.

VIII.

Priuatio & habitus in eodem ſubiecto ſpectantur. Vt enim

aliquid dicatur priuatum eſſe, tria requiruntur. Primò opus eſt, ſubiectum ſit aptum ad recipiendum habitum: qua ratione homo dicitur cæcus, lapis nõ dicitur cæcus. Secundò, priuatio debet eſſe in ea parte, in qua habitꝰ ineſſe poteſt. proinde homo dicitur cæcus, ſi oculis captus ſit, non eò quòd pedibus non videt. Tertiò, tunc temporis dicitur eſſe priuatum, cùm poteſt eſſe habitu præditum: vt catulus demum poſt nonum diem cæcus dici poteſt.

Categ.c.10.partic.11.12. IX.

Ab habitu ad priuationem ita demum eſt tranſitus, ſi ſubiectum tam priuationis quàm habitus ſit capax. vt homo poteſt ex vidente fieri cæcus, & ex dentato edentulus. cœlum autem ſemper mouetur, nec poteſt quieſcere.

X.

A priuatione ad habitum negat Ariſtoteles *a* regreſſum eſſe. Nos cum Toleto *b* hanc regulam admittimus *c*, vbi priuatio tam potentiam quàm actum, non vbi ſolum actum tollit. Nam caluus comam non recipit, & edentulus dentes non emittit: ſed oblitus poteſt ſcientiam recipere, & aër lumen ac tenebras viciſſim recipit.

a *Categor.cap.10.partic.20.* b *Tolet.in quæſtione, Num à priuatione ad habitum poßit eſſe regreſſus, ad Categoriarum caput de oppoſitis.*
c *In digreßione comment.ad lib.3.de anima, cap.6.part.vlt.*

XI.

Contradictio eſt oppoſitio inter affirmationem & negationem eiuſdem attributi de eodẽ ſubiecto: vt Socrates currit, Socrates non currit. *De interpret.c.6.partic.4.& 5.*

XII.

Proprium huius oppoſitionis eſt, vt ſemper altera pars ſit vera, altera falſa: vt, omnis homo eſt iuſtus, non omnis homo eſt iuſtus: Socrates eſt iuſtus, Socrates non eſt iuſtus. Excipiũtur enunciationes indefinitæ, quæ poſſunt eſſe ſimul veræ: vt, homo eſt albus, homo non eſt albus *a*. Sed de his poſteriùs *b*.

a *De interpr.cap.7.* b *Diſputatione ſequenti.*

DE REGVLIS CONTRARIORVM.

XIII.

REgulæ cõtrariorum hæ ſunt. Primò, Quicquid eſt bono contrarium, eſt malum: vt morbus, qui eſt contrarius ſanitati:

ſanitati:& iniuſtitia,quæ eſt contraria iuſtitiæ.

*Categor.cap.*11.*part.*1. XIV.

Secundò,Quod malo eſt cōtrarium,vel eſt bonum,vel malum:(vt iniuſtitiæ,quæ eſt mala,*a* opponitur iuſtiria, quæ eſt bona:& auaritiæ,quæ eſt mala,opponitur profuſio,quæ ſimiliter eſt mala)ſed plerumque eſt malum.

*Eod.cap.*11.*partic.*2. XV.

Tertiò,Vnum contrarium ſine alrero eſſe poteſt: vt bona Socratis valetudo eſt ſine morbo Socratis.

*Eod.cap.partic.*3.4. XVI.

Quartò,Contrariorum ſubiectum vel eſt idem genere, vel ſpecie.verbi gratiâ albor,& nigror ſunt in corpore, quod eſt genus:iuſtitia autē & iniuſtitia sūt in hōmine,qui eſt ſpecies.

*Eod cap.*11.*partic.*5.

XVII.

Quintò, Conrraria vel continentur ſub eodem genere, vt album & nigrum ſub colore:vel ſub contrariis generibus, vt iuſtitia ſub virtute,iniuſtitia ſub vitio: vel ſunt contraria genera,vt bonum & malum. *Eod.cap.*11.*partic.*6.

DE PRIORI.

XVIII.

PRius dicitur tribus modis.Primò,rempore:vt bellū Troianum eſt prius Carthaginēſi,& Romulus prior Cæſare.

*Categor.cap.*12.*partic.*2.

XIX.

Secundò,naturâ.Dicitur autem naturâ prius,vel quod non reciprocatur ſecundum exiſtendi conſecutionem: (vt duo ſunt priora tribus:quia ſi ſunt tria, neceſſe eſt duo eſſe: non contrà ſi duo ſunt, neceſſe eſt tria eſſe *a.* vel quod eſt melius & præſtantius, (vt rectum eſt prius obliquo, & virtus vitio. *b* hac ratione genus eſt prius ſpecie,putà animal homine: quia ſi eſt homo,neceſſe eſt vt ſit animal:non contrà, ſi ſit animal, neceſſe eſt vt ſit homo, cùm poſſit eſſe equus, aut bos *c*) vel quod eſt cauſa alrerius:vt veritas rei eſt prior verirate orationis.verbi gratiâ,hæc oratio,Socrares eſt philoſophus,ideo eſt vera,quia re ipſa Socrares eſt philoſophus:ergo Socrarem eſſe philoſophum,prius eſt,quàm veritas illius orationis dicentis Socratem eſſe philoſophum *d.*

a *Eodem.cap.12.partic.3.* b *Eod.cap.part.5.* c *Categor.cap.13.partic.4.* d *Dicto cap.12.partic.6.* XX.

Tertiò, ordine: vt proœmium eſt prius narratione, narratio confirmatione, confirmatio epilogo.

Eod.cap.12.partic.4.

DE MODIS SIMVL.

XXI.

Simul eſſe aliqua dicuntur duobus modis: Primò, tempore, id eſt, quæ eodem tempore orta ſunt.

Categor.cap.13.partic.1.5. XXII.

Secundò, naturâ: nempe quæ cùm reciprocentur ſecundum exiſtendi conſecutionem, neutrum eſt cauſa alterius: vt duplum & dimidium *a*: & quæ in eadem generis alicuius diuiſione ponuntur: vt rationale & irrationale, quibus animal diuiditur *b*.

a *Eod.cap.partic.2.* b *Eod.cap.partic.3.5.*

DE MOTV.

XXIII.

Motus eſt, ſecundum quem res mobilis à mouente moueri dicitur.

Phyſ.lib.3.cap.1.partic.7.8.9.& cap.3.

XXIV.

Eſt autem vel in ſubſtãtia, vel in quãtitate, vel in qualitate, vel in Categoria vbi *a*. In ſubſtãtia ſunt ortus & interitus: in quãtitate auctio & deminutio: in qualitate variatio: in vbi, loci mutatio *b*. Ex his, ortus & interitus, nõ dicũtur propriè motus, ſed mutationes: reliqui propriè motus appellantur *c*.

a *Phyſ.lib.3.cap.1.partic.4.* b *Phyſ.lib.5.cap.3.partic.11.12.13.* *Categor.cap.14.part.1.* c *Phyſ.lib.5.cap.3.*

XXV.

Ortus eſt mutatio in ſubſtantia à non eſſe *a*. contrà interitus eſt mutatio in ſubſtantia ab eſſe ad non eſſe *b*.

a *Phyſ.lib.5.cap.3.partic.3.* b *Eod.cap.3.partic.4.*

XXVI.

Auctio eſt motus à minori quantitate ad maiorem. Contrà deminutio eſt motus à maiori quantitate ad minorem.

Dicto

Dicto cap.5.partic.12.

XXVII.

Variatio eſt motus in qualitate, id eſt à qualitate aliqua in contrariam qualitatem. ſic dealbatio eſt motus à nigrore ad alborem: & denigratio eſt motus ab albore ad nigrorem.

Categor.cap.14.partic.vlt.

XXVIII.

Loci mutatio, quæ ab Ariſtotele vocatur latio *a*, eſt motus à loco ad locum vt adſcenſus eſt motus à loco infero ad ſuperum: deſcenſus autem eſt motus à loco ſupero ad inferũ *b*.

a *Phyſ.lib.5.cap.3.partic.13.* b *Categ.cap.14.partic.6.*

XXIX.

Motui opponitur priuatiuè quies: contrariè motus contrarius: vt ortui interitus, auctioni deminutio, dealbationi denigratio, adſcenſui deſcenſus.

Categor.cap.14.part.6.7.Phyſ.lib.5.cap.7.8.9.

DE VERBO HABERE.

XXX.

Habere pertinet ad diuerſas Categorias, nam vel dicitur aliquid habere Subſtantiam, vt animam: vel quantitatem, vt magnitudinem duorum triúmve cubitorum: vel qualitatem, vt virtutem, aut ſcientiam: vel relatum, vt maritum, vxorem, fratrem: vel hoc verbum, Habere, pertinet ad Categoriam vbi, vt cùm vas dicitur habere aquam: vel ad Quando, vt habere opportunitatem, ſiue occaſionem: vel ad actionem, vt habere comitia, delectum, honorem: vel ad paſſionem, vt neceſſe habere, vt habere, id eſt percuſſum eſſe, illo Terentij loco, *Captus eſt, habet*, ſicut Donatus exponit: vel denique ad ipſam Categoriam Habere, vt habere veſtimentum, habere anulum.

Vide Categor.cap.vlt.& Metaphyſ.lib.4.cap.23.

DISPVTATIO OCTAVA.

Reſpondente P. P. P. F.

DE INTERPRETATIONE.

I.

HACTENVS de ente reali, ſeu de primis notionibus diſputatum eſt: conſequenter videndum de ente rationis. ſeu de ſecundis notionibus, in quibus logicus verſari dicitur.

II.

Tres ſunt humani intellectus operationes. Prima eſt ſimplicium comprehenſio: vt cùm intelligimus hominem, vel aliam quamcumque rem. Secunda eſt compoſitio, vel diuiſio: vt cùm intelligimus hominem eſſe animal, hominẽ non eſſe lapidem: ſic enim quodammodo intellectus cum homine coniungit animal, & ab eo ſeiungit lapidem. Tertia eſt ratiocinatio, qua intellectus à notis ad ignota progreditur: vt cùm probamus intellectum eſſe immortalem, quia ſine corpore operatur.

III.

Cùm igitur voces ſint inſtrumenta, quibus animi ſenſa ſignificantur, earum ſimiliter tres ſunt gradus. In primo eſt ſimplex interpretatio, quæ ſimplicem animi conceptum declarat, vt hæc dictio, *Homo*. In ſecundo eſt interpretatio compoſita: quæ affirmat, quod intellectus componit, vt hæc oratio, *homo eſt animal*: vel negat, quod intellectus diuidit, vt hæc oratio, *homo non eſt lapis*. In tertio eſt argumentatio, quæ ratiocinationem continet, veluti, *Quod ſine corpore operatur, ſine corpore poteſt conſiſtere: atqui intellectus ſine corpore operatur: ergo intellectus ſine corpore poteſt conſiſtere.*

IV.

Notandum eſt, vocibus non ſignificari ἀμέσως res ipſas, ſed animi conceptus, qui ſunt rerum ſimulachra ſiue imagines quædam. quatenus ergo hi conceptus res repræſentant: eatenus voces, quæ ſunt illarum conceptuum notæ ac ſymbola,

bola, etiam res ipſas per conſequentiam quandã ſignificant.
De interpretat.cap.1.partic.2.

V.

Quocirca hæc quatuor ſubordinata ſunt: ac primò ſunt res: ſecundò earum rerum intelligentiæ: tertiò voces, quibus intelligentiæ illæ declarantur: quartò literæ, quaſi vocum vicariæ & miniſtræ *a*. Res & voces ſunt à natura, & vbique eædem. voces ac literæ apud alias gentes alię ſunt: & ex inſtituto ſignificant, id eſt, quatenus homines pro libitu eas aliquid ſignificare volunt *b*.

a *Dicta partic.2.* b *Eod.c.part.3.*

VI.

Interpretatio igitur eſt vox ex inſtituto aliquem mentis conceptum ſignificans. Et eſt vel ſimplex, id eſt, dictio: vel compoſita, id eſt, oratio.

VII.

A dictione ſeparatur ſyncategorema. Nam dictio ſignificat, vt *Homo*: ſyncategorema tantum cõſignificat: vt *Cum, Per.*

VIII.

Sic tamen dictio ſignificat, vt ſit veri & falſi expers *a*. nam veritas & falſitas eſt propria compoſitionis & diuiſionis, quæ in mente, aut in voce cernitur *b*.

a *Eod.cap.1.partic.6.* b *Eod.c.1.part.5.*

IX.

Dictionis ſpecies duæ ſunt: nomen, & verbum. Nominis appellatione complectimur etiam pronomen. verbi appellatione etiam participium, & gerundium. Præpoſitio, aduerbium, interiectio, coniunctio, ſunt ſyncategoremata.

X.

Quædam, etſi grammaticis ſunt nomina, quia nominum more infectuntur, tamen logicis ſunt ſyncategoremata, quia nullam rem ſignificant, ſed tantùm conſignificandi vim habent: vt *Omnis, Nullus.* *De interpret.c.10.part.12.*

DE NOMINE.

NOmen eſt vox ſignificans ex inſtituto, ſine tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparatim. * vel breuiùs, Nomen eſt ſimplex interpretatio, quæ non adſignificat tempus.
* *De interpret.cap.2.part.1.*

XII.

Nomen aut eſt ſimplex, vt *Potens:* aut compoſitum, vt *omnipotens.* illius pars, vt *Po*, nec ſignificat nec conſignificat. Huius aliqua pars, vt *Potens* in nomine *Omnipotens* non ſignificat, vt cùm eſt nomen per ſe, ſed conſignificat.

Eod.c.2.part.2.& cap.4.part.3.

XIII.

Hæc enim tria differunt ſignificatio, adſignificatio, & conſignificatio. Significatio rem aliquam, ſeu mentis conceptum notat: vt nomen, *Homo*, conceptum hominis ſignificat. Accedit autem ſignificationi adſignificatio: vt verbum *Currit*, ſignificat curſum, & adſignificat tempus præſens, quo ille curſus eſt. Conſignificatio per ſe vim ſuam non exerit, ſed in coniunctione cernitur. ſic ſyncategoremata in oratione, & (vt in theſi præcedenti dictum eſt) quædam compoſiti nominis partes, in eo nomine conſignificant.

XIV.

Rurſus nomen vel eſt finitum, vt *homo*: vel infinitum, vt *non-homo.* Nam præpoſitum negandi aduerbium, facit ex nomine nomen infinitum: quod minùs propriè dicitur nomen: quia non certam rem, ſeu certum conceptum, ſed incertum neſcio quid ſignificat, vt *non-homo* ſignificat quiduis præter hominem. Denique verum nomen poſitiuè, nomen infinitum priuatiuè ſignificat *a.* Vtriuſque autem vna eſt ſignificatio, *b* licèt alterius ſignificatio ſit certa & poſitiua, alterius incerta & priuatiua.

Dicto cap.2.part.4. b *Eod.lib.cap.10.part.1.*

XV.

Cùm nomini adiuncta eſt nota illa ſyncategorematica, *Omnis, Nullus, Quidam,* vel alia ſimilis: vt nomen infinitum fiat, negandi aduerbium non debet iungi cum ſyncategoremate, veluti *Non omnis homo:* ſed cum nomine, veluti *Omnis non homo.* *De interpret.cap.10.part.12.*

XVI.

Præterea aliud eſt nomen rectum, quod propriè dicitur nomen, vt *Socrates:* aliud eſt caſus nominis, vt *Socratis Socrati.* Illud coniunctum cum verbo *Eſt*, aut *Erat*, aut *Erit*, ſignificat verum vel falſum: hoc verò nequaquam.

Eod.cap.2.part.4.

DE VER-

DE VERBO.

XVII.

VErbum eſt vox ſignificans ex inſtituto, quæ adſignificat tempus, cuius nulla pars ſignificat ſeparatim, & eſt ſemper nota eorum, quæ de altero dicuntur*. vel breuiùs, eſt interpretatio ſimplex, adſignificans tempus, & connexionem attributi cum ſubiecto.

* *De interpret.cap.3.part.1.*

XVIII.

Triplex igitur eſt verbi ius. Primò ſignificat rem aliquam *a*: ſecundò adſignificat tempus, quo ea res eſt *b*: tertiò adſignificat ſeu conſignificat nexum attributi cum ſubiecto *c*: hæc enim tertia vis dici poteſt adſignificatio *d*, quatenus accedit ſignificationi principali: & conſignificatio, quatenus tum demum apparet, cùm verbum nomini iunctum, enunciationem facit *e*.

a *Eod.cap.3.part.6.* b *Eod. cap.part.1.& 2.*
c *Eod.cap.part.1.& 3.* d *Dicta part.6.*
e *Dicta partic.6.*

XIX.

Porrò aut eſt verbum propriè dictum, aut verbum infinitum, aut caſus verbi, aut copula verbalis, aut caſus copulæ verbalis.

XX.

Verbum propriè dicitur, quod rem indicat in tempore præſenti, vt *Curro, curris, currit, currimus, curritis, currunt.*

XXI.

Verbum infinitum dicitur, quod ob præfixum negandi aduerbium, rem incertam ac priuatiuè ſignificat, quemadmodum ſuprà diximus de nomine infinito: vt *non-currit: non-valet.* *Dicto cap.3.part.4.*

XXII.

Caſus verbi ex inflexione verbi oritur, vt caſus nominis ex inflexione nominis. nam præter verbum, quod eſt temporis præſentis in modo indicatiuo, reliqua per inflexionem deducta, caſus verbi appellantur, vt *currebat, cucurrit, curret, currerem, currere.*

Eod.c.3.part.5. XXIII.

Copulata verbalis eſt, quæ figuram verbi habet: inflectitur enim vt verbum, & habet vim notandi temporis, ac nectendi attributum cum ſubiecto: ſed nullam rem ſignificat. nempe eiuſmodi copula eſt verbum (impropriè voco verbum) *Sum, es, eſt*, quando non ſignificat eſſe ens, ſiue exiſtere: nectendi autem cauſa vſurpatur *a*, vt in his orationibus, *Homerus eſt poëta, non-ens eſt opinabile b.*

a *Eod.c.3.part.6.* b *De interpret.c.11.part.10.11.*

DE ORATIONE.

XXIV.

ORatio eſt vox ſignificans ex inſtituto, cuius aliqua pars ſignificat ſeparatim. *De interpret.c.4.part.1.*

XXV.

Quod dixi, *aliqua pars*, de dictionibus accipe, non de ſyllabis, nec de orationibus. Cùm enim dictiones ſint partes orationis, & ſyllabæ ſint partes dictionum: certè etiam ſyllabæ ſunt partes orationis: verùm per ſe nihil ſignificant, vt ſuprà notatum fuit. Rurſus quædam orationes ex ſimplicibus componuntur: ergo ſimplices illæ orationes ſignificant, & ſunt partes orationis compoſitæ: ſed ad eas in dicta orationis definitione non reſpeximus, quia definitio generalis eſſe debet, atque omnibus orationibus, potiſſimum ſimplicibus, conuenire: ſimplicium autem orationum partes non ſunt orationes, ſed dictiones.

Eod.cap.4.partic.2.

XXVI.

Oratio vel eſt veri vel falſi expers, vt iuſſio, deprecatio: vel veri & falſi particeps, vt enunciatio, *a* quæ ſola ad noſtrum inſtitutum pertinet *b.*

a *Eod.cap.4.part.5.* b *Eod.cap.part.6.*

DE ENVNCIATIONE.

XXVII.

ENunciatio eſt oratio veritatis & falſitatis particeps. *Dicto cap.4.part.5.*

Cuius

XXVIII.

Cuius proprium eſt, vt verbo, aut caſu verbi conſtet.

De interpret. cap. 5. part. 2.

XXIX.

Multis autem modis diuidi poteſt. Primò aut eſt vera, aut falſa. Vera eſt, quæ cùm re conſentit: vt, *homo eſt animal*, *homo non eſt lapis*. Falſa, quæ à re diſſentit: vt, *homo eſt lapis*, *homo non eſt animal.* *De interpret. cap. 4. part. 5. & cap. 6. part. 3.*

XXX.

Secundò aut affirmat aut negat *a*. Affirmatio eſt enũtiatio alicuius de aliquo *b*, id eſt, quæ connectit attributum cum ſubiecto: vt, *homo eſt animal.* Negatio eſt enunciatio alicuius ab aliquo, *c* id eſt, quæ ſciungit attributum à ſubiecto: vt, *homo non eſt lapis.*

a *Dicto cap. 5. part.* 1. b *Cap. 6. part.* 1. c *Eod. cap. 6. part.* 2.

XXXI.

Tertiò aut eſt vna & ſimplex, quæ vnum de vno ſignificat, vt, *homo eſt animal*: aut multiplex vel compoſitione, vt *Homerus & Virgilius ſunt principes poëtarum*, vel propter homonymiam, vt, *canis mouetur.* *Cap. 5. part. 1. & 4. & cap. 8. & cap. 11. part. 1.*

XXXII.

Quartò aut confertur in tempus præſens, vt *ſapiens dominatur aſtris*: aut in præteritum, vt, *ſapiens dominatus aſtris*: aut in futurum, vt *ſapiens dominabitur aſtris.*

Cap. 5. part. 6.

XXXIII.

Quintò aut eſt ſecundi adiacentis, aut tertij adiacẽtis. Adiacens nihil aliud eſt, quàm attributo adiũcta vis connectendi ipſum attributum non ſubiecto, Secundum adiacens, & enunciatio ſecundi adiacentis appellatur, cum vno & eodem verbo ſimul attributum ſignificatur, & nexus adſignificatur, vt, *homo currit.* etenim verbum *currit*, curſum cum homine cõiungit. Tertium adiacens, & enunciatio tertij adiacentis dicitur, cùm alia voce attributum notatur, alia idem attributum cum ſubiecto connectitur, vt, *homo eſt albus.* nam illa verbalis (quam vocant) copula *eſt*, album cum homine iungit. *Dicto cap.* 10.

XXIV.

Sextò alia eſt finita alia infinita, alia mixta. Finita eſt quę tam

ſubiectum quàm attributum finitum habet, vt, *homo eſt iuſtus*. Infinita, cuius ſubiectum & attributum infinita ſunt, vt *non homo non eſt iuſtus*. Altera eſt, cùm ſubiectum eſt finitum, attributum, infinitum, vt, *homo eſt non iuſtus*: vel è contrario ſubiectum infinitum, attributum finitum, vt *non homo eſt iuſtus*.

Dicto cap. 10.

XXXV.

Septimò alia eſt pura, quæ modo & hypotheſi vacat, vt, *homo currit, homo non currit*: alia modificata in qua ineſt modus, vt, *contingit hominem currere, non contingit hominem currere*. Hypothetica eſt, quæ non ſimpliciter, ſed ſub hypotheſi aliquid affirmat, vel negat, vt, *Si ſol eſt ſuper terram, dies eſt*.

XXXVI.

Pura enunciatio vel eſt vniuerſalis, vel quæ ſubiecto vniuerſali notam vniuerſalem adiunctam habet, vt, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal: vel particularis, cuius ſubiectum vniuerſale adiectâ nota particulari coanguſtatur, vt, *aliquis homo eſt iuſtus, quidã homo nõ eſt iuſtus*: vel indefinita, in qua ſubiectum vniuerſale ponitur ſine nota, vt, *homo eſt albus, homo non eſt albus*: vel ſingularis, cuius ſubiectum eſt ſingulare, vt *Petrus currit, Petrus non currit*.

De interpretat. cap. 7.

XXXVII.

Modi enunciationum pręcipui, ſunt quatuor, neceſſe, poſſibile, contingit, impoſſibile. vnde oriuntur ſedecim enunciationes modificatę, videlicet quatuor ex ſingulis, veluti, neceſſe eſt hominem currere, nõ neceſſe eſt hominem currere, neceſſe eſt hominem non currere. non neceſſe eſt hominem currere. ſimilia exempla ex aliis modis afferri poſſunt.

De interpretat. cap. 12.

XXXVIII.

Enunciatio hypothetica vel eſt coniunctiua cuiu partes copulantur, veluti, *Si ſol eſt ſuper terram, dies eſt*: vel diſiunctiua cuius partes ſeiunguntur, veluti, *Aut eſt dies, aut nox*.

FINIS.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM TOTIVS OPERIS.

TOMVS LOGICVS.

ISAGOGE pag. 1.
Prolegomena ead.
1 Cap. Præfatio ead.
2 De genere, & ſpecie ead.
3 De differentia. 5
4 De proprio 7
5 De accidente ead.
Categoriæ 8
Prolegomena ead.
1 De [illegible] 9
2 Diuiſiones 10
3 Regulæ 11
4 De categoriis ead.
5 De ſubſtantia 12
6 De quanto 14
7 De relatis 16
8 De qualitate, & quali 18
9 De actione, & paſſione, & reliquis categoriis 21
10 De oppoſitis 22
11 De contrariis 24
12 De priori 25
13 De modis Simul ead.
14 De motu ead.
15 De modis habendi 26
De interpretatione 27
1 De interpretatione ead.
2 De nomine 28
3 De verbo 29
4 De oratione 30
5 De enunciatione 31
6 De affirmatione & negatione & contradictione ead.
7 De enunciationibus vniuerſalibus, particularibus, indefinitis & ſingularibus 32
8 De enunciatione vna vel pluribus 34
9 De enunciationibus ſingularibus in futurum collatis 35
10 De enunciatione ſecundi vel tertij adiacentis finitis aut infinitis ead.
11 De enunciationum coniunctione ac diuiſione 38
12 De oppoſitione enunciationum modificatarum 40
13 De conſecutione enũciationum modificatarum [illegible]
14 Quæ ſint enunciationes contrariæ [illegible]
Priorum Analyticorum Liber I. 43
1 Tractatus de ratione conficiendorum ſyllogiſmorum [illegible]
2 [illegible] analyticorum [illegible]
[illegible]
3 De conuerſione propoſitionum modificatarum [illegible]
4 De ſyllogiſmis ex puris propoſitionibus in prima figura 47
5 De ſyllogiſmis ex propoſitionibus puris in ſecunda figura 49
6 De ſyllogiſmis ex puris propoſitionibus in tertia figura 51
7 Communia de tribus figuris 52
8 De ſyllogiſmis ex ambabus propoſitionibus neceſſariis 55
9 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura, & altera neceſſaria in prima figura [illegible]
10 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura & altera neceſſaria in ſecunda figura [illegible]
11 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura & altera neceſſaria in tertia figura [illegible]
12 Collatio neceſſarii & eius quod ineſt [illegible]
13 De contingenti & propoſitionibus inde acceptis ead.
14 De ſyllogiſmis ex ambabus propoſitionibus contingentibus in prima figura 59
15 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura & altera contingenti in prima figura ead.
16 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione neceſſaria altera contingente in prima figura 60
17 De ſyllogiſmis ex ambabus propoſitionibus contingentib in ſecũda figura 61
18 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura & altera cõtingẽte in ſecũda figura 62

Fffff

19 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione neceſſaria & altera contingente in ſecunda figura ead.
20 De ſyllogiſmis ex vtriſque propoſitionib. contingentibus in tertia figura ead.
21 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione pura & altera cõtingẽte in tertia figura ead.
22 De ſyllogiſmis ex altera propoſitione neceſſaria, & altera contingente in tertia figura 63
23 Omnem ſyllogiſmũ extrui in aliqua ex tribus figuris, & perfici per primam figuram & reduci ad modum vniuerſalem primæ figuræ ead.
24 De qualitate & quantitate terminorum ſyllogiſmi 70
25 De numero terminorum, propoſitionum, & concluſionum ead.
26 De problematis in quaque figura adſtruendis vel euertendis ead.
II. Tractatus de inuentione 71
27 Cap. De inuentione præcepta generalia ead.
28 Specialia & ſingulorum problematum propria præcepta 72
29 De ſyllogiſmis ducentibus ad incõmodũ, & de reliquis hypotheticis: necnon de cõiugationibus vtilibus ex hypotheſi, & de attributionibus modificatis 74
30 De ſyllogiſmis in philoſophia vel in quauis arte ſeu diſciplina, & de quacumque re extruendis 75
31 De diuiſione 76
III. Tractatus de reſolutione ead
32 Cap. De accipiendis propoſitionibus. terminis, medio termino, & figura ead.
33 De terminorum qualitate ſpectãda 77
34 De nominibus concretis, & abſtractis ead.
35 De iis qui nomine carent 78
36 De nomine recto, & obliquis caſib. ead.
37 De variis attributionum generibus ead.
38 De iteratione ſeu repetitione eiuſdem termini 79
39 De commutatione orationum & nominum ead.
40 De articulis ead.
41 Interpretatio quarundam orationum ead.
42 De reſolutione ſyllogiſmorum compoſitorum 80
43 De reprehendenda definitione ead.
44 De reſolutione ſyllogiſmorum ducentium ad incommodum, & ceterorum qui fiunt ex hypotheſi ead.
45 De reſolutione ſyllogiſmorum vnius figuræ in aliam ead.
46 [illegible]
bitibus vel priuationibus 81
Priorum Analyticorum Liber II. 82
I Tractatus de poteſtatibu ſyllogiſmorum ead.
1 Cap De poteſtate plura concludendi ead.
2 3 4 De poteſtate cõcludẽdi verũ ex falſis 83
5 6 7 De circulo 84
8 De conuerſione ſyllogiſmorum in prima figura 86
9 De conuerſione ſyllogiſmorum in ſecunda figura 88
10 De conuerſione ſyllogiſmorum in tertia figura ead.
11 De deductione ad impoſſibile in prima figura ead.
12 De deductione ad impoſſibile in ſecunda figura 90
13 De deductione ad impoſſibile in tertia figura ead.
14 Collatio probationis ducentis ad incommodum & oſtenſiuè ead.
15 De ratione concludendi ex oppoſitis 96
II. Tractatus de vitiis & imbecillitatibus ſyllogiſmorum 98
16 Cap. De petitione quæſiti ead.
17 De reprehenſione ſyllogiſmi, qua dicitur falſum propter hoc non accidere 99
18 De falſa ratione 100
19 De impediendo cataſyllogiſmo, id eſt, ne contra nos ſyllogiſmo concludatur ead.
20 De impediendo elencho ead.
21 De deceptione ead.
III. De variis argumẽtationum generibus, quę ad ſyllogiſmos reducuntur 101
22 Cap. De quibuſdam conuerſionum regulis ead.
23 De inductione 103
24 De exemplo 104
25 De abductione 105
26 De obiectione, quæ vulgo inſtantia vocatur ead.
27 De enthymemate 106
Poſteriorum Analyticorum Liber I. 107
1 An ſit ſcientia demonſtratiua ead.
2 Quid ſit ſcire, item quid ſit demonſtratio, & ex quibus conſtet 109
3 Refutatio errorum, in quos nonnulli inciderunt, eo quod principia demonſtrationis ſciri debere 111
4 Quid ſit de omni, per ſe, & vniuerſale 112
5 Quibus ex cauſis peccetur in vniuerſali accipiendo, & qua ratione error vitetur 113
6 Demonſtrationem conſtare ex principiis neceſſariis & per ſe 114
7 Principia & concluſionẽ demonſtrationis non eſſe heterogenea, ſed ſyngenea ead.
8 Demonſtrationem eſſe tantùm rerum æternarum ead.

9 De-

9 Demonſtrationē nō eſſe ex communibus, ſed ex propriis, proinde ex indemonſtrabilibus principiis: ex quibus an quis ſciat, non facilè cognitu eſt 115
10 Definitio, & diuiſio principiorum ead.
11 De principiis quibuſdam omnium ſcientiarum communibus 116
12 De interrogationibus, & obiter de ſcientiarum incremento 117
13 Differentiæ demonſtrationis ac ſcientiæ quòd ſit, & cur ſit 119
14 De figura ſyllogiſmi demonſtratiui 120
15 De propoſitionibus immediatis negantibus 121
16 De ignorantia ſecundum prauam diſpoſitionem in iis quæ medio vocant ead.
17 De ignorantia ſecundum prauam diſpoſitionem, in iis quibus medium aliquod eſt interiectum 122
18 De ignorantia ſecundum negationem 123
19 20 21 22 Principia demonſtrationis eſſe finita ead.
23 Corollaria ead.
24 Vtrùm vniuerſalis an particularis demõſtratio ſit præſtantior 124
25 Demonſtrationem affirmantem, eſſe meliorem negante ead.
26 Demonſtrationem categoricam præſtare demõſtrationi ducenti ad incōmodū 125
27 Quæ ſit ſcientia certior & prior, vel minus certa & poſterior ead.
28 Quid ſit ſcientia, vna vel plures ead.
29 De pluribus demonſtrationibus eiuſdem rei 126
30 De rebus fortuitis ead.
31 Per ſenſum non haberi ſciētiam demonſtratiuam ead.
32 De principiorum diuerſitate 127
33 Diſtinctio ſcientiæ & opinionis ead.
34 De ſagacitate ead.
Poſteriorum Analyticorum Liber II. 128
1 De numero & ordine quæſtionum ead.
2 Omnem quæſtionem ad medium pertinere ead.
8 Quomodo probetur quid ſit 129
9 Quænam quidditates probentur, aut non probentur ead.
10 Quid ſit definitio, & quotuplex ead.
11 Per quæ genera cauſarū demōſtretur 130
12 De cauſis eorum quæ ſunt, vel fiunt, vel facta ſunt, vel futura ſunt 131
13 De inueſtiganda definitione 132
14 De inuentione problematum 134
15 Quatenus idem medium ad problemata demonſtranda adhibeatur ead.
16 De cauſa ex effectu arguenda 135
17 An vnius effectus plures ſint cauſæ ead.
18 Vtra cauſa prior ſit, propiórne, an magis vniuerſalis ead.
19 De cognitione primorū principiorū 136
Topicorum Liber I. ead.
1 De ſyllogiſmo & eius ſpeciebus ead.
2 De vtilitate huius tractationis 137
3 De perfecta dialecticæ cognitione ead.
De quibus, & ex quibus diſſeratur ead.
5 Quid ſit definitio, genus, proprium, & accidens 138
6 Obiectionis ſolutio 139
7 Idem quot modis dicatur ead.
8 Nec plura, nec pauciora eſſe attributa, quam quatuor ſuprà poſita ead.
9 De categoriis 140
10 De propoſitione dialectica ead.
11 De problemate dialectico & theſi 141
12 De ſpeciebus ratiocinationum 142
13 De inſtrumentis inuentionis ead.
14 De propoſitionibus ſumendis ead.
15 De iis quæ multifariam dicuntur diſtinguendis 143
16 De differentiis inueniendis 137
17 De ſimilitudine conſideranda ead.
18 De vtilitate dictorū inſtrumentorum ead.
Topicorum Liber II. 138
1 Protheoriæ ead.
2 Varij loci problematū de accidente 139
3 De locis pertinentibus ad ea quæ multis modis dicuntur 140
4 Varij loci ead.
5 Loci à tranſlatione diſputationis 141
6 Alij loci ead.
7 Loci à contrariis 142
8 Loci ab oppoſitorum conſecutione ead.
9 Loci a coniugatis, & ab ortu, vel interitu, vel efficiente, vel interimente 143
10 Loci à proportione, & à cōparatione ead.
11 Loci ab adiectione & ab eo quod eſt quoquo modo, ad id quod eſt ſimpliciter 144
Topicorum Liber III. 145
1 Loci, ex quibus probatur melius eſſe vel optabilius ead.
2 Alij loci 146
3 Alij loci 147
4 De abſolutè eligendis aut fugiendis 149
5 De quorumcumque accidentium comparatione, loci generales ead.
6 De problemate accidentis particulari ead.
Topicorum Liber IV. 151
1 Loci pertinentes ad problema generis ead.
2 Alij loci ead.
3 Alij loci 152
4 Alij loci 153
5 Alij loci 154
6 Alij loci 156
Topicorum Liber V. 157

1 De proprio & problemate proprij. ead.
2 De quæſtione vtrum bene an male proprium expoſitum ſit, loci aliquot. 158.
3 Alij loci de eadem quæſtione. ead.
4 De quæſtione an ſit proprium necne loci varij 159
5 Loci de eadem quæſtione. 160
6 De eadē quæſtione loci ab oppoſitis ead.
7 Alij loci de eadem quæſtione. 161
8 De eadem quæſtione loci a comparatione. 162
9 De eadem quæſtione loci á poteſtate, & hyperbole. 163
Topicorum Liber VI. 164
1 De locis generalibus. ead.
2 De obſcuritate definitionis. ead.
3 De ſuperfluitate. 165
4 Si definitum non ſit ex prioribus & notioribus ead.
5 Loci á genere, & ab eis ad quæ definitum refertur. ead.
6 Loci à differentiis. 166
7 Loci à comparatione, à disiunctione, & à definitione. 167
8 Loci ab omiſſione. 168
9 De abſtractis, vel concretis, & de oppoſitis. 169
10 Loci à caſibus, ab idea, & homonymia 177
11 De verborū coniunctorū definitione 168
12 Varij loci. ead.
13 Si quis in definitione dixerit eſſe hæc, vel ex his vel hoc cum illo. ead.
14 Reliqui loci. 180
Topicorum Liber VII. 181
1 Loci pertinentes ad quæſtionem vtrum ſit idem an diuerſum ead.
2 An locis proximè expoſitis vti liceat, cùm de definitione diſceditur 182
3 De definitione confirmanda. ead.
4 De locis præcipuis & maximè vtilibus. ead.
5 De facultate vel difficultate argumentandi. 183
Topicorum Liber VIII. 184
I. Tractatus de interrogatione. ead.
1 Cap. De ſcopo & nexu huius tractatus cum ſuperioribus & de propoſitionibus neceſſariis vel non neceſſariis. ead.
2 De argumentatione. 186
3 De facilitate aut difficultate argumentandi vel defendendi 187
II. Tractatus de reſponſione. ead.
4 De officio interrogantis & reſpōdētis ead.
5 Si theſis ſit abſolutè vel cum adiunctione probabilis, aut improbabilis, aut neutra 188
6 Si propoſitio pertineat ad rem propoſitam vel non. ead.
7 Si propoſitio ſit obſcura, vel multiplex, vel perſpicua & ſimplex. 189
8 De reſponſione ad inductionem. ead.
9 De præexercitatione, & de Theſi improbabili non defendenda.
10 De ſolutione argumentorum, & de concluſione impedienda. 190
11 De reprehendenda ratione, vel eo qui ratiocinatur. ead.
12 De perſpicua, & de falſa ratione. 191
13 De petitione quæſiti vel contrariorum 192
III Tractatus 193
14 De exercitatione. ead.
De ſophiſticis elenchis. 194
I. Tractatus. ead.
1 An ſint argumentationes ſophiſticæ. ead.
II. Tractatus. ead
2 De ſcopis ſophiſtarum. ead.
III De inuentione. 195
4 De fallaciis in dictione cōſiſtentibus. ead.
5 De fallaciis extra dictionem. 196
6 Reductio omnium fallaciarum ad ignorantiam elenchi. ead.
7 Rationes deceptionum. 197
8 Ex locis ſuprà expoſitis colligi non ſolum eos qui videntur ſyllogiſmi & elenchi, ſed etiam falſos & ſophiſticos. ead.
9 De numero elenchorum, & de eorum locis. 198
10 Malè argumentationes diuidi in eas quæ ad nomen, & eas quæ ad ſententiam pertinent. ead.
11 Collatio dialectici, piraſtici, ſophiſtici, litigioſi, demonſtrantis, & pſeudographi. 200
12 Loci ad probandum falſum, vel paradoxum. 201
13 De tautologia ſeu nouatione. ead.
14 De ſolœciſmo. 202
IV. Tractatus. ead.
15 De diſpoſitione & interrogandi ratione. ead.
V. Tractatus de ſolutione ſophiſmatum 204
16 De vtilitate huius tractatus, ac de ratione reſpondendi. ead.
17 De ea quæ videtur ſolutio. ead.
18 De vera ſolutione. 205
19 De ſolutione captionum, quæ ex homonymia, aut amphibolia dicuntur. 206
20 De ſolutione captionum ex compoſitione & diuiſione. ead.
21 De ſolutione captionum ex accentu. 207
22 De ſolutione captionum quæ ducuntur ex figura dictionis. ead.
23 Communia de ſolutione captionum in dictione conſiſtentium. ead.
24 De ſolutione captionum ductarum ex accidente. 208

25 De ſo-

25 De ſolutione captionum ex eo ductarum quod eſt ſimpliciter, vel κατά τι. ead.
26 De ſolutione captionum ex definitione elenchi ead.
27 De ſolutione captionum quibus petitur, quæſitum. ead.
28 De ſolutione captionum quæ dicuntur ex conſequentibus 209
29 De ſolutione captionum, quæ non cauſam accipiunt pro cauſa ead.
30 De ſolutione captionum quæ plures interrogationes [illegible] ead.
31 De ſolutione paralogiſmorũ colligentium nugationem ead.
32 De vitandis ſolœciſmis 210
33 De facilitate vel difficultate cognoſcendi genus captionis, & reſpondendi ead.
34 Epilogus, & peroratio 211

TOMVS PHYSICVS.

Naturalis auſcultationis Liber I. 212
Prolegomena ead.
1 De ſcopo & nexu huius libri 214
2 Quæſtio quot & quæ ſint principia naturalia 215
3 Non eſſe vnum ens, vt Parmenides & Meliſſus cenſuerunt 217
4 Solutio orationum Parmenidis & Meliſſi 218
5 Phyſicorum opiniones de rerum naturalium principiis, & earum examen 222
6 Principia contraria 224
7 Principia eſſe duo, vel tria 226
8 Quot & quæ ſint principia rerum naturalium ex ſententia Ariſtotelis 228
9 Erroris, in quem veteres philoſophi ob principiorum ignorationem inciderunt, diſſolutio 230
10 Reliqua de principiis naturalibus 231
Naturalis auſcultationis Liber II. 232
1 De natura, & eo quod habet naturam, vel eſt ſecundum naturam ead.
2 Quomodo phyſicus diſtinguatur à mathematico. & a primo philoſopho & circa quid verſetur 237
3 De cauſis per ſe 239
4 Aliorum opiniones de caſu & fortuna 242
5 An ſit fortuna & caſus, quid ſit fortuna, & quid ei accidat 243
6 Collatio fortunæ & caſus. cùm inter ſe, tum etiam cum cauſis per ſe 245
7 Phyſicum demonſtrare per omnia genera cauſarum 247
8 An natura agat propter finem 248
9 Quomodo ſit neceſſitas in rebus naturalibus 249
Naturalis auſcultationis Liber III. 251
1 Quid ſit motus ead.
2 De mouente, & eo quod mouetur 254
3 De ſpeciali & perfecta motus definitione 256
4 Agendum eſſe de infinito: & veterum de eo opiniones ead.
5 Dubitationes de infinito 257
6 Diſputatio contra Platonem & Pytagoreos ponentes infinitum eſſe ſubſtantiam & per ſe [illegible]
7 Non eſſe corpus ſenſibile infinitum 259
8 Infinitum eſſe & quomodo ſit 263
9 Quid ſit infinitum 264
10 Infinitum quale ſit 265
11 Quotuplex ſit infinitum ead.
12 Ad quod cauſæ genus referatur infinitum 266
Naturalis auſcultationis Liber IV. 267
1 Agendum eſſe de loco ead.
2 An ſit locus ead.
3 Dubitationes de quidditate ſeu genere loci 268
6 Quid ſit locus 269
7 Corollaria 272
8 Aliorum rationes de inani 274
9 Quid inane ſignificet 275
10 Solutio rationum, quibus eſſe inane confirmabatur ead.
11 Non eſſe inane ſeparatum à corporibus 276
12 Non eſſe inane aliquo corpore occupatum 278
13 Non eſſe inane in corporibus ead.
14 Dubitationes pertinẽtes ad quæſtionem an ſit tempus 279
15 Variæ opiniones de natura & eſſentia temporis ead.
16 Quid ſit tempus 280
17 De momento 281
18 De diuerſis temporis attributis 282
19 De iis quæ ſunt in tempore 283
20 Reliqua de tempore 286
Naturalis auſcultationis Liber V. 287
1 Diuiſio motuum & auſcultationum ead.
2 Diuiſio mutationum per ſe 288
3 Diuiſio motuum per ſe 289
4 De immobili ead.
5 De eo quod eſt ſimul vel ſeparatim: & eo quod tangit, vel eſt interiectum: & eo quod eſt deinceps, vel cohærens, vel continuum 290
6 De vnitate ac diuerſitate motuum 291
7 De contrarietate motuum 292
8 De contrarietate motus & quietis 193
Naturalis auſcultationis Liber VI. 295

1 Omne continuum conſtare ex partibus continuis & diuiduis ead.
2 Momentum eſſe indiuiduum, & nihil in eo momento moueri vel quieſcere 296
3 Quicquid mouetur,eſſe diuiduum 297
4 De diuiſione motus 298
5 Eandem eſſe diuiſionem temporis,motus, ipſius moueri,mobilis,& eius in quo motus fit ead.
6 Quicquid eſt mutatum, id cùm primùm mutatum eſt,in eo eſſe in quod eſt mutatum ead.
7 Id in quo primò mutatum eſt, eſſe indiuiduum ead.
8 In mutatione eſſe vltimum non primum 299
9 In quo tempore primo aliquid mutatur, id in quauis eius temporis parte moueri ead.
10 Quicquid mutatur,antea mutatum eſſe: & quicquid mutatũ eſt,antea mutari 300
11 De finitate vel infinitate motus,magnitudinis,& mobilis ead.
12 De profectione ad ſtatum ſeu quietem, & de quiete. 301
13 Rem quæ aliquo tempore primo mouetur,nulla eius temporis parte eſſe in parte ſpatij per quod mouetur 302
14 Solutio rationum, quibus tollitur motus ead.
15 Id quod partibus vacat, moueri non poſſe 305
16 Vtrùm mutatio infinita eſſe poſſit ead.
Naturalis auſcultationis Liber VII. 306
1 Quicquid mouetur ab aliquo moueri.ead.
2 Eſſe aliquod primum mouens,quod ab alio non mouetur 307
3 Mouens,& quod mouetur, ſimul eſſe ead.
5 De motuum comparatione ead.
5 De motuum comparatione. ead
6 De motuum proportione 308
Naturalis auſcultationis Liber VIII. 310
1 Motum ſemper fuiſſe,ac ſemper fore ead.
2 Obiectionum æternitatem motus impugnantium ſolutio 315
3 Nonnulla modò moueri, mòdò quieſcere ead.
4 Quicquid mouetur,ab alio moueri 317
5 Primum mouens non moueri ab externo 318
6 Primum mouens eſſe immobile 319
7 Primum mouens immobile eſſe æternum & vnum 320
8 Primum mouens ne quidem ex accidenti moueri ead.
9 Primum mobile eſſe æternum 321
10 Lationem eſſe primum motum ead.
11 Nullam motionem vel mutationem eſſe continuam,præter lationem. 322
12 Solam conuerſionem eſſe poſſe continuam & infinitam. ead.
13 Conuerſionem eſſe lationum primã 324
14 Confirmatio eorum quæ ſuprà tradita fuerunt. ead.
15 Primum motorem partibus & magnitudine carere atque eſſe in ſuprema mundi parte. 325
De cœlo Liber I. 327
Prolegomena ead.
1 Prima corporis naturalis diuiſio in quadamtenus perfectum & omnino perfectum 328
2 Secunda corporis naturalis diuiſio in ſimplex & compoſitum & ſimplicis ſubdiuiſio. 329
3 Corpus illud quod in orbem fertur à quatuor elementis diſtingui, cùm quia nec eſt graue nec leue, tum etiam quia omnis mutationis præter motum orbicularem expers eſt 330
4 De corporum ſimplicium numero 331
5 Orbiculari motui nullum motum eſſe cõtrarium 332
6 Corpus quod in orbẽ mouetur infinitum eſſe non poſſe 334
7 Corpus quod ad medium, vel medio fer- [illegible]
8 Nullum corpus eſſe infinitum 337
9 Vnum eſſe mundum,non plures. 339
10 Nec plures mundos, nec aliquid extra mundum præter Deum & intelligentias eſſe poſſe ead.
11 Veterum philoſophorum de origine mũdi ſententiæ refutantur 341
12 Quot modis accipiantur genitum, ingenitum, corruptibile, incorruptibile, poſſibile & impoſſibile. 342
13 Hippotheſes de vero & falſo, necnon de poſſibili & impoſſibili 343
14 Categoremata de iis quæ interitui & generationi ſunt obnoxia, vel non obnoxia ead.
De cœlo Liber II. 345
1 Mundum eſſe æternum ead.
2 De cœli partibus, ſupera & infera, dextra & ſiniſtra, antica & poſtica ead.
3 Cur cœleſtes orbes & motus plures ſint. 348
4 Cœli figuram eſſe globoſam ead.
5 Cur cœlum potius ad vnam, quàm ad alteram partem moueatur 349

6 Cur

6 Cur motum primi mobilis eſſe æquabilem ead.
7 Aſtra eius eſſe naturæ, cuius eſt corpus, in quo ſunt fixa 350
8 Aſtra non proprio, ſed orbium motu cieri ead.
9 An corporum cœleſtium motus ſonum & harmoniam efficiat 351
10 De orbium cœleſtium ordine, & motus celeritate & tarditate ead.
11 Stellas eſſe globoſas 352
12 Cur non omnes inferiores ſtellæ paucioribus motib. moueantur, quàm ſuperiores: & cur in octaua ſphera ſint multæ ſtellæ, in ſingulis inferioribus ſingulæ 353
13 Veterum ſententiæ de terræ loco, quiete & figura ead.
14 Terram in medio quieſcere 354
15 Terram globoſam eſſe, ac paruam, ſi cum aſtris conferatur 355
De cœlo Liber III. 357
1 Tranſitio ead.
2 Veterum opiniones de generatione & interitu ead.
3 Neceſſe eſſe vt ſimplicibus corporibus aliquis motus naturâ competat 358
4 Eſſe quædam corpora grauia, & leuia, & quomodo præter naturam moueantur 359
6 Elementa quid ſint, & an ſint 361
7 Elementa non eſſe infinita ead.
8 Non eſſe vnum tantùm elementum 363
9 Elementa eſſe ortui & interitui obnoxia 3[illegible]5
10 Elementa ex ſe inuicem gigni eead.
11 Quomodo elementa ex ſe inuicem gignantur 366
12 Elementa figuris non differre 368

De cœlo Liber IV. 369
1 Dicendum eſſe de graui & leui, quæ vel abſolute accipiantur, vel in relatione ad alterum ſpectentur eead.
2 Aliorum de graui & leui ſententiæ, earúmque confutatio 370
3 Cur leuia & grauia ſurſum vel deorſum ferantur 371
4 Quatuor eſſe grauium & leuium differentias, ſeu quatuor materias proximas, vna communi contentas, proinde quatuor eſſe elementa eead.
5 Figuras rerum grauium & leuium non eſſe principales cauſas motus, ſed concauſas 372
De ortu & interitu Liber I. 373
1 Examinantur veterũ philoſophorum inter generationem & variationem diſtinguentium ſententiæ eead.
2 Examinantur ſententiæ Platonis & Democriti atque Leucippi, qui magnitudines indiuiduas ponebant 374
3 An aliquid ſimpliciter generetur, & ſimpliciter intereat 376
4 Diſtinctio generationis & variationis 378
5 De auctione & deminutione eead.
6 De tactu 380
7 Vtrùm ſimile patiatur à ſimili an contrarium à contrario: & num omne agens agendo re patiatur: & ad quod cauſæ genus paſſio referatur 381
8 De modo agendi & patiendi quatuor opiniones 382
9 Sententiæ Ariſtotelis de modo agendi & patiendi 383
10 De mixtione eead.
De ortu & interitu Liber II. [illegible]
1 De principio generationis materiali eead.
2 [illegible]
3 De numero elementorum 388
4 Elementorum proprietates aliquot 390
5 De mutua elementorum generatione 391
6 Quatuor elementa ex æquo eſſe prima corpora ſenſibilia 392
7 Diſputatio contra Empedoclem 393
8 Quomodo mixta corpora componantur ex elementis 394
9 Quodlibet mixtum perfectum, conſtare ex quatuor elementis 395
10 De cauſis & principiis generationis 396
11 De continuitate cœleſtis motus 397
12 An quædam neceſſario futura ſint 398
13 De conſecutionis neceſſitate, inter prius & poſteriùs generandum eead.
14 Vtrùm omnia eodem modo in orbem redeant 399
Meteorologicorum Liber I. 400
1 Proœmium ea quæ hactenus ſunt expoſita, & quæ deinceps ſunt explicanda, complectens eead.
2 De meteororum cauſis materiali & efficiente eead.
3 De elementorum mutatione, natura, & ordine. cur in ſuperiori aëris parte non gignantur nubes & quomodo fiat caſa calons eead.
4 De flammis ſuccenſis, facibus, capris, & ſtellis diſcurrentibus 402
5 De hiatu & cruento colore eead.
6 Veterum philoſophorum de cometis ſententiæ & earum refutatio 403

7 De cometis ſententia Ariſtotelis 405
8 De lacteo circulo 406
9 De pluuia, nube, & nebula, rore, pruina, niue, & grandine 411
10 De ventis, fluuiis, & fontibus, aliorum ſententiæ examinantur 415
11 De fluminum ortu ead.
12 De locorum aridorum & aquaſorum mutatione 417
Meteorologicorum Liber II. 418
1 Antiquorum opiniones de maris origine & obiter de eius ſalſedine ead.
2 Nullos eſſe maris fontes 419
3 [illegible] ſalſedine, & quòd Sol vaporibus non halatur 420
4 Cur aqua, quæ in mare influit, nuſquam appareat 422
5 De maris æternitate ead.
6 Aliorum opiniones de maris ſalſedine 423
7 Ariſtotelis ſententia de ſalſedine maris 424
8 De ventorum generatione 425
9 De ventorum motu 426
10 De tranquillitate, & commotione aëris ead.
11 Aquilonis & auſtri collatio 427
12 De numero, nominibus, ſitu, contrarietate, & mutatione rerum 428
13 De mutatione & effectu ventorum 432
14 Veterum opiniones de cauſis terræ motus 433
15 Vera terræ motus cauſa, eiúſque per varia ſigna confirmatio 434
16 De reliquis accidentibus terræ motus. 439
17 De tonitru, & fulgure. 437
Meteorologicorum Liber III. 439
1. De procella, Typhone, præſtere, & fulmine. ead.
2 Communia de area, iride, pareliis, & virgis 442
3 De area. 444
4 De iridis ſeu arcus generatione. 445
5 De arcuum numero & coloribus. 447
6 De iridis figura, & magnitudine. ead.
7 Quo tempore iris apparere poſſit. 448
8 De pareliis, & virgis, ead.
9 De foſſilibus, & metallicis. 449
Meteorologicorum Liber IV. 451
1 De generatione & interitu ead.
2 De aliis primarum qualitatum operationibus 453
3 De concoctione, & incoctione 454
4 De maturatione, & cruditate 455
5 De elixatione, & molynſi 456
6 De aſſatione, & ſtateuſi 453
7 De humore, & ſiccitate 459
8 De duritie, & mollitie 460
9 Communia de concretione, fuſione, exſiccatione, & humectatione ead.
10 De exſiccatione & humectatione 461
11 De concretione, & liquatione: necnon de emollitione & craſſitie ead.
12 De corporum ſimilarium principiis 464
13 De corporum ſimilarium affectionibus 465
14 Corporum ſimilarium diuiſio prima ſumpta a forma 471
16 Corporum ſimilarium diuiſio tertia ſumpta a temperamento 472
17 Tranſitio ead.
De anima Liber I. 473
1 De dignitate, vtilitate, & difficultate ſcientiæ de anima ead.
2 Veterum opiniones de anima 475
3 Diſputatio contra eos qui animam per motum definiuerunt 478
4 Animam non eſſe harmoniam 481
5 Animam aliis præter localem motibus non moueri 482
6 Animam nô eſſe numerum ſeipſum mouentem ead.
7 Animam non conſtare ex elementis 484
8 Animam non eſſe rebus omnibus permixtam ead.
9 De animæ vnitate & operationibus 485
De anima Liber II. 486
1 Animæ definitio prima ead.
2 Animæ definitio altera ead.
3 De facultatibus animæ 488
4 De facultate vegetatiua ead.
5 De ſenſu 490
6 Diſtinctio ſenſibilium 491
7 De aſpectabili & aſpectu 492
8 De ſono, & auditu 493
9 De odore, & odorabili 495
10 De guſtu, & guſtabili 496
11 De tactu, & tactili 497
12 Communia de ſenſibus externis 499
De anima Liber III. ead.
1 De numero ſenſuum externorum ead.
2 De ſenſu communi 500
3 Diſtinctio intellectus & ſenſus, necnon phantaſiæ & exiſtimationis 501
4 De phantaſia ead.
5 De intellectu patiente 502
6 De intellectu agente 503
7 De duplici operatione intellectus 505
8 De intellectu practico, & eius diſtinctione à contemplatiuo 506
9 Collatio intellectus cum ſenſu & phantaſia 507
10 Dubitationes de facultate motrice 508

11 Quæ ſit cauſa inceſſus ead.
12 Collatio animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ 509
De ſenſu & ſenſili 510
1 Præfatio ead.
2 De ſenſoriis 511
3 De colore, & eius ſpeciebus 513
4 De ſapore, & eius ſpeciebus [illegible]
5 De odore [illegible]
6 De ſenſilium diuiſione [illegible]
7 An ſenſibilia prius agãt in medium, quam in ſenſorium, & an idem à pluribus ſentiri poſſit 519
8 An duo ſimul ſentiri poſſint ead.
9 Omne ſenſibile eſſe diuiduum ead.
De memoria & reminiſcentia 520
1 De memoria ead.
2 De reminiſcentia 522
3 Cõmunia de memoria & reminiſcẽtia 523
De ſomno & vigilia 525
1 De ſomni & vigiliæ ſubiecto ead.
2 Ad quem ſenſum ſomnus & vigilia referantur ead.
3 Somni cauſa finalis 526
4 Somni cauſa efficiens ead.
5 Quid ſit ſomnus, & qui ſint eius effectus 527
6 Quî fiat, cùm ſomnus ſit refrigeratio, vt excitetur à rebus calefacientibus ead.
7 Cur animal expergiſcatur 528
De inſomniis ead.
1 Cuius partis animæ ſit ſomnium ead.
2 Quomodo ſomnia fiant ead.
3 Quid ſit ſomnium 530
Cur quidam non ſomnient ead.
De diuinatione per ſomnum 531
1 Dubitatio an ſit diuinatio per ſomnium, & ſomniorum diuiſio huc ſpectans ead.
2 Somnia non eſſe à Deo, ſed à natura ead.
3 De euentu ſomniorum 532
5 De ſomniorum interprete ead.
De longitudine & breuitate vitæ 533
2 In quibus longæ & breuis vitæ differentia reperiatur ead.
3 De cauſis corruptionis & interitus ead.
4 Quæ viuentia ſint longioris aut breuioris vitæ ead.
5 De cauſis longæ aut breuis vitæ 534
6 Collatio animalium & plantarum 535
De iuuentute, & ſenectute: de vita, & morte, & de reſpiratione ead.
1 Vbi ſit animæ nutritiuæ & ſenſitiuæ principium ead.
2 De naturali calore 537
3 Veterum errores de reſpiratione ead.
4 Anaxagoræ & Diogenis de reſpiratione ſententiæ & earum confutatio 538
5 Sententia Democriti de reſpiratione & eius refutatio 539
6 Diſputatio de reſpiratione contra Platonem 540
7 Reſpirationem non eſſe caloris naturalis alendi gratiâ 541
8 Empedoclis de reſpiratione ſententia, & eius refutatio ead.
9 Refrigerationẽ omnibus animalibus eſſe neceſſariam 542
10 Quomodo, & quo organo animalia refrigerentur ead.
11 Cur quædam animalia pulmonem habeant, & cur reſpirent, & quomodo alia per reſpirationem alia per branchias refrigerentur 544
12 Mortis genera ead.
13 Quid ſit ortus, vita, iuuenta, ſenectus, conſtans ætas, obitus 545
14 Cur animantia reſpirantia in aqua, piſces in aëre ſuffocentur ead.
15 De accidentibus cordis, de cauſa motus pulmonis vel branchiarum, & de conſtitutione inſtrumenti refrigeratiui 546
Ethicorum Liber I. 547
Prolegomena eod.
1 An ſit aliquod ſummum bonum 549
2 De ſcientia ſummi boni 550
3 Quid ſit ſummum bonum ex aliorum ſententia 551
4 Refutatio quarũdam opinionum de ſummo bono ead.
5 Summum bonum non eſſe ideam 552
6 Beatitudinis definitio ἀναμαρτήτως 554
7 Beatitudinis definitio ἀκριβὴς ead.
8 Tranſitio 555
9 Datæ definitionis collatio, cum variis dictis & ſententiis ead.
10 Quomodo beati fiant 557
11 Qui ſint beati ead.
12 An res poſterorum pertineant ad defunctos 559
13 Beatitudinem non eſſe laudabilem ſed honorabilem ead.
14 Animæ & virtutis diuiſio ead.
Ethicorum Liber II. 560
1 De ortu & incremẽto virtutis ac vitij ead.
2 Dubitationis ſolutio 562
3 Quid ſit virtus 563
4 Singulas virtutes in mediocritate conſiſtere, & inter extrema vitia collocari 564
5 De oppoſitione medij & extremorum 566
6 De difficultate medij aſſequendi, ac definiendi 567
Ethicorum Liber III. 568
1 De his quæ ſponte vel inuiti facimus ead.
Quid non ſit prohæreſis, id eſt electio 571
3 Quid ſit prohæreſis & de conſultatione 572
4 De volũtate, & eo quod ſub volũtatẽ cadit 573

5 Virtutem, & vitium, humanáſque omnes actiones eſſe ſpontaneas 574
6 De fortitudine,& vitiis oppoſitis 576
7 De temperantia & intemperantia 578
Ethicorum Liber IV. 581
1 De liberalitate,profuſione,& auaritia ead.
2 De magnificentia,luxu,& ſordibus 584
3 De magnanimitate,puſillanimitate,& ſuperbia 586
4 De virtute, & vitiis, quæ in paruis honoribus verſantur 590
5 De manſuetudine & vitiis oppoſitis ead.
6 De comitate,& vitiis oppoſitis 592
7 De veracitate, arrogantia & diſſimulatione 593
8 De vrbanitate,ſcurrilitate,& ruſticitate 594
9 De verecundia & impudentia 595
Ethicorum Liber V. 596
1 De iuſtitia,& iniuſtitia ead.
2 De iuſtitia,& iniuſtitia vniuerſali ead.
3 De iuſtitia & iniuſtitia particulari 597
4 De iure diſtributiuo 599
5 De iure correctiuo ead.
6 De iure talionis 601
7 Quid ſit iuſtitia, & iniuſtitia 602
8 Secundum quæ vitia dicatur iniuſtus ead.
9 Diſtinctio iuris ciuilis à patrio, dominico, & œconomico 603
Iuris ciuilis diuiſio ead.
11 Diſtinctio inter ius, iuſtum factum,& iniuſtum hominem:necnon inter iniuriam, iniuſtum factum,& iniuſtum hominem 6 4
12 Vtrum ſponte an inuitus iniuriam patiatur,vel ius ſuum obtineat 605
13 Vtrum iniuriam faciat qui plus tribuit,an qui plus accipit 606
14 Vulgarium quarundam opinionem examinatio ead.
15 De æquitate & æquo 607
16 Communia de iniuria vniuerſali & particulari 608
Ethicorum liber VI. 609
1 Quid ſit virtus intellectiua ead.
2 De habitibus animi ad veritatem pertinentibus 610
3 De ſcientia ead.
4 De arte 611
5 De prudentia ead.
6 De intelligentia 612
7 De ſapientia ead.
8 Species prudentiæ 613
9 De bona conſultatione 614
10 De ſyneſi 615
11 De ſcotentia 616
12 Communia de prudentia, ſyneſi, ſententia,& intelligentia ead.
13 De prudentiæ & ſapientiæ vtilitate & præſtantia 6 7
Ethicorum liber VII. 6 8
1 De triplici habituum & diſpoſitionum moralium genere ead.
2 Τὰ φαινόμενα, id eſt quæ vulgo tribuuntur diſpoſitionibus ethicis 619
3 Dubitationes ead.
4 Vtrum incontinens peccet ſciens an ignorans 620
5 An ſit aliquis ſimpliciter & abſolutè incontinens,& in quibus verſetur 622
6 Diſtinctio inter continentem ſimpliciter & quorundam incontinentis metaphoricè ſeu ſecundum quid 623
7 Diſtinctio habituum, & diſpoſitionum, quæ in voluptatibus corporeis verſantur 624
8 Diſtinctio intemperantis, & incontinentis ead.
9 De prohæreſi cõtinẽtis & incontinentis 625
10 Quatenus vera ſunt, quæ vulgo continentibus & incõtinẽtibus tribuũtur ead.
11 Reliqua de continentia & incontinentia 626
Ethicorum liber VIII. 627
1 De amicitia dicendum proponit ead.
2 Dubitationes de amicitia 628
3 Quid ſit amabile, quidque amicitia, & amicus ead.
4 5 Amicitiæ [illegible] generum inter ſe collatio 629
6 Diſtinctio habitus,actus,& affectionis 630
7 De qualitate,& numero amicorum ead.
8 Collatio amicitiæ vtilis,& iucundæ 631
9 De amicitia inter inæquales ead.
10 Amicitiam,quemadmodum & ius,in vitę communione, & in politica contineri 633
11 Rerum publicarum,& œconomiarũ varia genera ead.
12 Amicitiarum genera ex diuerſis rerum publicarum & œconomiarum generibus ſumpta 634
13 Amicitiæ diuiſio ſumpta ex diuiſione cõmunionis 635
14 De iis quæ amicitiam conſeruant,vel diſſoluunt 636
15 De criminationibus & rixis,quę oriuntur in amicitiis inæqualibus 637
Ethicorum liber IX. 638
2 Quæ cuique gratia ſit referenda ead.
3 De diſſoluenda, vel non diſſoluenda amicitia ead.
4 Quomodo officia & ſtudia erga amicos, ex iis proficiſcantur,quæ in hominibus ſe-

reperiuntur erga ſe ipſos. 639
5 De beneuolentia. ead.
6 De concordia 640
7 Cur ij, qui beneficia contulerunt, magis diligant, quam diligantur ead.
8 V[illegible] mare debeat 641
9 Vtrùm beatus amicis indigeat ead.
10 De numero amicorum. 642
11 Vtrùm in rebus proſperis, an in aduerſis operâ amicorum magis indigeamus 643
12 De conuictu, & vitæ ſocietate ead.
Ethicorum Liber X. 644
1 De voluptate dicendum proponit ead.
2 De ſententia Eudoxi exiſtimantis voluptatem eſſe ſummum bonum 645
3 Examinantur rationes, quæ contra voluptatem afferri ſolent ead.
4 Quid ſit voluptas 648
5 De duratione, & appetitione voluptatis 649
6 Diuiſio voluptatis ead.
7 Quid ſit beatitudo 650
8 Beatitudinem contemplatiuam eſſe perfectiſſimã, & præſtare beatitudini actiuæ 651
9 Tranſitio ad libros politicos ead.
Politicorum Liber I. 652
1 De ciuitate, & eius partibus ead.
2 De domo, & eius partibus 653
3 De domino, & ſeruo ead.
4 De naturali ratione rei quærendæ 655
5 De artificioſa ratione rei quærendæ. 656
6 An pecuniæ quærendæ ratio pertineat ad œconomum ead.
7 De his, quæ ad praxim pecuniæ quærendæ pertinent. 657
8 De viro & vxore, necnon de parente & liberis. 658
Politicorum Liber II. 659
1 Diſputatio contra Platonem de mulierum & liberorum communione ead.
2 Diſputatio contra Platonem de bonorum communione 662
3 De ſecunda Platonis republica ab eo expoſita in libris de legibus 663
4 De republica Phaleæ Chalcedonij 664
5 De republica Hippodami 666
6 De republica Lacedæmoniorum. 668
7 De republica Cretenſium 671
8 De republica Carthaginienſium 672
9 De republica Athenienſium. 674
10 De Legibus, & legum conditoribus. 675
Politicorum Liber III. 677
1 Quid ſit ciuis, & quid ſit ciuitas. ead.
2 Quæſtiones de ciuitate. 668
3 Quæſtiones de ciue. 679
4 Diuiſio reipublicæ 680
5 De republica, in qua multi diuites, vel pauci pauperes dominantur ead.
6 Collatio democratiæ, & oligarchiæ 681
8 Quando multitudini imperium eſt committendum ead.
9 Obiectionum ſolutio 682
11 Si vnius aut paucorum virtus, reliquorum omnium ſimul acceptorum virtutem ſuperet ead.
12 Species regni 683
13 De rege ſecundum leges imperante 684
14 De regno pleno 686
Politicorum Liber IV. ead.
1 Proponuntur ea, quæ deinceps explicanda ſuperſunt. ead.
2 Cur ſint plura rerum publicarum genera, & quot ſint 687
3 Cur ſint plura rerum publicarum genera, quam ſuprà enumerata ead.
4 Plura eſſe democratiæ, & oligarchiæ genera 688
6 Species ariſtocratiæ 689
7 Diſtinctio politiæ, & ariſtocratiæ ead.
8 Quibus modis conſtituitur politia ead.
9 De tyrannide 690
10 De ea republica, quæ poſt optimam eſt maximè optanda, & pleriſque ciuitatibus conuenit ead.
11 Quæ quibus eſt reſpublica expetẽda 692
12 De conſilio publico inſtituendo 694
13 De magiſtratibus 696
14 De iudicibus 697
Politicorum Liber V. 699
1 De iuris æqualitate vel inæqualitate ead.
2 De cauſis ſeditionis, & mutationis rerumpublicarum 700
3 De mutatione democratiæ 701
4 De mutatione oligarchiæ 702
5 De mutatione ariſtocratiæ 703
6 De conſeruatione reipub'icæ 704
7 De monarchiarum interitu 706
8 De conſeruatione monarchiæ 707
Politicorum Liber VI. 709
1 Scopus huius libri ead.
3 Quomodo æqualitas ſeruanda ſit in democratia 711
4 Quomodo democratię ſint cõſtituẽdę ead.
5 Quomodo ſint conſtituẽdæ oligarchiæ 713
6 De magiſtratibus 714
Politicorum Liber VII. 716
1 Quę ſit vita beata, & maximè expetẽda ead.
2 An ſit eadem beatitudo ſingulorum hominum, & ciuitatis ead.
3 De magnitudine ciuitatis ead.
4 De regione 717
5 De ſitu vrbis, & vſu maris 718
6 Quali ingenio præditos eſſe ciues oporteat 719

7 De iis, ſine quibus ciuitas eſſe non poteſt, & de partibus ciuitatis ead.
9 De agri diuiſione, & de agricolis 720
10 De ſitu, & partibus vrbis, atque agri ead.
11 Ex quibus & qualibus ciuitatem conſtare oporteat [illegible]2
12 Vtrū vna ſit ciuiū inſtitutio, an plures [illegible]
13 De fine optimæ vitæ, & de inſtitutione ad eum finem accommodata 723
14 De virtutibus reipublicæ neceſſariis ead.
15 De ordine eorum quæ dicenda ſunt 724
16 De procreatione liberorum ead.
17 De liberorum educatione, & inſtitutione

Politicorum Liber VIII. 725
1 An neceſſaria ſit puerorum inſtitutio: & vtrùm publica, an priuata eſſe debeat 726 ead.
3 Quibus artibus pueri erudiuntur ead.
4 De gymnaſtica 727
6 An muſica ſit diſcenda, & in quem vſum ead.
7 Cuiuſmodi muſicâ, & quomodo ſit vtendum 728

Diſputatio I.
De logica 650
Diſputatio II. ead.
De logicæ artis diuiſione 735
De attributione ead.
Diſputatio III. 738
De categorematis 740
Diſputatio IV. ead.
De categoriis 746
De ſubſtantia ead.
De categoriis accidentium 748
Diſputatio V. 750
De quantitate 751
De qualitate ead.
Diſputatio VI. 755
De relatis 757
De actione ead.
De paſſione 762
De ſitu ead.
De categoria Quando 763
De categoria Vbi ead.
De categoria Habere ead.
Diſputatio VII. 764
De iis quæ categoriis accidunt ead.
De oppoſitis ead.
De regulis contrariorum ead.
De priori 766
De modis Simul 767
De motu 768
De verbo Habere 769
Diſputatio VIII. ead.
De interpretatione 770
De nomine ead.
De verbo 771
De oratione 773
De enunciatione. 774
775

FINIS INDICIS.

1008320